Digitized by Google

Digitized by Google

43 F
4 4

Digitized by Google

43 4 F 4

HISTC

ECCLESI

TOMUS

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS QUARTUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 252. USQUE AD AN. 317.

BIBL. ... ARACOELITANA

ROMÆ

EX TYPOGRAPHI

Digitized by Google

P I O VI.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

GASPAR . . . [illegible]ELLUS TAURINENSIS

CONGREG[illegible] . . . [illegible]ER.

D[illegible]

[illegible]

SIME PATER, [illegible]

Purpuratorum [illegible]

ſu in Petri C[illegible]

Digitized by Google

mus Eccleſiæ univerſæ Paſtor fueris conſtitutus. Ea eſt enim virtutum tuarum magnitudo, is ſplendor, ut in tanta ſacri Senatus amplitudine, omnium tamen oculos ita perſtrinxerit, ut Te unum digniſſimum judicaverint, cui Dominici Gregis ſollicitudo committeretur: munus quidem Angelicis etiam humeris formidand[illegible] Enim vero, PATF [illegible] ME, ſanctiſſimis [illegible] litteris ab ineun[illegible] tus & enutriti[illegible] . poſtea pro[illegible] diligentia, [illegible] cum integri[illegible] [illegible]ii judiciique [illegible]m humanarum [illegible], ſed Pontificii

pıæ-

præſertim Civiliſque Juris ſcientia omnium maxime in Urbe floreres, Benedictus XIV., Te in ſtudiorum ſuorum ſocietatem adſcito, qualis quantuſque futurus eſſes, ſatis, magnus ille hominum æſtimator, ſuo judicio declaraverit. Deinde vero, gravioribus Urbis Magiſtratibus, & difficillimis quidem te[illegible]oribus, ſub Clemente XIII [illegible]s juſte, ſancte, ſa[illegible]rfunctus, Te ad ma[illegible]atum omnibus perſu[illegible]ndem in ampliſſimum [illegible]dinalium Collegium, boni[illegible]nibus gratulantibus, coop[illegible]eo illuſtrius Te bonorum operum exemplum præbuiſti, quo inſignio[illegible]

dignitate auctum intelligebas. Quod igitur Summus Pontifex Urbe & Orbe plaudente fueris renunciatus, id merito tuo factum eſt, & maximo Dei beneficio; a quo optime quidem Eccleſiæ ſuæ, & humano generi univerſo fuiſſe conſultum; illud quoque demonſtrat, quod vix in excelſa iſta Sede collocatus, ea jam præſti[illegible], quæ certam ſpem [illegible] nagna quæquæ [illegible] præſtituturum [illegible] imio Tuo in ſacras [illegible] ſtudio adductus, maxi[illegible] vero tua fretus incredib[illegible] lementia, Hiſtoriæ Eccle[illegible] cæ, quam non a pridem [illegible]ribendam ſuſce-[illegible], volumen [illegible] oc quartum eo

liben-

libentius SANCTITATI TUÆ offe-
ro conſecroque, quod non con-
tigiſſe caſu arbitror, ut ipſum
tam fauſto Eccleſiæ tempore in
publicum emitterem. Glorio-
ſiores enim inſignioreſque Chri-
ſtianæ Reipublicæ triumphos
perſequitur, quibus nempe Con-
ſtantinus Divinitatis inſtinctu
præſentique auxilio, poſt debel-
latum ad Urbis portas Maxen-
tium, Chriſti Crucem hacte-
nus inviſam [illegible] que pœnas tan-
dem arces [illegible] exitque.
Sixti II., D[illegible] elicis I.,
Euthychiani, [illegible] ii, [illegible] aliorum-
que Prædeceſſor[illegible] Tuorum ge-
ſta continet, q[illegible]a [illegible] o Fide Ec-
cleſiaque tuenda [illegible] enue adeo
laborarunt, ut gl[illegible]ſiſſima eo-

rum

rum nomina in Martyrum vel Confeſſorum catalogo recenſeantur. Reliquum eſt, ut opus, argumento ſaltem, in quo verſatur, SANCTITATE TUA digniſſimum, benigne excipias, meque Sanctiſſimis Pedibus advolutum Tuo Patrocinio tuearis, quod dum humillime deprecor, futurumque certe confido; Deum Op. Max. eni[illegible] obſecro atque in poſter[illegible] obſecrabo, ut Te q[illegible]am d[illegible]ſſime incolumem ſer[illegible] iiſque Tuis & factis i[illegible] deſſe velit, ut, Te ad Ro[illegible]am Cathedram evecto, Ec[illegible]æ, & Pontificiæ Ditioni fe[illegible]tem reſtitutam vere omn[illegible]agis magiſque in dies intell[illegible]t.

APPRO-

APPROBATIONES.

TOmum Quartum *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Clariſſimo Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Romani Presbytero* multa diligentia elaboratum, Reverendiſſimi Patris Thomæ Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri voluntati obſecutus, attente legi, nihilque in eo, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus repugnet, inveni; quin opus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis quammaxime profuturum, & publica luce dignum cenſeo.

In quorum fidem &c. Ex Vaticana Bibliotheca Kal. Martii 1775.

Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

QUartum hoc *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen, quam invictus a labore Vir Gaſpar Saccarellus Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter* ſcribere perſeverat, quodque, jubente Reverendiſſimo P. Thoma Auguſtino Ricchinio Sacri Palatii Apo[illegible] M[illegible]ro, legi, nihil continet Fidei, aut bonis moril[illegible], nec eruditione, ſinceritate, ac diligenti[illegible] Voluminibus inferius eſt. Quare publica luce[illegible]

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Epiſc. Montis-Alti Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 252 LUCII PAPÆ 1.
GALLI ET VOLUSIANI IMP. 1.
COSS. C. TREBONIANO GALLO AUG. 2.
ET C. VIBIO VOLUSIANO CÆSARE.
OLYMPIAD. 257. AN. 4. URBIS AN. 1005.

1. A [illegible] So[illegible]rarium interitum in Chriſtianos [illegible]tibus iſte exordimur hoc quar[illegible] volumen . Etſi [illegible] diuturna non fuerit , [illegible] anno , majori fortaſſe furore , [illegible] exarſerit inimicorum inſectatio , uti infra dicturi ſumus ; non minimum tamen vel ipſa interruptio levamen attulit , ac ſummo totius Eccleſiæ gaudio excepta fuit . Quare his exultantis animi ſig[illegible]bus ſuum de Lapſis librum hoc tempore editum ex[illegible] Cyprianus : *Pax ecce , dilectiſſimi fratres , Eccleſiæ reddita [illegible] & quod difficile nuper incredulis , ac perfidis impoſſibile videbatur , ope , atque ultione divina ſecuritas noſtra reparata eſt . In lætitiam mentes redeunt , & tempeſtate preſſura , ac nube & caligine diſcuſſa , tranquillitas & ſerenitas refulſerunt &c.* Id vero S. Præſul agit in hoc li-

JESU CHR. AN. 252. Cyprianus Librum de Lapſis evulgat.

Cyprian[illegible] erga L[illegible]ſos ſententia.

Jesu Chr. an. 252.

libro, ut ſuam de Lapſis in ſuperiori perſecutione mentem aperiat, quæ hujuſmodi eſt. Illis quidem pacem ac reconciliationem denegandam non eſſe; ſed non æque cum omnibus agendum, ut qui parum offenderunt, citius pœnitentiæ curſum abſolvant, qui vero graviter deliquerunt, diutius juxta receptam Eccleſiæ diſciplinam in pœnitentia detineantur. Poſtquam igitur ipſo ſtatim libri initio Martyrum in eadem perſecutione conſtantiam magnopere commendavit, tum ad miſeram Lapſorum conditionem converſus, paterno plane affectu eorum caſum dolet ac luget, curatque vehementer, ut quam graviter deliquerint omnes intelligant, ipſos increpans, quod impuris Gentilium ſacrificiis hactenus polluti, & perpetrati criminis exomologeſi nondum facta, vim inferrent Corpori & Sanguini Domini, & communicationem ac pacem a quibuſdam presbyteris ante Epiſcopi ſententiam extorquere præſumerent. Denique quantum hæc agendi ratio verbo Dei adverſetur, & quantum ſit Eccleſiæ miniſtris periculoſa, quam ipſis fidelibus exitioſa, luculenter expendit.

Fidei deſertores divinitus caſtigati.

2. Ut autem ab incepto deſiſterent, in memoriam revocat quorumdam lapſorum exempla, qui & in hac vita divinam ultionem experti fuerant. *Unus*, inquit, *ex his*, *qui Capitolium negaturus aſcendit*, *poſtquam Chriſtum negavit*, *obmutuit*. . . . *Alia in balneis conſtituta illic ab immundo ſpiritu immunda*, *correpta cecidit*, *laniavit dentibus linguam*, *qua fuerat vel paſta impie*, *vel locuta*. *Poſt* [illegible] *ſceleratus cibus ſumptus eſt*, *in perniciem ſuam rabies or*[illegible]*ata eſt*. *Ipſa ſui carnifex extitit*, *nec diu ſupere*[illegible] *poſt* [illegible] *potuit*, *doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit*. Ut [illegible] gerent, qua corporis animique puritate ad [illegible] Corpus ſumendum oporteret accedere, hæc alia ſubdit: *Præſente ac teſte me ipſo accipite quid evenerit*. *Parentes forte fugientes dum trepide minus ſibi conſulunt*, *ſub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt*, *relictam nutrix detulit ad Magiſtratus*. *Illi ei apud idolum*, *quo populus conflue*[illegible], *quod carnem necdum poſſet edere per ætatem*, *pane*[illegible] *mixtum*, *quod tamen & ipſum de immolatione pereunti*[illegible]*ſupererat*, *trudiderunt*. *Recepit filiam poſtmodum mater*: *ſed facinus puella commiſſum tam loqui*, *& indicare non potuit*, *quam nec intelligere prius potuit*, *nec arcere*. *Ignoratione igitur obreptum eſt*, *ut ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret*. *Sed enim puella mixta*

Euchariſtia in corpore atque ore violato permanere non poteſt.

cum

Digitized by Google

cum ſanctis precis noſtræ & orationis impatiens, *nunc ploratu concuti*, *nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda jactari*, *& velut tortore cogente*, *quibus poterat indiciis*, *conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur*. *Ubi vero Solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit*, *& accipientibus ceteris locus ejus advenit*; *faciem ſuam parvula inſtinctu Divinæ Majeſtatis avertere*, *os labris obturantibus premere*, *calicem recuſare*. *Perſtitit tamen Diaconus*, *& reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit*. *Tunc ſequitur ſingultus & vomitus*. *In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit*. *Sanctificatus in Domini ſanguine potus de pollutis viſceribus erupit*; *tanta eſt poteſtas Domini*, *tanta majeſtas*! Huic narrationi aliam adjicit Cyprianus de muliere jam ætate provecta, quæ ſacrificanti ſibi cum latenter obrepſiſſet, non cibum, ſed gladium, non ſanguinem, ſed venenum quoddam lethale ſumere viſa eſt; nam angi ſtatim, & anima æſtuante concludi cœpit, ac preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans, & tremens concidit. *Et cum quædam*, ait, *arcam ſuam*, *in qua Domini Sanctum fuit*, *manibus ind*[illegible]*is tentaſſet aperire*, *igne inde ſurgente deterrita eſt*, *ne qu*[illegible] *attingere*. *Et alius*, *qui & ipſe maculatus*, *Sacrific*[illegible]*dote celebrato*, *partem cum ceteris auſus eſt latent*[illegible] *Sanctum Domini edere*, *& contrectare non* [illegible]*erre ſe apertis manibus invenit*. Horum c[illegible] [illegible]rritos, exemplo poſtmodum illorum erig[illegible] [illegible] ſacrificii facinore conſtricti forent, qu[illegible] [illegible]oc vel cogitaverant, id ipſum ſacerdotibus De[illegible] [illegible]liciter confitentes, exomologeſin faciebant, æqu[illegible] [illegible]onfeſſionem, ad pœnitentiam publicam, ad ſatisfa[illegible] [illegible]que plenam multis hortatur.

3. Libro de Lapſis [illegible] [illegible]er de Unitate Eccleſiæ ab eodem Cypriano c[illegible] [illegible] ab Eccleſia diſſidentes, ad ſchiſma proclives [illegible] [illegible]ret, revocaretque, atque eo quidem libello, tamqu[illegible] [illegible]telo, non ſolum Novatianos, ſui temporis hæreticos [illegible] & [illegible]ot quot poſtea futuri erant Eccleſiæ hoſtes oppugnat, atque confodit. Hujuſce opuſculi meminit ipſe in ſua ad Romanos Confeſſores, ad unitatem reduces, Epiſtola; illudque una cum libro de Lapſis ad eos ſe miſiſſe teſtatur. Nam poſt multa de Eccleſiæ unitate

Jesu Chr. an.252.

Cyprianus de unitate Eccleſiæ librum ſcribit.

Cypr. epiſt. 54.

te

te & pace ſervanda, hæc addit: *Quæ omnia penitus poteſtis inſpicere, lectis libellis, quos hic nuper legeram*, (ideſt libros de Lapſis, & de Unitate Eccleſiæ) *& ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram, ubi lapſis nec cenſura deeſt, quæ increpet, nec medicina, quæ ſanet, ſed & catholicæ Eccleſiæ unitatem, quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas: quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, cum quod nos verbis conſcripſimus, vos factis impletis, quando ad Eccleſiam charitatis, ac pacis unitate remeatis*. Hæc ſunt autem in præfato libro præ ceteris adnotanda. Hæreſeon hanc eſſe cauſam, quod ad veritatis originem non reditur, quod caput Eccleſiæ non quæritur, ac Primatus Petri contemnitur. Hunc porro Petri Primatum allatis Scripturæ teſtimoniis confirmat, & quamvis parem in ceteris Apoſtolis poteſtatem agnoſcat, tamen ait: *Primatum Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*. Gregem pariter unum eſſe, licet paſtores multi ſint, Epiſcopatum unum, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſiam denique unam, licet fœcunditate ſua latius in multitudinem ſeſe extendat. Quemcumque vero ab hac unitate diſcedentem, a promiſſis Eccleſiæ ſeparari, ad præmia Chriſti [illegible]ime perventurum, neque jam habere poſſe Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem, nec ullum, qui extra Ec[illegible]erit, evaſurum, quemadmodum nullus evaſit [illegible] Arcam Noe diluvii tempore inventus eſt. [illegible] bonos de Eccleſia non poſſe recedere, ex[illegible]tas nullatenus reperitur. Qui vero tantum fac[illegible]e, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege [illegible] nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi [illegible] Cujus quidem criminis tanta eſt immanitas, u[illegible] *[illegible] ſunt*, inquit, *etiamſi occiſi in Confeſſione nominis fue[illegible] nec ſanguine abluuntur, nec paſſione purgantur. Eſſe [illegible] non poteſt, qui in Eccleſia non eſt, ad Regnum per[illegible], qui eam, quæ regnatura eſt, derelinqui[illegible] talis poteſt, coronari non poteſt*. Sed que[illegible] [illegible] quorumdam animi commovebantur, [illegible] inter ſchiſmaticos Confeſſores nonnulli numerarentur, ut hunc ipſis ſcrupulum tollat, eos admonet, ut meminerint prædictum eſſe a Chriſto Domino, non eos qui inceperint, ſed qui perſeveraverint uſque in finem, ſalutem conſecutu[illegible]os. Confeſſionem vero nominis Chriſti exordium

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 252.

dium gloriæ eſſe, non coronam, nec poſſe ab inſidiis diaboli immunem aliquem reddere; alioquin in Confeſſoribus numquam fraudes, ſtupra, & adulteria poſtmodum cernerentur, quæ tamen, ait, nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Ceterum ſicut Apoſtolorum fides & firmitas nequaquam cecidit, quia proditor Judas ab eorum ſocietate defecit; ſic ceterorum Confeſſorum ſanctitas & dignitas nullum patitur detrimentum ex eo, quod nonnullorum fides fracta fuerit. Quorum conſortia non ſecus, ac aliorum ſchiſmaticorum & hæreticorum poſtquam vitanda monuit, ad pacem unanimitatemque ſervandam vehementer hortatur.

Quam turpiter Eccleſiæ unitatem Novatores violaverint.

4. Hanc Eccleſiæ Unitatem non a Cypriano ſolum, ſed ab omnibus Eccleſiæ Patribus tantopere commendatam, turpiter violarunt quotquot poſt fundatam Eccleſiam, hæreſi, vel ſchiſmate conflato a Romana Eccleſia receſſerunt, ac præcipue ſeculi decimi ſexti Reformatores, ſeu potius perturbatores, Lutherani, Calviniſtæ, Anglicani, aliique Sectarii, qui Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ritus, diſciplinam ſpernentes, ſacramenta, ſymbolum ipſum decurtantes, reformationis prætextu inconcuſſam firmamque Petri Cathedram, ſi fieri poſſet, evertere tentarunt, ac tamquam Acephali, nullis ſe Eccleſiæ legibus teneri impudentiſſime gloriantur. Communi quidem in Eccleſiam Catholicam odio ſociati, eam perſequuntur; at immane quantum int[illegible] [illegible] diſſident, non ſolum in rebus adiaphoris, vel [illegible]m ſpectantibus, ſed & in iis, quæ ipſa Religionis fundamenta & [illegible]dei ſummam attingunt, ut & in aureo, cedroque digno d[illegible] var[illegible]tatibus *Eccleſiarum reformatarum* opere iiſdem [illegible] etiùs exprobrat, invictiſque demonſtrat argumentis! Quis enim ignorat, quam acriter cum Lutheranis Calviniſtæ de Euchariſtiæ Sacramento certaverint, & uſque ad hanc diem diſceptent? Nam Lutherani cum pane & Chriſti corpus fidelibus diſtribui prædicant; Calviniani vero figuram tantum corporis Chriſti, [illegible] panis ſpecie contineri aſſerunt. Quot inſuper Anglic[illegible] [illegible], ceteraſque reformatas de Eccleſiæ hierarchia co[illegible]nones, quot querelæ, ut apud Beveregium, aut Bingamum, alioſque videre eſt! Quantum hujuſmodi inter eos diſſenſio Heterodoxis noceret, videntes ex ipſis aliqui, Gregales ſuos ad qualemcumque unitatem revocare conati ſunt. Irrito tamen, vanoque labore. Spreta ſemel Romanæ, Catholicæque Eccleſiæ auctoritate, ubi tuto conſiſtant,

Beverg. præfat & notæ [illegible] can. [illegible] A[illegible]eſt.
Bingam. to. 11. in append. ad Origenes Eccleſ.

Jesu Chr. an. 252.

Bingam. Orig. Eccleſ. tom. 7. lib. 16. cap. 1. Dodwell. diſſert. Cypr. n. 7.

ſiſtant, pedemque figant, non habent; ac pro germana ſinceraque unitate ſpuriam quamdam fictitiamque comminiſcuntur, quam in ejuſdem ſymboli profeſſione, in eorumdem Sacramentorum communione, ac debita proprio Epiſcopo ſubjectione Bingamus, & Dodwellus collocant. Facile tamen quiſque intelligit, quam hæc ab illa abſit Eccleſiæ unitate, quam libro ſuo Cyprianus propugnavit, & contra Donatiſtarum figmenta vindicavit Auguſtinus. Si etenim Eccleſiæ unitas in eo ſita eſſet, ut quis proprio ſubeſſet Epiſcopo, vel in eadem ſymboli profeſſione conſentiret, Schiſmatici nunquam dicendi fuiſſent aut Novatiani, aut Donatiſtæ; nam & propriis parebant Epiſcopis, mutuaque communione ipſorum Eccleſiæ inter ſe ſociabantur; Schiſmatici tamen erant, quod non ſecus ac Novatores Chriſti inconſutilem veſtem impio conatu laceraverant, ideſt, a Chriſti Eccleſia in Petri Primatu fundata, & per Apoſtolos, eorumque legitimos ſucceſſores propagata, receſſerant. Sed ne longius, quam par eſt, abeamus, juvat eos Auguſtini verbis compellare: *In multis eſtis nobiſcum, in Baptiſmo, in Symbolo, in ceteris dominicis Sacramentis* (nec iſtud jam dici a nobis poteſt). *In ſpiritu autem unitatis, in vinculo pacis, in ipſa denique Catholica Eccleſia nobiſcum non eſtis*; atque utinam aliquando ſaperent, & intelligerent, & ad Matris amantiſſimæ ſinum reverterentur.

Cornelii epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcop.

Euſeb. lib. 6. 43.

Quem Clerum haberet Romana Eccleſia, & quot pauperes aleret.

5. Hoc vertente anno ad [illegible] Antiochenum Epiſcopum Cornelius Papa epiſtolam d[illegible] non ſolum de Confeſſorum, qui Romæ erant, ad [illegible]ditu certiorem eum facit, ſed & Novatianum [illegible] deſertum fuiſſe ſignificat. Quantus autem tunc temporis [illegible]anæ Eccleſiæ clerus eſſet, quot ab ea pauperes, viduæque ſuſtentarentur, ex hac epiſtola diſcimus; ait enim: *Ergo ille Evangelii vindex* (ideſt Novatianus) *ignorabat unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſia Catholica, in qua tantum ſciebat Presbyteros quidem eſſe ſex & quadraginta, ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolytos duos & quadraginta, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis, & egentibus pluſquam mille quingentibus; quibus univerſis gratia, & benignitas Dei alimenta ſuppeditat.* Hæc de Romanæ Eccleſiæ clero, & eleemoſynis Cornelius Papa: ex quibus etiam non abſurde colligitur, quot eo tempore Romæ eſſent eccleſiæ; tot ſcilicet, quot Presbyteri, penes quos ſingula-

gularum eccleſiarum cura erat, quod & Optati auctoritate confirmatur, qui tradit, Diocletiani tempore Romæ ultra quadraginta Baſilicas fuiſſe: *Non enim*, ait, *grex*, *aut populus appellandi fuerant pauci tempore perſecutionis Diocletiani*, *qui inter quadraginta*, *&* *quod excurrit Baſilicas*, *locum*, *ubi colligerent*, *non habebant*.

Jesu Chr. an 252.

Optat. contra Parmen. lib. 2.

6. Fabium Antiochenum Epiſcopum Novatiani ſchiſmati aliquatenus faviſſe, præter ea, quæ ad eum Cornelius Papa in epiſtola ſcribit de ejuſdem Sycophantæ temeritate, & fraudibus, indicat etiam Euſebius, cum Dionyſii Alex. Epiſcopi litteras recenſens, ad Cornelium quoque Pontificem ipſum ſcripſiſſe ſignificat; atque inter cetera nunciaſſe, ſe ab Heleno Tarſi Ciliciæ Epiſcopo, & a ceteris, qui cum illo convenerant, Firmiliano ſcilicet Cappadociæ Epiſcopo, & Theotiſto Palæſtinæ provinciæ, invitatum fuiſſe, ut ad Synodum Antiochenam ſe conferret, in qua quidem *Novati ſchiſma confirmare tentabant*, ac ſibi nunciatum fuiſſe, quod Fabius diem extremum obiiſſet; Demetrianus verò in ejus locum Epiſcopus eſſet ordinatus. Cæterum a Cornelio admonitum ab omni cum Novatiano ſocietate, aut communione receſſiſſe Fabium, non eſt dubitandum: cujus veſtigiis inhærens Demetrianus ejuſdem in Antiochena ſede ſucceſſor, Novatianum etiam una cum ſchiſmatis ejus ſociis damnavit, anathemateque percuſſit, uti na[illegible]ctor Synodici apud Labbeum: *Synodus Antiochiæ collecta* [illegible] *emetrio ejuſdem civitatis Epiſcopo*, *quæ Novatianum depoſu*[illegible] *tanquam qui peccatoribus patrocinaretur*. Quum enim Is[illegible]s ad pœnitentiam admitti poſſe negaret, peccatores ve[illegible]tur & reconciliationis ſpe fruſtrati in graviora ſæpe crimina labebantur; unde ipſorum ſceleribus patrocinari quodammodo videbatur.

Fabius Antioch. a Novatiani parte recedit, & obiit.

Euſeb. lib. 6. 46.

Demetrianus Fabii ſucceſſor Novatianum damnat.

Concil. tom. 1. pag. 719.

7. Interea Fortunatus, aliique in Capſenſi civitate ob ordinationem Epiſcopi congregati Cyprianum conſulendum cenſuerunt, an lapſis poſt triennale pœnitentiæ curriculum pax & communio reddenda eſſet, iis præſertim, qui carnis infirmitate magis, quam voluntate ceciderant. Horum numero tres erant Epiſcopi, Ninces videlicet, Clementianus, & Florus, qui occaſione perſecutionis apprehenſi nomen Domini confeſſi, Magiſtratuum minas principio contempſerant, populique frementis impetum ſuſtinuerant: poſtmodum tamen apud Proconſulem pœnis gravioribus excruciati doloris magnitudini ſuccumbentes, de gradu gloriæ, ad quam

Lapſi ob carnis infirmitatem citius ad communionem admittendi.

Cypr. epiſt. 56.

Jesu Chr. An. 252.

quam plena fidei virtute tendebant, tormentorum acerbitate deciderunt: ad ſe autem reverſi, quod fecerant improbantes, pœnitentiæ lacrymis crimen abſtergere continuo aggreſſi fuerunt, ab eaque agenda per triennium nunquam ceſſarunt. Reponit itaque Cyprianus videri ſibi hujuſmodi lapſos recipi oportere, iiſdemque ad deprecandam clementiam Domini triennalem, quam egerant, pœnitentiam poſſe ſufficere: maturius autem ſe, quum opportunum tempus advenerit, de eodem negotio cum Fratribus in Concilio pertractaturum: *Nunc omnes fere*, inquit, *inter Paſchæ prima ſolemnia apud ſe cum fratribus demorantur*, ideſt unuſquiſque Epiſcopus in propria Diœceſi cum Clero, & populo ſuo: *quando ſolemnitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum ſingulis plenius, ut de eo, quod conſuluiſtis, figatur apud nos, & reſcribatur vobis firma ſententia multorum ſacerdotum conſilio ponderata.*

Concilium Carthag. a Cypriano celebratum. *Epiſt.* 37.

8. Et ſane peractis Paſchalibus feſtis, ut promiſerat, Carthagine Concilium habuit Cyprianus, cui Epiſcopi quadraginta ſubſcripſerunt, ut ex eorum ad Cornelium Pontificem epiſtola conſtat. Hoc in Concilio lapſorum cauſa iterum agitata fuit, eiſque major indulgentia exhibita, ita ut cum ſuperioris anni Concilio ſtatutum fuiſſet, ut lapſi totum pœnitentiæ curſum abſolverent; hoc altero cautum [illegible] iis qui ſtatim poſt lapſum pœnitentiam amplexi fuerant [illegible] ominum deprecari perſtiterant, pacem reddendam e[illegible] majoris hujus indulgentiæ eam præcipue cauſam ſe habu[illegible] ſcribunt, quod indicia non pauca, nec inania inſtantem [illegible] ſecutionem prænunciarent; ideoque lapſos ad prælium, reddita communione, armare oportere, ut in Synodica epiſtola ad Cornelium teſtantur: *Statueramus jampridem* (ideſt Concilio anno ante habito) *ut qui perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, etſi periculum mortis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent..... Sed cum videamus diem rurſus*

Præſagium de imminenti perſecutione.

alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris, atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hoſtis indicit, armati & parati ſimus, plebem etiam nobis de divina dignatione commiſſam exhortationibus noſtris paremus, & omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitant, intra caſtra Dominica colligamus; neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitate cogente cenſuimus, *eis*, *qui de Eccleſia Domini non receſſerunt*, *ſed pœnitentiam agere*, *& lamentari*, *ac Dominum deprecari*, *a primo lapſus ſui die non deſtiterunt*, *pacem dandam eſſe*. Jesu Chr. An. 252.

Fortunatus pſeudo-Epiſcopus adverſus Cyprianum ordinatur.

9. Congregatis adhuc in hoc Carthaginenſi Concilio Patribus, Privatus Lambeſitanus, olim in Numidia Epiſcopus, aliquot ante annos nonaginta Epiſcoporum ſententia damnatus, repente adfuit, contendens, ut ſuam cauſam liceret ſibi iterum retractare. Sed unanimi Epiſcoporum conſenſu rejectus, Fortunatum quemdam presbyterum, anno elapſo a Cypriano abſtentum, Carthaginenſem Epiſcopum ordinare præſumpſit. Fortunatus vero ac ſi legitime Carthaginenſem cathedram adeptus eſſet, legatos Romam mittere, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ communionem aucupari veritus non eſt. Hujuſce quidem legationis Feliciſſimus, Cypriani hoſtis, ac Schiſmaticorum anteſignanus, princeps fuit, qui licet Romam ante Cypriani legatorum adventum perveniſſet, nihil tamen exinde conſequutus eſt; eum enim Cornelius Papa videre noluit, nedum litteras accipere, quin immo de eorum conatibus Cyprianum continuo certiorem reddidit. Cumque ſchiſmatici in ipſa Urbe adverſus Cornelium turbas excitarent, minaſque intentarent, iterum ad Cyprianum ſcribens mirari ſe dicit, cur de Privati ſceleribus, deque irregulari Fortunati ordinatione nullas hactenus epiſtolas ad ſe miſ[illegible]it: His Cornelii litteris acceptis Cyprianus, miſſa per Saturum acolitum epiſtola, Cornelio primum gratias agit, quod F[illegible]ſſimum factioſorum turba ſtipatum e conſpectu ſuo re[illegible]leſiaque prohibuerit: de turbis vero ab iiſdem Ro[illegible]us, quibus aliquantulum turbatum ſe commotumque oſtenderat Cornelius altera ſua epiſtola, inania hæc eſſe, ait, atque ab Epiſcopis ſpernenda; alioquin ſubdit: *Actum eſt de Epiſcopatus vigore*, *& de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi*, *ac divina poteſtate*: *nec Chriſtiani ultra aut durare*, *aut eſſe jam poſſumus*, *ſi ad hoc ventum eſt*, *ut perditorum minas*, *atque inſidias pertimeſcamus*. Hæc, aliaque multa in hanc rem Cyprianus, cum Cornelio etiam conquerens, & quidem merito, (ut viſum eſt Baronio), quod tam cito ob ſchiſmaticorum turbas, & minas commotus fuerit, eaque de cauſa vel invitus de ordinatione ſua in Epiſcopum, deque propriis ex tunc geſtis quadriennii tempore, in ſui laudem multa congerit, atque inter cetera, quod

Cyprianus Cornelii epiſtolis reſpondet. *Epiſt.* 59.

Cypr. epiſt. 60.

Bar. an. 255. *n.* 14.

Jesu Chr. An. 252.

De Fortunato & Feliciſſimo Cypriani expoſtulatio.

proſcriptus, applicito, & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine, pluriesque ad leonem in Circo, in Amphitheatro petitus fuerit.

10. Cur vero de Fortunati Pſeudo-Epiſcopi ordinatione a Schiſmaticis peracta non ſtatim ſcripſerit, hanc præcipue rationem affert, quod tanti rem non fecerit, ut de ea feſtinanter ad Apoſtolicam ſedem referre debuerit: præſertim cum pravum Fortunati ingenium notum jam ſatis arbitraretur. Fuerat enim non ita pridem cum aliis quinque presbyteris de Eccleſia profugis abſtentus; idque Cornelium latere non poterat, cui anno ſuperiori de hac re epiſtolæ redditæ fuerant. Feliciſſimus quoque Schiſmaticorum ſignifer, notior adhuc Pontifici haberi debebat, nam præter ea, quæ ipſi cum Fortunato communia erant, eum Cornelius ipſe de Eccleſia nuper ejecerat. Ceterum exemplo ſuo, qui Novatiani Legatos ad ſe miſſos contempſerat, Cornelium monet, ne impios Schiſmaticorum conatus tanti faciat.

Cypriani in Schiſmaticis reconciliandis ſolicitudo.

11. Hæc non ideo ajebat Cyprianus, quod ſibi Schiſmaticorum crimina comperta minus eſſent, quin potius ſcelerum eorum longum texit catalogum; ac illud præ ceteris improbat, quod navigare, & ad Petri Cathedram, *unde*, inquit *unitas Sacerdotalis exorta eſt*, auſi fuiſſent accedere, nec cogitaſſe eos eſſe Romanos, *quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt; ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum*. Sed ab iis non admodum timendum cenſebat, quod & cogniti eſſent, ac eos fidelis populus magnopere averſaretur; nam de Catholicæ Carthaginenſis Eccleſiæ plebis in eos odio, hæc ipſe teſtatur: *O ſi poſſes, frater ca[illegible]ime, iſthic intereſſe nobiſcum, cum pravi iſti, & per [illegible] [illegible]iſmate revertuntur, videres quis mihi labor ſit perſua[illegible] [illegible]ientiam fratribus, ut animi dolore ſopito, recipiendis malis, curandiſque conſentiant. Namque, ut gaudent, & lætantur, cum tolerabiles, & minus culpabiles redeunt; ita e contra fremunt, & reluctantur, quoties inemendabiles, & protervi, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati, & poſt hæc adhuc inſuper & ſuperbi ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, immo extorqueo, ut tales patiantur admitti.* Eamdem Romanæ Eccleſiæ filiis mentem exoptat, & Cornelium rogat, ut hanc epiſtolam ſuam præſente Clero, & plebe legere faciat; ut nempe, ſi quod illic contagium veneuati ſermonis, & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, id omne de fratrum auribus, & pectoribus exuatur.

Schiſmatici ad Eccleſiam redeuntes vix recepti.

12. Cum

Ad Tibaritanos Cyprianus ſcribit, & Librum de exhortatione martyrii ad Fortunatum. *Cypr. epiſt. 58.*

12. Cum Tibaritani Cyprianum, ut ad ipſos veniret, ſæpiſſime rogaſſent, ac eum videndi deſiderio ſe quammaxime teneri, teſtati eſſent; quos præſentia ſolari non poterat, litteris adiit, ut eos de inſtanti perſecutione admoneret, ac ad prælium exhortatione ſua excitaret. Eadem autem ſævien te perſecutione, ideſt Galli, & Voluſiani, ad Fortunatum epiſtolam, ſeu libellum de exhortatione martyrii dedit, quo Scripturarum auctoritate commiſſum ſibi gregem erigere, diviniſque oraculis fidem confirmare curavit. Hunc de exhortatione martyrii libellum falſo ſcribit Balutius Cypriano Pearſonium abjudicaſſe, qui tamen multis argumentis anno 252. Annalium Cyprianicorum contrarium vindicat his verbis: *Hic autem a nobis objectio eſt removenda, quæ ſuadere videatur hunc libellum, nec hoc anno 252., nec a Cypriano ſcribi potuiſſe. Auctor enim libelli quſquis fuit, Cypriano multo junior ex his ipſius verbis fuiſſe videri poteſt*; dum ait: *Adverſarius vetus eſt, & hoſtis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat*, hoc eſt ab initio Mundi. Cumque hanc ex Auctore memorati libri difficultatem propoſuiſſet, hiſce ſequentibus verbis ſolvit: *obſervandum eſt veteres, longe aliam Mundi æram, quam receniores ſecutos eſſe; illi enim docuerunt, Chriſtum ipſum natum eſſe an[illegible] Mundi quinquies millia quingenteſimo. Horum aute[illegible], ac præcipue Africani, cujus auctoritas tunc in [illegible]d immerito magna fuit, ſecutum eſſe Cyprianum, ut [illegible] neceſſe eſt. Mirum igitur eſſe non debet, ſi poſt ann[illegible] quam 5750: ſex millia annorum jam pene completa e[illegible]erit*. Quod & aliorum Sriptorum exemplo confirmatur: unde manifeſto patet, Pearſonium de exhortatione martyrii libellum Cypriano adſcripſiſſe, ac oſcitanter nimis Balutium eoſdem percurriſſe.

Balut. in Cypr. not. ad eundem librum edit. Venet. p. 527. Pearſ. annal. Cypr. edit. Amest. pag. 29.

An liber de martyrii laude Cypriano ſit inſcribendus.

13. Materiæ affinitas exigit, ut ad alterum, quem de laude martyrii inſcripſit, ſtylum dirigamus. Hunc libellum poſt Eraſmum Fellus, Dupinius, Tillemontius, aliique Cypriano abjudicant: *Certum eſt*, ait Tillemontius, *librum de laude martyrii Cypriani non eſſe*: idque duobus argumentis conſtare putant, ex orationis ſcilicet diverſitate, & ex libri inſcriptione Moyſi, & Maximo Romanis Confeſſoribus, qui jamdiu defuncti erant, antequam is liber ſcribi potuerit, eo nimirum tempore, quo Romanum Imperium dira vaſtabat lues. Levia tamen

Dupin. Biblioth. t. 1. p. 515. Tillem. tom. 4. not. 14. in Cyprianum.

Jesu Chr. An. 252.

Bar. an. 255. 38.

Baluz. not. in Cypr.

August. de doct. Christ. lib. 4. 12.

men hæc eſſe, non immerito Baluzius, & Baronius adnotant. Nam etſi negari non poſſit inſcriptionem a recentiore quodam additam fuiſſe, librum nihilominus Cypriano abjudicandum eſſe inde non ſequitur. Argumentum vero ex diverſitate ſtyli petitum incertum omnino eſt; ſcimus enim Cyprianum, æque ac alios Patres, & Scriptores, diverſo ſæpe dicendi genere pro materiæ varietate uſos fuiſſe: Cypriano vero id accidiſſe, adnotat Auguſtinus.

De perſecutione in Chriſtianos a Gallo, & Voluſiano excitata.

14. Interea perſecutio Decii interitu extincta, ſub Gallo, & Voluſiano cito revixit, cui cauſam dediſſe videtur graviſſima lues, quæ nonnullas Imperii provincias invaſerat; ac propterea cum frequentiores ſolito diis ſupplicationes fierent, in Chriſtianos, qui ab illorum cultu abhorrebant, & publicarum calamitatum auctores ſæpe habebantur, Gentilium iterum furor exarſit. Unde Cyprianus ad Cornelium hoc anno ſcribens de ſacrificiis celebrar juſſis, ajebat: *Hic ipſis etiam diebus, quibus has ad te litteris feci, ob ſacrificia, quæ edicto propoſito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in Circo.*

De perſecutionis atrocitate.

Dodwel. diſſert. Cypr. 11. de paucitate Martyrum num. 58.

15. Hanc Galli, & Voluſiani perſecutionem leviſſimam fuiſſe autumat Dodwellus: *ut nec veroſimile ſit inſigni aliqua feritate uſos eſſe perſecutores, & intra Italiæ limites concluſa; nec enim conſtat extra Italiam illum emanaſſe Imperatoris edictum.* Cum tamen [illegible] fatente, Deciana hæc ſævior fuerit, jam patet [illegible]imam eam fuiſſe, & extra Italiæ limites efferbuiſſe; [illegible] Carthagine *ſacrificia celebrare, edicto propoſito,* [illegible] *jubebatur*, ait Cyprianus. Immanius vero in Chriſtiano[illegible]a perſecutione ſævitum fuiſſe, teſtes ſunt Cyprianus idem & Dionyſius, Dodwello ſane, & ætate, & auctoritate digniores: *Neque Gallus culpam Decii intellexit, nec proſpexit, quid tandem illum peſſumdediſſet*, ait Dionyſius, *quin potius ad eumdem lapidem ante oculos ſuos poſitum impegit; qui cum Imperium ipſius proſpero in ſtatu eſſet, viros ſanctos, qui pro pace, & incolumitate ipſius preces ad Deum allegabant, inſectatus eſt, cum illis ergo orationes pro ipſo fieri ſolitas ſimul fugavit.* Cyprianus autem in epiſtola, ſeu libro ad Demetrianum, ea vigente perſecutione dato, ſæviſſimam fuiſſe ſatis aperte indicat: *Innoxios, juſtos, Deo caros, domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis, gladio, ignibus punis. Admoves lanian-*

Euſeb. lib. 7. 1.

Cypr. ad Demetr. pag. 129.

niandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia, nec feritas, atque immanitas tua uſitatis poteſt eſſe contenta tormentis, excogitat novas pœnas ingenioſa crudelitas. Jesu Chr. An. 252.

16. Ipſo perſecutionis exordio Cornelius Romanus Pontifex Centumcellas a Gallo Imperatore relegatus eſt, cujus in fide conſtantiam Cyprianus epiſtolis ſuis quammaxime commendat: *Cognovimus, frater cariſſime*, ait, *fidei, ac virtutis veſtræ teſtimonia glorioſa, & confeſſionis veſtræ honorem ſic exultanter accepimus, ut in meritis, ac laudibus veſtris nos quoque participes, & ſocios computemus*: & poſt plurima: *Virtus illic Epiſcopi præcedentis publice comprobata eſt, adunatio ſequentis fraternitatis oſtenſa eſt. Dum apud vos unus animus, & una vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt. Claruit, fratres cariſſimi, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicavit.* Hæc, aliaque plurima Cyprianus ad Cornelium, qui exilii ærumnis, laboribuſque confectus, paulopoſt die decimaquarta Septembris Martyr ibidem occubuit: *Poſt hoc*, ait Pontificale Damaſi, *Centum-Cellas expulſus, ibi cum gloria dormitionem accepit.* Diem obitus Hieronymus docet, dum de Cypriano ait: *Paſſus eſt ſub Veleriano, & Gallieno perſecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno*: nempe decimo octavo Kal. Octobris, qua die Cyprianum conſtat martyrio coronatum fuiſſe, [illegible] memoria celebratur. Sedit autem annum unum, [illegible], dies decem, a die ſcilicet quarta Junii ſuperioris [illegible]cimam quartam Septembris labentis, ut a viris [illegible]adnotatum eſt. Quo mortis genere obierit, aut quos [illegible] paſſione ſocios habuerit, non conſtat. Si genuina eſſet ejuſdem epiſtola ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum data, quam Annalibus ſuis inſeruit Baronius, aut martyrii Acta ibidem relata, plurima quidem dicenda ſupereſſent: at ex apocrypha epiſtola, ſpuriiſque actis Annalium molem augère nolumus.

Cornelius Papa in exilium mittitur, ibique Martyr occubuit. Cypr. epiſt. 60.

Hieronym. de Vir. Ill. c. 67.

Coutan. p. 123. Pag. not. ad an. 255.

17. Inter Eccleſiaſticos Scriptores Cornelius Papa ab Hieronymo recenſetur, de quo: *Cornelius Romanæ Urbis Epiſcopus, ad quem Cypriani octo extant Epiſtolæ, ſcripſit epiſtolam ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana: aliam de Novatiano, & de his, qui lapſi ſunt: tertiam de geſtis Synodi: quartam ad eumdem Fabium valde prolixam, & Novatianæ hæreſeos cauſa, & ana-*

De ſcriptis Cornelii Papæ. Hieron. c. 66.

JESU CHR. AN.252.

anathema continentem: rexit Eccleſiam duobus annis (incompletis ſcilicet) *ſub Gallo, & Voluſiano, cui, ob Chriſtum martyrio coronato, ſucceſſit Lucius*.

De Hippolyto presbytero, & martyre.

Ruinart. act. martyr. p. 156.

Prudent. hym. 11.

18. Cornelio Pontifici & Martyri Hippolytum Romanum presbyterum jungimus, cujus martyrium anno 252. accidiſſe tradit Ruinartius. Is, cum Novati partes aliquando ſectatus fuiſſet, tandem ad Catholicam Eccleſiam rediens, glorioſo certamine pro fide inito, eam illuſtriorem reddidit; nam cum ad ſupplicium duceretur, interrogatus a plebe, quam partem amplecti debuiſſet, Novati ſchiſma deteſtans, ceteros illud vitare docuit. Hippolyti laudes Prudentius verſibus ſuis celebravit, ut ſupra de Hippolyto Portuenſi agentes adnotavimus. De Romano Hippolyto, & Cornelii in paſſione ſocio, inter cetera hæc habet:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus....
Invenio Hippolytum, qui quondam ſchiſma Novati
Presbyter attigerat, noſtra ſequenda negans;
Uſque ad martyrii provectum inſigne, tuliſſe
Lucida ſanguinei præmia ſupplicii.
Nec mirere ſenem perverſi dogmatis olim,
Munere ditatum Catholicæ fidei.
Cum jam veſano victor raperetur ab hoſte,
Exultante [illegible] *ad exitium,*
Plebis amore [illegible] *comitantibus ibat,*
Conſultus [illegible] *foret melior,*
Reſpondit: Ergo [illegible] *iſeri, exeeranda Novati*
Schiſmata. Cat[illegible]*icis reddite vos populis.*
Una fides vigeat, priſco quæ condita templo eſt,
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.
Quæ docui, docuiſſe piget, venerabile martyr
Cerno, quod a cultu rebar abeſſe Dei.
His ubi detorſit lævo de tramite plebem,
Monſtravitque ſequi, qua via dextra vocat,
Seque ducem recti ſpretis anfractibus idem
Præbuit, erroris qui prius auctor erat:
Siſtitur inſano Rectori, Chriſticolas tunc
Oſtia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma ſeceſſerat, ipſos
Peſte ſuburbanos ut quateret populos:

Non

Non contentus humum celſa intra mœnia Romæ
Tingere juſtorum cædibus aſſiduis.
Janiculum cum jam madidum, Fora, Roſtra, Suburram
Cerneret eluvie ſanguinis affluere:
Protulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæque loca æquoreus proxima portus habet.

Jasu Chr. an. 252.

Et poſt aliqua de quæſtione, & ſupplicio aliorum Martyrum, de Hippolyto ſubdit:

Hippolytus ad Oſtia Tyberina martyrio coronatur.

Hæc perſultanti celſum ſubito ante tribunal
Offertur ſenior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore fremebant,
Ipſum Chriſticolis eſſe caput populis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
Pectora Romanis ſponte ſacranda Deis.
Inſolitum lethi poſcunt genus, & nova pœna eſt
Inventa exemplo, quo trepident alii.
Ille ſupinata reſidens cervice: Quis, inquit,
Dicitur? adfirmant dicier Hippolytum.
Ergo ſit Hippolytus, quatiat, turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis.

Deinde mira elegantia martyrii feritatem deſcribit, diſcerptaque membra a Fidelibus collecta, Romam aſportata, atque in ſubterraneis Cryptis, ſeu Catacumbis condita fuiſſe narrat, cujus memoriam Idibus Auguſti multa populorum frequentia celebratam fuiſſe, idem Chriſtianus poeta teſtatur.

19. Quouſque vero hæc Galli perſecutio, quibuſve locis præcipue ſævierit, teſtium penuria definiri non poteſt. Id tamen certum eſt, cum Dodwello errare, quotquot eam Italiæ fines nullatenus exceſſiſſe exiſtimarunt, ut Cypriani epiſtolæ ad Cornelium Pontificem, ad Fortunatum, ad Tiberitanos de exhortatione martyrii, aliæque eo tunc ab eodem ſcriptæ indubitanter evincunt. Clarius adhuc idem patet ex altera ad Demetrianum epiſtola, ſeu libro hoc anno edito, cum lues, & fames per Orbem ſævirent. Unde cum illud Cypriano objeciſſet Demetrianus, ob neglectum Deorum cultum, eas calamitates Imperio, Chriſtianorum cauſa, accidiſſe, Cyprianus ea quidem fieri adnotat, non *quod Dii veſtri a nobis non colan-*

An Galli perſecutio ultra Italiæ fines graſſata ſit. *Pag. not.* 18. 19.20. *In Bar. an.* 255.

De Libro ad Demetrianum.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 252.

colantur, ſed quod a vobis non colatur Deus. Initio autem perſecutionis Galli ad Demetrianum ea ſcripſiſſe Cyprianum Pearſonius tradit, rationibuſque confirmat. Cypriano familiaritate quadam uſum fuiſſe Demetrianum, ejuſdem Cypriani verba teſtantur, quibus eum interpellat: *Cum ad me ſtudio magis contradicendi, quam voto diſcendi venires, & clamoſis vocibus perſonans, malles tua impudenter ingerere, quam noſtra patienter audire*. Et rurſus procacitatem ejus caſtigans: *Reſpondeo igitur & tibi, Demetriane, pariter & ceteris, quos tu forſitan concitaſti, & adverſum nos odia tuis maledicis vocibus ſeminando, comites tibi plures radicis, atque originis tuæ pullulatione feciſti*. De crudelitate vero, qua tunc Chriſtiani a Gentilibus, & ab ipſo Demetriano, qui Carthagine jus dicebat, vexabantur, hæc addit: *Unde nobis cum maxime ſermo eſt, quod nos infeſtatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis, atque opprimitis Dei ſervos ..... parum eſt, quod Deus nec quæritur, nec timetur, adhuc inſuper Dei ſervos, & Majeſtati, ac Nomini ejus dicatos, injuſtis perſecutionibus agitatis. Satis non eſt, quod ipſe Deum non colis, adhuc inſuper eos, qui colunt, ſacrilega infeſtatione perſequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis*. Hæc aliaque plura, quæ longum eſſet exſcribere, ibidem de perſecutionis atrocitate Cyprianus, quibus ſane luce clarius eſt, falſo poſt Dodwellum ſcripſiſſe Pagium, eam Italiæ limites non exceſſiſſe.

Lucius Pontifex ordinatur, & in exilium mittitur.

20. Poſt Cornelii martyrium, Lucius in ejus locum ordinatus, Romanam Sedem vix adeptus, juſſus eſt exulare. Hinc cum Cyprianus eodem tempore ordinationem ejus, ac exilium audiſſet, communicatorias, ac gratulatorias, ſuo, Collegarumque ſuorum nomine, epiſtolas ad eum miſit, quæ etſi perierint, ex altera tamen, quæ adhuc extat, ad eumdem poſt reditum data, id totum conſtat: *Nuper quidem tibi, frater cariſſime, gratulati ſumus, cum te bonore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter, & Sacerdotem conſtituit divina dignatio, ſed & nunc non minus tibi, & comitibus tuis, atque univerſæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, & laudibus veſtris reduces vos denuo ad ſuos fecerit benigna Domini, & larga protectio, ut paſcendo gregi paſtor, & gubernandæ navi gubernator, & regendæ plebi rector redderetur, & appareret relegationem veſtram ſic divinitus eſſe diſpoſitam, non ut Epiſcopus relegatus, & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam*

Cypriani epiſtola ad Lucium gratulatoria de ejuſdem Ordinatione, & exilio.

Cypr. epiſt. 61.

Digitized by Google

ſiam major rediret. Hæc de exilio, & reditu Lucii Pontificis Cyprianus: quem anno ſequenti rediiſſe, veroſimile eſt, quo & martyrium ſubiit, ut ſuo loco videbimus.

Dira lues Romanum Imperium vaſtat

Euſeb. lib. 7. 22.

21. Chriſtianorum perſecutioni diram peſtem, quæ Romanum divexabat Imperium, cauſam dediſſe, ſupra adnotavimus; quare Dionyſius Alex. Epiſcopus: *Rurſus oblectavit nos pax illa, quam Chriſtus nobis ſolis indulſit*, poſt Decii interitum: *cum autem breviſſimo temporis ſpatio*, ideſt paucorum menſium, *reſpiraſſemus, ingruit lues illa, &c.* Morbi acerbitas tanta fuit, ut Eutropius ſcripto reliquerit: *Sola peſtilentia, & morbis, atque ægritudinibus notus Galli, & Voluſiani Principatus fuit*. Euſebius quoque in Chronico ad hunc annum: *Peſtilens morbus multas totius Orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam, & Ægyptum, ut ſcribit Dionyſius, & Cypriani de mortalitate teſtis eſt liber*.

Unde, & qua de cauſa peſtis exorta ſit.

Niſſen. in Vita Greg. tom. 3.

22. In Æthiopia autem luem habuiſſe originem, ac quindecim annis Imperii provincias pervagaſſe, auctor eſt Cedrenus. Neoceſareæ tamen in Ponto exortam, atque a maligno dæmone immiſſam, narrat Niſſenus in vita Gregorii Thaumaturgi. Cum enim Feriæ quædam Neoceſareæ Dæmoni cuidam domeſtico ſolemni ritu celebrarentur, tanta confluentium Neoceſaream multitudo fuit, ut non modo theatrum plenum eſſet, ſed & ſcena tumultus & trepidationis, cum nullam aut ex cantu delectationem, aut ex circulatorum, præſtigiatorumque ludis capere poſſent, quare communis e medio vox repente erupit dæmonem, cujus diem feſtum agebant, implorantium, & ab illo ſibi laxitatem fieri petentium, quorum precatio hæc erat: *Jupiter fac nobis locum*. Hæc ut Gregorio relata fuerunt, peſtem mox futuram prædixit, quæ continuo graſſata eſt, dum adhuc Feriæ, ludique celebrarentur, ſtatimque tripudiantium choro lamentatio eſt ſubſequuta, ut pluribus eo loco narrat Niſſenus.

Percuſſi peſte Gentiles ad Gregorium confugiunt.

23. In immenſum autem excreſcente vi morbi, Gregorium turmatim Gentiles adibant, ut in tanta ſuorum ſtrage opem ferret, ac ut mali impetum ſiſteret; una quippe periclitantibus, ut experientia didicerant, ſpes erat, ſi illorum ædes vir ſanctus ingrederetur, ac per preces morbum, qui domum invaſiſſet, repelleret. Cum itaque per eos, qui primi ea ratione ſervati erant, ad omnes fama celeriter permanaſſet; ceteris ad fugandum morbum omiſſis, quæ hactenus aut ex Ido-

Jesu Chr. AN.252.

Gentiles ad Chriſtum converſi.

Idolorum vanitate, vel ex medicorum arte experti fuerant, ad Gregorium confugerunt: quo factum eſt, ut ſancti viri pietatem admirantes, chriſtianam quoque fidem, ab eo tot miraculis confirmatam, quamplurimi ſuſciperent. *Atque ita ſimulacrorum cultus errore deprehenſo, omnes ad nomen Chriſti traducebantur; pars urgente morbo ad veritatem quaſi manuducti; pars etiam fidem in Chriſtum, quaſi munimentum, quo tuti eſſent, adverſum peſtem objicientes.* Hucuſque Niſſenus de lue, quæ in Ponto graſſata eſt, & de curatione divinitus Gregorii precibus tributa.

Cypriani exhortatio tempore peſtis. *Pontius in vita Cypr.*

24. Quæ autem, ea graſſante peſte, Cyprianus peregerit, Pontius in ejus vita pluribus narrat: quod ſcilicet, cum vim morbi omnes horrerent, atque ut mortem vitarent, ſuos etiam quiſque deſereret, morituroſque exponeret; vir Dei congregatam plebem de miſericordiæ bono inſtruxit, ac divinæ Scripturæ exemplis, quantum ad promerendum Deum proſint officia pietatis, edocuit, addens non in Chriſtianos tantum ea eſſe præſtanda, ſed etiam in Gentiles, ac in fidei hoſtes.

Quid eo tunc egerint Fideles.

Quapropter tantus fuit in ſubveniendis infirmis aut morituris Fidelium ardor & alacritas, ut diſtributis continuo pro qualitate hominum, atque ordinum miniſteriis, multi, qui anguſtia paupertatis ſumptus exhibere non poterant, proprio labore mercedem, divitiis omnibus cariorem, exhibebant, ceteri vero pecunia Chriſtianos æque ac Gentiles pro viribus ſublevabant, ut ibidem pluribus perſequitur Pontius, ac deinde: *His tam bonis, & tam piis actibus ſupervenit exilium*, de quibus infra ſuo loco dicturi ſumus.

S. Cypriani liber de mortalitate.

25. Quod autem ait Pontius, ea urgente peſtilentia, ad mala toleranda, divinamque gratiam pietatis officiis promerendam, Chriſtianam plebem Cyprianum docuiſſe, librum de mortalitate ab eo tunc editum innuit, quo ad omnium tolerantiam, & humanæ vitæ contemptum Fideles excitavit. Quia tamen horum aliqui ægre ferebant, aut ſaltem mirabantur, quod eadem cum gentilibus paterentur, his eos verbis alloquitur: *Si qua conditione, qua lege crediderit Chriſtianus, noſcat, & teneat: ſciet plus ſibi, quam cæteris in hoc ſæculo laborandum, cui magis ſit cum diaboli impugnatione luctandum.*

Chriſtianorum, & Gentilium in obitu differentia.

Quantum vero diſpar utrorumque conditio eſſet, ideſt, quam diverſus Chriſtianorum a ceteris exitus, his verbis declarat: *Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, hoc eſt, multi*

ex

ex noſtris de ſæculo liberantur. Mortalitas iſta ut Judæis, & Gentilibus, & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſervis ſalutaris exceſſus eſt. Et paulo inferius: *Improvidi, & ingrati ſumus ad divina beneficia; nec quid nobis conferatur, agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria ſua virgines, venientis Antichriſti minas, & corruptelas, & lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis evadunt ad continentiæ, atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt: tormenta jam non timet delicata matrona, metum perſecutionis, & manus, cruciatuſque carnificis moriendi celeritate lucrata; pavore mortalitatis, & temporis accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignavi, deſertores compelluntur, ut redeant, Gentiles coguntur, ut credant*: & poſt multa in eamdem rem: *Sed fortaſſe aliquis opponat, & dicat, hoc me ergo in præſenti mortalitate contriſtat, quod qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad tolerantiam paſſionis toto me corde, & plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte prævenior. Primo in loco, non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium; nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis, an merearis accipere.*

Jesu Chr. An. 252.

26. Ut dictis vero ſuis auctoritatem conciliaret, quæ divinitus ſibi oſtenſa, aut revelata fuerant, ad eam rem confirmandam aperuit: inter cetera cum quidam de collegis, & conſacerdotibus jam infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſollicitus, commeatum ſibi precaretur; aſtitit deprecanti, & jam pene morienti juvenis honore, & majeſtate venerabilis, ſtatura excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, qui non ſine quadam animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit: *Pati timetis, exire non vultis? Increpantis vox, & monentis eſt. Audivit frater noſter collega moriturus, quod ceteris diceret, nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit, ut diceret; audivit non ſibi ille, ſed nobis. Nam quid diſceret jam receſſurus? didicit immo nobis remanentibus; ut dum Sacerdotem Dei, qui commeatum petebat, increpatum eſſe comperimus, quid cunctis expediat, agnoſceremus.* Deinde ſibi quoque frequenter, ac manifeſte revelatum fuiſſe ſubdit, ut conſtanter, aſſidue, & publice admoneret, ne fratres e ſeculo recedentes lugerent, aut nec atras in eorum exitu veſtes induerent, tamquam extinctos & perditos lugerent fratres, quos ver-

Divina viſio morienti oſtenſa.

Cypr. ut ſup. pag. 114.

JESU CHR. AN.252. verbis apud Deum vivere teſtabantur ; ſed de his hactenus.

Bella cum peſte Imperium populantur. *Euſeb. lib. 7. 22.* *Zoſim. lib. 1.*

27. Quam Rom. Imperio vaſtitatem peſtis attulerat, bella undique exorta auxerunt. *Poſt hæc*, inquit Dionyſius Alex. Epiſcopus, *bellum, & fames excepit, quæ quidem nos cum Gentilibus conjunctim pertulimus*. Zoſimus vero: *Cum negligenter Imperium Gallus adminiſtraret, primum quidem Scythæ nationibus ſibi finitimis turbas dabant, deinde paulatim progreſſi ad ipſum uſque mare ſita rapinis exhauriebant*, ut vix ulla Romanæ ditionis gens ab eorum cladibus immunis fuerit. Nec minus bello, quam ubique graſſante lue, quidquid erat humani generis reliquum abſumptum eſt. His ſubdit, Gothos Europam, Perſas Orientem devaſtaſſe, hoſque, capta Antiochia, cives aut necaſſe, aut in ſervitutem adduxiſſe: demum disjectis mœnibus, dirutiſque ædificiis, magna onuſtos præda in Perſidem rediiſſe.

Chriſtiani in captivitatem ducti, a Cypriano redempti. *Cypr. epiſt. 62.*

28. In tanta igitur provinciarum devaſtatione, cum Fidelium plurimi cujuſcumque generis in captivitatem perducti eſſent, Cyprianus de eorum redemptione ſollicitus, magnam pecuniæ ſummam, quam ex ſua, & vicinioribus Eccleſiis collegerat, tranſmiſit, ut in epiſtola ad Epiſcopos Numidiæ teſtatur: *Cum maximo animi noſtri gemitu, & non ſine lacrymis legimus litteras veſtras, fratres cariſſimi, quas ad nos pro dilectionis noſtræ ſollicitudine de fratrum noſtrorum, & ſororum captivitate feciſtis. Quis enim non doleat in ejuſmodi caſibus? aut quis non dolorem fratris ſui ſuum proprium computet? cum loquatur Apoſtolus Paulus, & dicat, ſi patitur unum membrum, compatientur & cetera membra*. De virginibus præcipue ſollicitus erat Cyprianus, in quibus non tantum libertatis, ſed & pudoris jactura plangenda, nec tam vincula barbarorum, quam lenonum, & lupanarium ſtupra pertimeſcenda: quare *miſimus*, ait poſt aliqua, *ſeſtertium centum millia nummum*. Summam quidem maximam, quæ quinque millia circiter ſcutorum Romanorum conficit, ut apud Aldum videri poteſt. Quam porro non ſolum ex Carthaginenſi plebe, ſed & ex fi[illegible]mis Eccleſiis collegerat; unde ſubdit: *Ut autem fratres noſtros, ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium prompte, ac libenter operati ſunt, ut ſemper operentur, in mentem habeatis in orationibus veſtris, & eis vicem boni operis in ſacrificiis, & precibus repræſentetis, ſubdidi nomina ſingulorum; ſed & collegarum quoque, & conſacer-*

Salengra to. 1. ſupplem. ad Theſ. Grævii & Gronovii.

dotum

Digitized by Google

dotum noſtrorum, qui & ipſi cum præſentes eſſent, & ſuo, & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi; & præter quantitatem propriam noſtram, eorum quoque ſummulas ſignificavi, & miſi: quorum omnium, ſecundum quod fides, & charitas exigunt, in orationibus, ac precibus veſtris meminiſſe debetis. Optamus vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere. Hactenus Cypriani epiſtola. Qui fuerint Barbari, qui Numidiam excurſantes tot Chriſtianos captivos duxerant, nobis quidem non conſtat; varia enim a variis proferuntur. Itáque ſat erit nobis commemoraſſe Cypriani, aliorumque Epiſcoporum, quin & Chriſtianæ plebis effuſam, promptamque in iis liberandis caritatem.

JESU CHRISTI AN. 253. STEPHANI PAPÆ I. VALERIANI, ET GALLIENI IMPERATOR. I. COSS. VIBIO VOLUSIANO AUG. II., ET M. VALERIO MAXIMO. OLYMPIAD. 258. AN. I. URBIS AN. 1006.

1. Cum Romam ſub exitum ſuperioris anni, vel hujus initium, Lucius Papa rediiſſet, martyrio coronatus die quinta Martii occubuit, ut legitur in Indiculo Bucheriano depoſitionis Epiſcoporum: *Tertio nonas Martii Lucii in Calliſti*. In chronico Damaſi: *Deceſſit tertio nonas Martii*. In Pontificali vero, *quarto nonas Martii*, qua die ſepultum fuiſſe, veroſimile eſt. De tempore quidem, quo Lucius Pontificatum tenuit, diſſident eruditi. Biennio ſediſſe aliqui tradunt: longe tamen breviori tempore eum Romanæ Eccleſiæ prefuiſſe, Bucherii Catalogus indicat, dum Voluſiano II., & Maximo Coſſ., Stephanum ejus loco ordinatum refert: quod clarius teſtatur Euſebius, qui menſes octo eidem adſcribit: *Cum Cornelius*, inquit, *tribus circiter annis Epiſcopatum tenuiſſet; Lucius in ejus locum ſubſtituitur, qui vix octo menſium ſpatio perfunctus eo munere, moriens Epiſcopale officium Stephano reliquit*. Nicephorus vix ſeptem menſes Pontificatum tenuiſſe affirmat: Henſchenius vero in conatu Chronologico hiſtorico, Stephanum hoc quidem anno ordinatum tradit; ſed per biennium, tamquam Lucii Vicarium, Romanam adminiſtraſſe Eccleſiam: quare biennium quoque Lucii martyrium differt. At cum Pontificum Romanorum vicarii, antiquis ſcriptoribus ignoti fuerint, & eorumdem Pontificum chronotaxim difficultatibus ſæpe,

Lucii Papæ obitus.

Pearſ. annal. Cypr. an. 253. Pag. not. ad an. 253. 2. 3. Coutan. pag. 206.

Euſeb. lib. 7. 2.

Niceph. lib. 6. 7.

Propylæ ad Acta SS. Maji.

Pag., Pearſ. ut ſup.

JESU CHR. AN. 253.

ſæpe, tenebriſque obvolutam, obſcuriorem, ac intricatiorem reddant, idcirco ab eruditis vix probantur; unde ſeptem, aut octo menſes Rom. rexiſſe Eccleſiam, cum Euſebio adnotaſſe contenti ſumus.

Lucius Papa Martyr occubuit. *Cypr. epiſt. 68.*

2. Martyrio autem Lucium etiam vitam finiiſſe, auctor eſt Cyprianus, dum ad Stephanum ſcribens, Cornelium, æque ac Lucium glorioſo martyrio coronatos fuiſſe, narrat: *Servandus eſt anteceſſorum noſtrorum, beatorum martyrum Cornelii, & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater cariſſime, honorificare, & ſervare gravitate, & auctoritate tua debes, qui vicarius, & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni ſpiritu Dei, & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt.* Cum vero Cyprianus Stephanum Lucii vicarium, ſucceſſoremque dicit, alio plane ſenſu vicarii phraſim adhibuit ab eo, quæ vulgo ſolet uſurpari, ut nempe illum ſignificet, qui alterius vices gerit; nam vicarius, & ſucceſſor idem eſt apud Cyprianum, ideoque Stephanum non ſolum Lucii vicarium dicit, ſed & Cornelii, cujus ſane vicarius dici non poteſt. Lucii nomine unicam epiſtolam ſuppoſuit Iſidorus ad Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos datam, *Gallo & Voluſiano viris clariſſimis Conſulibus*; quam vel ipſa ſubſcriptio apocrypham prodit, uti eruditorum neminem fugit.

StephanusPapa ordinatur.

3. Lucio ſucceſſit Stephanus, de quo in Bucheriano catalogo: *Stephanus annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum, fuit temporibus Valeriani, & Gallieni, a conſulatu Voluſiani, & Maximini, uſque Valeriano III., & Gallieno II.* ſed Maximini loco legendum eſt Maximi hujus anni Conſulis; & loco uſque Valeriano III., & Gallieno II., legendum uſque Valeriano IV., & Gallieno III., ut anni quatuor, quibus Pontificatum tenuiſſe ſcimus, inveniri poſſint.

Coutan. p. 211. Pag. an. 253. Pearſ. annal. Cypr. 253.

Cyprianus morem offerendi aquam in calice reprobat.

4. Interea cum Cyprianus, Fidelium ſaluti, extirpandiſque erroribus intentus, Epiſcopos, aut Sacerdotes aliquot, ſolam aquam in Dominico calice offerre, ac diſtribuere comperiiſſet, ne ultra id fieret, graviſſime monuit, contrariam conſuetudinem, omneſque prætextus, uti corruptelam redarguens:

Cypr. epiſt. 63.

Quoniam quidam, vel ignoranter, vel ſimpliciter in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter Sacrificii hujus auctor, & doctor fecit, & docuit, religioſum pariter, & neceſſa-

ceſſarium duxi, has ad vos litteras facere, ut ſi quis in iſto errore adhuc teneatur, veritatis luce perſpecta, ad radicem, atque originem traditionis Dominicæ revertatur. Et paulò poſt: *Admonitos autem nos ſcias, ut, in calice offerendo, traditio ſervetur; neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur*: quod pluribus deinde probat, tum veteris, novique Teſtamenti figuris, & præceptis, cum etiam Chriſti, & Apoſtolorum exemplo. De conſuetudine verò offerendi ſolam aquam addit: *Non eſt ergo, frater cariſſime, quod aliquis exiſtimet, ſequendam eſſe quorumdam conſuetudinem, ſi qui in præteritum ſolam aquam offerendam putaverunt, quærendum eſt enim, ipſi quem ſint ſecuti. Nam ſi in Sacrificio, quod Chriſtus obtulerit, non niſi Chriſtus ſequendus eſt &c.* Quia vero nonnulli ſola aqua in matutino ſacrificio ideo utebantur, ne vini odore a perſecutoribus dignoſcerentur, inane hoc etiam effugium refellit, atque ut, quæ a Domino inſtituta, & traditione firmata fuerant, quam diligentiſſime ſervarentur etiam atque etiam hortatur, & præcipit.

JESU CHR. AN. 253.

Aquariorum prætextus refelluntur.

5. Hoc itidem anno, poſt Galli, & Voluſiani interitum, cum Valerianus pacem Eccleſiis reddidiſſet, frequentiſſimam Synodum Carthagine Cyprianus celebravit, cui ſexaginta ſex Epiſcopi adfuerunt. Porro coram omnibus inter cetera lectæ ſunt Fidi Epiſcopi epiſtolæ, quibus de collega ſuo Therapio Epiſcopo querebatur, quod Victorio presbytero ante peractam plenam pœnitentiam, pacem dediſſet: idemque Fidus Synodum interrogavit, num infantes ante octavum diem baptizare liceret. Dubitandi autem ratio inde petita eſt, quod apud Hebræos octavo tantum die pueri circumciderentur; tum etiam quia infantuli recentiſſime nati ad oſculum (ut in baptiſmate uſurpabatur) non tam facile admittebantur. Propoſitæ itaque quæſtioni, Fidique querelis, Synodi nomine, Cyprianus reſpondens, graviter quidem commotam fuiſſe ait Synodum, quod *Therapius immaturo tempore, & præpoſtera feſtinatione pacem dederit*. Sed librato conſilio decreviſſe, *objurgare Therapium, quod hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cetero faciat. Pacem tamen quomodocumque a Sacerdote Dei ſimul datam non putavimus auferendam*. Ad quæſtionem vero de Infantium baptiſmate, octavum diem, juxta Judæorum morem, nequaquam expectandum eſſe, Concilio viſum

Carthaginenſis Synodus a Cypriano celebrata. *Cypr. epiſt. 64.*

Infantes ante octavum diem baptizari poſſunt, ac debent.

Jesu Chr. an. 253. viſum fuiſſe ſignificat; cum nulli hominum miſericordia Dei & gratia neganda ſit. Ad id vero, quod Fidus addiderat, paucorum dierum infantes immundos eſſe, nec facile ad oſculum admitti poſſe, inane eſſe ſubdit, cum ſcriptum ſit. *Omnia munda ſunt mundis. Nec aliquis noſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere.* Hæc aliaque in eamdem rem Cyprianus.

Cypriani epiſt. ad Aſſuritanos.

6. Per idem tempus cum nonnulli Epiſcopi, aut Presbyteri ob Idololatriæ crimen, loco dignitateque dejecti, non ſolum communionem ante peractam pœnitentiam peterent, ſed & gradum, ſedeſque aut retinere, aut recuperare conarentur; ne tam turpiter Eccleſiæ diſciplina laxaretur, aut canones violarentur, quibus juſſum erat, ut qui ex clero ſacrificaſſent, poſt expletam pœnitentiam, laica communione contenti eſſent, reſtitit Cyprianus, ut ejuſdem epiſtola ad Aſſuritanos data teſtatur. In ea ſiquidem Fortunatiani Aſſuritanorum quondam Epiſcopi, ut ipſe ait Cyprianus, temeritatem arguit, qui, cum in Decii perſecutione ſacrificaſſet, Sedem tamen ſuam retinere aut vindicare præſumebat: eaque propter ad Epictetum, quem in Fortunatiani locum ordinatum fuiſſe vero proximum eſt, & ad plebem Aſſuritanam (oppidum erat in Proconſulari provincia Africæ) ſcribens: *Graviter, & dolenter motus ſum*, inquit, *fratres cariſſimi, quod cognoverim Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum, poſt gravem lapſum ruinæ, pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vindicare cæpiſſe*: quos ideo monet, hortaturque, ut ab ejus communione, ſocietateque recederent.

Cypriani epiſt. de abſtinendo Martiale, & Baſilide. *Cypr. epiſt. 67.*

7. Eo etiam ſpectant aliæ Cypriani epiſtolæ hoc eodem tempore ſcriptæ, cujuſmodi ea eſt, quam ſuo, & Concilii Carthaginenſis nomine, cui Epiſcopi trigintaſex interfuerunt, dedit ad Felicem presbyterum, plebemque Legionenſem, & Aſturicenſem, necnon ad Lælium Diaconum, ac plebem Emeritenſem, de abſtinendo ſcilicet Martiale, & Baſilide olim Epiſcopis, & in qua inter cetera hæc habentur: *Cum in unum conveniſſemus, legimus litteras veſtras, fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem, & Sabinum Coepiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes Baſilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere: & deſidera-*

deraſtis ad hæc vobis reſcribi, & *juſtam pariter*, *ac neceſſariam ſollicitudinem veſtram*, *vel ſolatio*, *vel auxilio noſtræ ſententiæ ſublevari*. Quare eos ſacerdotio indignos eſſe tum veteris, cum novi Teſtamenti auctoritate confirmat; ſimulque innuit interpoſitam a Baſilide ad Romanum Pontificem appellationem juvare eum non poſſe, cujus non tam abolita per eam delicta fuerant, quam cumulata, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ, & circumventionis crimen acceſſerit. *Neque enim tam culpandus eſt ille*, ideſt Stephanus Papa, *quam hic accuſandus*, *qui fraudulenter obrepſit*.

8. *Videas hoc exemplo*, obſervat merito Baronius, *antiquiſſimum uſum Eccleſiæ*, *ex remotiſſimis Orbis partibus*, *Epiſcopos*, *qui aliquid injuſti a Collegis paſſos eſſe prætexerent*, *provocare ſolere ad Romanum Pontificem*, *tamquam primarium Eccleſiæ univerſalis Antiſtitem* Hinc Baſnagius Baronium objurgat, ejuſque geographiam irridet, *qui*, ut ipſe adnotat, *extendendis Papalis monarchiæ limitibus*, *Hiſpaniam Tarraconenſem in remotiſſimis Terrarum partibus collocavit*. Nos vero magis miramur Baſnagii cenſuram, qua non ſolum ſententias, ſed & verba Baronii penſitat, eique culpæ vertit, quod Hiſpaniæ oras remotiſſimas ab Italia dixerit: jure, vel injuria, Grammaticorum judicio relinquimus, quorum ferulam ſi effugere ſe poſſe confidit, in hiſtoria tamen ipſum peccaſſe turpiter, nemo negabit; dum Baſilidem ex ſententia Epiſcoporum Hiſpaniæ ad Stephanum Romanum Pontificem nequaquam appellaſſe ſcribit, quem manifeſti erroris arguit Cyprianus, de Baſilide ſcribens: *Stephanum longe poſitum adiiſſe*, *ut exambiret reponi in Epiſcopatu*, *de quo fuerat juſte depoſitus*. Quid eſt porro, poſt depoſitionis ſententiam ab Hiſpaniæ Epiſcopis latam, Stephanum adire, ut propriæ Sedi reſtitueretur, niſi ab illorum ſententia ad Romanum Pontificem appellaſſe, ut luculenter tota rerum geſtarum ſeries teſtatur? Neque his obſtat, quod Stephani ſententia, qua Baſilidem Eccleſiæ ſuæ reſtituendum cenſuerat, Cypriano non arriſerit; nam Baſilidem Cyprianus nequaquam ex eo arguit, quod ab Hiſpaniæ Epiſcopis ad Stephanum appellaverit, ſed, quod dolo, mendaciiſque Stephanum deceperit, ut in ſuam Sedem redire poſſet; quemadmodum Cypriani verba manifeſto indicant, dum illum inquit priora delicta *fallaciæ*, & *circumventionis* crimine cumulaſſe.

Vetus appellandi uſus ad Sedem Apoſtolicam.
Bar. 258. n. 3.
Baſnag. ann. 254. 3. 4.
Baſnag. n. 4.

9. Novatiano nuper per totum Orbem *a ſacerdotibus Dei*

Cypriani epiſtola ad Stephanum Papam de Marciano abſtinendo.

Jesu Chr. an. 253. Cypr. epiſt. 68.

abſtento, vix Epiſcoporum quiſquam cum eo communicabat, ſi Pupianum in Africa, & Marcianum Arelatenſem excipias. Hinc factum, ut Fauſtinus Lugdunenſis, aliique Galliarum Epiſcopi, Stephanum litteris ſuis rogaverint, ut Marcianum hæreticum & ſchiſmaticum, Præceſſorum ſuorum, quin totius Orbis ſententia abſtentum, a communione ſua repelleret: cumque Rom. Pontifex rem maturius peragendam cenſeret, ac interea Marcianus Arelatenſi adhuc cathedræ inſidens, gloriaretur, ſe cum Romana ſede communione ſociari, Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus moræ impatiens, de geſtis hactenus cum

Cypr. epiſt. 68.

Marciano Cyprianum certiorem reddidit. Is vero, acceptis Fauſtini ſociorumque epiſtolis, Stephanum his verbis rogavit: *Fauſtinus collega noſter Lugduni conſiſtens, frater cariſſime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ jam vobis ſcio utique nunciata, tum ab eo, quam a cæteris Coepiſcopis noſtris in eadem provincia conſtitutis, quod Marcianus Arelate conſiſtens, Novatiano ſe conjunxerit, & a Catholicæ Eccleſiæ veritate, atque a corporis noſtri, & Sacerdotii conſenſione diſceſſerit, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam pravitatem, ut ſervis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & ad Eccleſiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, divinæ pietatis, & lenitatis paterna ſolatia, & ſubſidia claudantur: nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati; ſed ſine ſpe pacis, & communicationis relicti, ad luporum rapinam, & prædam diaboli projiciantur*. Quamobrem Stephanum rogavit, ut, Marciano abſtento, alioque in ejuſdem locum ordinato, Arelatenſi Eccleſiæ ſubveniret, ne portio illa Chriſtianæ plebis diutius diſſiparetur: ac tandem, ut quem ſuffeciſſet ſibi ſignificaret, *ut ſciamus*, inquit, *ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*.

An epiſtola 68. Cypriano ſit inſcribenda. Bar. an. 258. Pag. il idem. Baſnag. ann. 254. Pearſ. Annal. Cyprianici an. 254.

10. Memoratam ad Stephanum epiſtolam de Marciano Arelatenſi Epiſcopo abſtinendo, quam non ſolum Cypriani editores Pamelius, Balutius, Rigaltius, Fellus, ſed & ſanæ notæ Scriptores Cypriano vindicant, tamquam apocrypham eoque indignam habuit Launojus. Quin tamen erudito viro ſubſcribamus, multa quidem obſtant; nam ut a Baſnagio adnotatur non ſolum Cypriani ſtylo ſcripta eſt, ſed & ea complectitur, quæ Cypriani tempora, mores, diſciplinam maxime ſonant, itaut ovum non ſit ovo ſimilius, quam hæc epiſtola ceteris Cypriani. Alio etiam argumento eam auctori ſuo vindicat Fellus:

etenim

etenim s. Auguſtinus epiſtolæ cujuſdam Cypriani ad Stephanum meminit, quæ prorſus ad quæſtionem de baptiſmate non ſpectat; cumque duæ tantum ejuſdem ad Stephanum epiſtolæ ſuperſint, quarum altera de baptiſmate agitur, ideſt ſeptuageſima; ad hanc omnino reſpexiſſe Auguſtinum, veroſimile eſt. Sed de his ſatis: plura apud ſupracitatos Scriptores videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 253.

11. Cum hoc tempore aliquali pace fruerentur Fideles, Cyprianus tractatum de opere, & eleemoſyna edidit. Et quidem, pacatis Eccleſiæ rebus, ea ſcripſiſſe Cyprianum, hæc verba teſtantur: *Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes dies nos vel redditionis, vel perſecutionis invenerit; nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.*

Cyprianus librum de opere & eleemoſyna edit.

12. Interea Imperii res, quæ tum Galli & Voluſiani inertia, cum Barbarorum incurſionibus, Perſarum ſcilicet in Oriente, & Gothorum in Pannonia, & Norico turbatæ, attritæque erant, turbatiores etiam ob civile bellum hoc anno fuerunt. Nam Æmilianus, qui Pannoniis præerat, ſemel iterumque fugatis Gothis, Imperator ab exercitu ſalutatus, purpuram induit, & collectis viribus in Italiam irruit: cui ad Urbem properanti, cum Gallus, & Voluſianus Imperatores obviam iviſſent, Interamnæ a ſuis militibus interfecti ſunt, iiſque ſublatis a Senatu Populoque Rom. Imperium Æmiliano delatum eſt. De tempore, quo Gal[illegible] & Voluſianus eo potiti ſunt, dubitatum eſt aliquand[illegible] [illegible]erum Scriptorum diſſidia, & numiſmata quæd[illegible] [illegible]tam tribunitiam poteſtatem Galli & Voluſian[illegible] [illegible] eaque de cauſa Baronius quadriennio eos imperaſſe [illegible]; at ipſos nec biennium expleviſſe, exploratum adeo eſt, ut pluribus hiſce immorari non ſit neceſſe. Plura in eam rem alibi videri poſſunt: [illegible] ſane Dexippus coævus ſcriptor apud Sincellum de Gallo & Voluſiano Imperatoribus hæc adnotavit: *Iſti menſibus octodecim, nullo, quod laudem ſibi conciliet, facinore edito ſimul imperarunt.* Euſebius vero: *Gallo interim e vivis ſublato, cum vix biennii ſpatio Imperium tenuiſſet* &c., eademque de Galli & Voluſiani Imperio Oroſius, Jornandes, aliique, quibus & faſtorum editores conſentiunt, ut apud Pagium, & Pearſonium videre eſt.

Galli & Voluſiani interitus, quibus ſuccedit Æmilianus.

Bar. an. 256. n. 35. & 36. Pag. ibid. a num. 13. ad [illegible] 31. hunc an. Pearſonius Annal. Cypr. pag. 34. Georgii Syncel. Chronog. pag. 376. Euſeb. lib. 7. cap. 10.

13. Bre-

JESU CHR. AN. 253.

Valerianus Æmiliano ſuccedit. De Valeriani ingenio & moribus.

13. Breviſſimum, ac vix quadrimeſtre fuit Æmiliani Imperium. Eo enim tempore, quo in Pannonia purpuram induit, Publius Licinius Valerianus, qui in Norico exercitum in Galli &. Voluſiani auxilium parabat, de eorumdem interitu accepto nuncio, Imperator ab exercitu ſalutatus eſt: atque in Italiam continuo adverſus Æmilianum pugnaturus tranſiit, cumque Æmilianus prope Spoletum illi occurriſſet, a ſuis militibus interfectus occubuit; quare Licinius Valerianus mox Romam ingreſſus a Senatu Populoque plaudente iterum Imperator proclamatus eſt. Dignus ſane Imperio, niſi imperaſſet, quippe qui *parentibus ortus ſplendidiſſimis*, ut ait Victor, *ſtolidus tamen & multum iners, neque ad uſum aliquem publici Officii, concilio, ſeu geſtis accommodatus*; quemadmodum res ab eo geſtæ uſque ad annum 259. ſatis confirmant, quo a Perſis captus, ad viliſſimi captivi ſortem redactus eſt. Interea in Imperium vix inauguratus, *Filium ejus Gallienum Senatus Cæſarem creat, ſtatimque Tiberis adulta æſtate diluvii facie inundavit* &c. quæ indicio ſunt labente Auguſto Valeriani initia eſſe collocanda. Tanta autem benevolentia noſtros, ideſt Chriſtianos, primo complexus eſt Valerianus, ut omnes retro Principes benignitate ſua ſuperaverit, totaque ejus familia, Euſebio teſte, *piis hominibus abundaret, & Dei Eccleſia eſſe videretur*; at paulo poſt, mutato conſilio, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis factus, perſecutionem adverſus Eccleſiam, eamque ſæviſſimam excitavit, ut ſuo loco, & tempore dicturi ſumus.

Victor de Cæſar.

Euſeb. lib. 7. 10.

JESU CHRI[illegible] [illegible]STEPHANI PAPÆ 2.
VALERIANI ET [illegible]IMP. 2.
COSS. LICINIO VALERIANO AUG. II. ET LICIN. GALLIENO AUG.
OLYMP. 158. AN. 2. URBIS AN. 1007.

Cyprianus Pupiani temeritatem arguit.

1. Cum in pace adhuc ſub Valeriano & Gallieno Imp. res Eccleſiæ eſſent, Cyprianus, qui hactenus adverſus Gentiles, hæreticos, & ſchiſmaticos pugnaverat, hoc anno Epiſcopatus ſui ſexto obtrectatores ſuos aggreſſus eſt. Etenim Pupianus quidam Epiſcopus, de fidei confeſſione ſub Decio Imperatore facta elatus, cum ad Novati ſchiſma tranſiiſſet, & falſis rumoribus adverſus Cyprianum vulgatis faciles præbuiſſet aures, epiſtolis ſuis eum non ſolum monere præſumpſit, ſed & mul-

multa Sacerdote, aut quolibet etiam laico indigna objecit, ſuperbiam ſcilicet, & arrogantiam, aliaque turpiora, itaut ne nomine quidem ſuo, ideſt Cæcilio, eum dignum cenſens, pro eo Thaſcium, quo dum gentilis eſſet vocabatur, Epiſtolæ inſcriptioni appoſuerit. Hinc factum, ut eidem reſpondens hanc præfigeret inſcriptionem: *Cyprianus, qui & Thaſcius: Florentio cui & Pupiano*; ſuam vero in ea epiſtola innocentiam, ordinationemque Sacerdotali auctoritate non ſolum vindicat, ſed & Pupianum acriter vehementerque redarguit. Sexto autem ſui Epiſcopatus anno, qui cum labente concurrebat, hæc Cyprianum ſcripſiſſe, ejuſdem verba teſtantur: *Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem tuam præpoſitos & ſacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, ecce jam ſex annis, nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs Præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus Antiſtitem, nec plebs Sacerdotem?* Hæc aliaque Cyprianus ad Pupiani temeritatem retundendam, cum quo aliquando ſalibus, aculeiſque jocatur; undè inter alia: *Solus Pupianus integer, inviolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in Paradiſo, atque in Regno Cœlorum ſolus habitabit &c.*

JESU CHR. AN. 254.

Cyr. epiſt. 66.

2. Hoc etiam anno, aut elapſo obtrectatorem alterum, non quidem ſui ipſius, ſed Chriſtianæ religionis, confutavit Cyprianus. Is erat Demetrianus, quem Africæ Proconſulem tunc fuiſſe ſuſpicatus eſt Baronius: quod etſi incertum ſit, aut etiam falſum a nonnullis exiſtimetur; eum tamen in Africa cum jure gladii jus dixiſſe, liber ipſe demonſtrat, quod ſane Proconſulum erat, aut eorum, qui Proconſulum officio in provinciis fungebantur. Demetrianum itaque Chriſtianos impie, ac temere incuſantem, eos ſcilicet in cauſa eſſe, cur tot ærumnis, cladibuſque Rom. Imperium eo tempore vexaretur, Cyprianus, vir ceteroquin ingenio mitiſſimus, divinæ tamen religionis ardore ſuccenſus, his verbis aggreditur: *Oblatrantem te, & adverſus Deum, qui unus & verus eſt, ore ſacrilego, & verbis impiis obſtrepentem, frequenter Demetriane, contempſeram, verecundius & melius exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quam loquendo dementis inſaniam provocare .... ſed cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius ſurgant, quod lues, quod fames ſæviant, quodque imbres*

Cypriani liber ad Demetrianum.

Bar. an. 256. n. 22.
Pearſ. not. in Cypr. p. 129.
Baſnag. 253. n. 9.

Cyr. pag. 129.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 254. *bres & pluvias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari, tacere ultra non oportet; ne jam non verecundiæ, ſed diffidentiæ eſſe incipiat quod tacemus, & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere. Reſpondeo igitur & tibi Demetriane pariter, & ceteris, quos tu forſitan concitaſti, & adverſus nos odia tuis maledicis vocibus ſeminando comites tibi plures radicis, atque originis tuæ pullulatione feciſti, quos tamen ſermonis noſtri admittere credo rationem; nam qui ad malum motus eſt fallente mendacio, multo magis ad bonum movebitur veritate cogente. Dixiſti per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia iſta, quibus nunc Mundus quatitur & urgetur, quod dii veſtri a nobis non colantur &c.* Poſt hæc multa ſubnectit, quibus Demetriani, & Gentilium calumnias adverſus chriſtianam Religionem vulgatas confutat; ac malis ingruentibus Imperium atteri, non quod Gentilium dii non colantur, ſed quod Deus verus a Gentilibus non agnoſcatur.

Chriſtianorum poteſtas in fugandis dæmonibus. 3. De perſecutorum autem ſævitie, deque ſuppliciorum acerbitate, quibus Chriſtiani afficiebantur, inter cetera adnotat, quod cum extorquendæ veritati, & criminum confeſſioni in aliis cauſis torquerentur rei, in Chriſtianorum cauſa fiebat, ut quo promptius, liberiuſque Chriſti fidem confiterentur, eo acrius vexarentur; eaque in eodem libro Cyprianus attigit, quæ Juſtinus, & Tertullianus in ſuis Apologiis Gentilibus exprobraverant, aut confutaverant, quæque modo perſequi longum eſſet. Inſiguis tamen locus non eſt prætereundus, quo Fidelium poteſtas in fugandis Dæmonibus mirifice elucet, atque, ut vel ipſis fatentibus, ac chriſtianæ Religionis vim, & Chriſti potentiam teſtantibus, crederet, Demetrianum hortatur: *Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis, pudeat tutelam de iis ipſis ſperare, quos tu ipſe tueris. O ſi audire eos velles, & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur; quando ejulantes & gementes voce humana, & poteſtate divina, flagella & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur. Veni, & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus; & quia ſic deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis, crede: aut ſi volueris & tibi credere, de te ipſo loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcavit; videbis nos rogari ab eis, quos tu*

tu adoras; videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captivos, quos tu ſuſcipis, & veneraris ut dominos. Certe vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris, quando conſpexeris, & audieris Deos tuos quid ſint interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas, & fallacias non poſſe celare. Sed de Cypriani libro ad Demetrianum jam ſatis.

4. In rebus Imperii hoc anno geſtis enarrandis vix quidquam aut certum, aut memoria dignum occurrit: quare iis prætermiſſis ad annum ſequentem dilabimur.

De rebus Imperii nil memoria dignum

JESU CHRISTI AN. 255. STEPHANI PAPÆ 3.
VALERIANI, ET GALLIENI IMP. 3.
COSS. LICINIO VALERIANO AUG. III.,
ET LICINIO VALERIANO AUG. II.
OLYMPIAD. 258. AN. 3. URBIS AN. 1008.

1. De Hæreticorum baptiſmate quæſtio, quæ olim in Africa agitata fuerat, hoc tempore tanta animorum contentione iterum exarſit, ut, *ſi non proſtratæ, exagitatæ tamen*, ut ait Baronius, *& quaſſatæ fuerint altiſſimæ, atque firmiſſimæ Eccleſiæ turres*, Cyprianus ſcilicet, Dionyſius, Firmilianus, ceterique cum Cypriano ſentientes. Quæſtioni occaſionem Magnus quidam vir laicus dedit, qui Cyprianum interrogaverat: an qui in infirmitate, & languore baptizati fuerant, legitimi Chriſtiani habendi eſſent, *eo quod aqua ſalutari non loti, ſed perfuſi eſſent*? Rurſum a Cypriano quæſierat Magnus, an Novatiani inter Hæreticos eſſent recenſendi, itaut quos baptizaverant, rebaptizandi eſſent? Ad utrumque dubium reſpondens Cyprianus, nil quidem ad ſalutem conſequendam intereſſe dixit, an quis aqua lotus, aut perfuſus eſſet, ad alterum vero de Novatianorum baptiſmate, nullum omnino, ſive ſchiſmaticorum, ſive hæreticorum baptiſma habendum eſſe non ſolum tradit, ſed & probare contendit: ceterum ſe ita in ea opinione eſſe addit, ut nemini, qui aliter ſentiret, præjudicium inferre præſumeret: *Reſcripſi, quantum parva noſtra mediocritas valuit; & oſtendi, quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus, nemini præſcribentes, quo minus ſtatuat quod putat unuſquiſque præpoſitus, actus ſui rationem Domino redditurus &c.*

De baptiſmo Hæreticorum quæſtio agitatur.

Bar. an. 258. n. 13.

Cyprianus propoſitis a Magno quæſtionibus reſpondit.

Epiſt. 69.

2. Hanc

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 255.

Cur Cyprianus Hæreticorum baptiſma rejecerit.

Bar. 258. 12.

2. Hanc quidem de irrito Hæreticorum baptiſmate opinionem ex Novatianorum diſciplina derivaſſe Cyprianum, ſcribit Baronius: *ne ſecus facientes, probare viderentur*, ait, *quæ eſſent apud Hæreticos ſacramenta, & ex parte illorum viderentur communicare impietati*. In ejuſmodi tamen ſententiam facile ivit Cyprianus præcedentium Epiſcoporum auctoritate motus, qui eam docuerant, decretiſque Synodalibus firmaverant: ideoque in eam jam deſcenderat, cum vix, aut nondum Novatianorum ſchiſma exortum eſſet; libro enim de Unitate Eccleſiæ, de irrito hæreticorum, ſchiſmaticorumque baptiſmate hæc docuerat: *Quando aliud Baptiſma præter unum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur. Vitæ fonte deſerto, vitalis, & ſalutaris aquæ gratiam pollicentur, non abluuntur ab illis homines, ſed potius ſordidantur, nec purgantur delicta, ſed cumulantur; non Deo nativitas illa, ſed diabulo filios generat*. De Iconienſi Synodo, longe antea ab Epiſcopis Cappadociæ, Galatiæ, & Ciliciæ celebrata, ad Cyprianum Firmilianus hæc habet: *Quod totum jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & ceteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur*. Ex Agrippino etiam præceſſore ſuo eamdem opinionem didiciſſe conſtat Cyprianum; de quo ad Jubajanum: *Apud nos autem non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando jam multi anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint, atque exinde in hodiernum tot millia Hæreticorum in provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi ... lavacri vitalis, & ſalutaris Baptiſmi gratiam conſequerentur*. Hanc tandem de iterando Hæreticorum baptiſmate ſententiam, ex Novatianorum aut æmulatione, aut exemplo ſe nequaquam hauſiſſe, diſerte idem Cyprianus his verbis teſtatur: *Nam Novatianus Simiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitentur, vult Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ſibi, & veritatem vindicare. Sciens etenim unum eſſe baptiſma, hoc unum ſibi vindicat, ut apud ſe eſſe Eccleſiam dicat, & nos Hæreticos faciat*.

Tertull. de pudicitia. Cypr. epiſt. 75.

Epiſt. 73.

Cypriani ſententia de iterando Hæreticorum baptiſmate Carthaginenſi Concilio confirmatur.

3. Etſi in Africa, iterato paſſim baptiſmate, ad Eccleſiam admitterentur ſive Hæretici, ſive Schiſmatici; dubitarunt

runt tamen nonnulli, an Schiſmaticorum eadem ac Hæreticorum ratio eſſet; eaque de cauſa, cum Numidiæ Epiſcopi octodecim in unum conveniſſent, Cyprianum conſulendum cenſuerunt. Horum epiſtola in Concilio Carthaginenſi, cui Epiſcopi triginta aderant, perlecta, communi ſuffragio ſtatutum eſt, atque reſcriptum utrorumque baptiſma iterandum eſſe, cum ad Eccleſiam redirent. Siquidem Patres Anteceſſorum ſuorum ſententiam jampridem ſtatutam, & uſque tunc obſervatam inſequentes, pro certo tenendum eſſe duxerunt: *Neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe, cum ſit baptiſma unum in ſancta Eccleſia conſtitutum*. Neque Numidiæ tantum Epiſcopis, ſed & Quinto interroganti eadem Cyprianus inſinuaverat: *Retulit ad me*, inquit, *Frater cariſſime, Lucianus compresbyter noſter, te deſideraſſe, ut ſignificaremus tibi, quid ſentiamus de his, qui apud Hæreticos, & Schiſmaticos baptizati videntur, de qua re in concilio plurimi coepiſcopi cum compresbyteris, qui aderant, quid cenſuerimus, ut ſcires, ejuſdem epiſtolæ exemplar tibi miſi. Neſcio etenim, qua præſumptione ducuntur quidam de collegis noſtris, ut putent eos, qui apud Hæreticos tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicunt unum baptiſma eſſe; quod unum ſcilicet in Eccleſia catholica, quæ Eccleſia ſi una eſt, eſſe baptiſma extra Eccleſiam non poteſt. Num cum duo baptiſmata eſſe non poſſint, ſi Hæretici vere baptizant, ipſi habent baptiſmum. Nos autem dicimus, eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari, neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil eſt, ſed veniunt ad nos, ut hic accipiant, ubi & gratia, & veritas omnis eſt, quia & gratia & veritas una eſt*. Quoniam vero contraria Eccleſiæ conſuetudo, quæ toto fere Orbe vigebat, Cypriano adverſabatur, non ea præſcribendum, *ſed ratione vincendum eſſe* reponebat, ac ſimul Agrippini, aliorumque Epiſcoporum Africæ auctoritatem objiciebat; quare ſubdit: *Quod quidem, & Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum ceteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in provincia Africæ, & Numidiæ Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit. Quorum ſententiam, & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei, & Eccleſiæ catholicæ congruentem, nos etiam ſequuti ſumus*.

Epiſtola Synodica ad Numidiæ Epiſcopos. *Epiſt.* 70.

Cypriani epiſtola ad Quintum de iterando baptiſmate. *Epiſt.* 71.

4. Ut de rebus Imperii aliqua adnotemus, Gallienus junior, Gallieni Imperatoris filius, & Valeriani Auguſti nepos, Cæſar hoc anno dictus eſt. Hunc nonnulli Gallieni Auguſti fratrem,

Gallienus junior Cæſar creatus.

Jesu Chr. an. 255. trem, potius quam filium dixerunt, quos Victor erraſſe demonſtrat, de Valeriano Auguſto adnotans: *Hic filium ſuum Gallienum Auguſtum fecit, Gallienique filium Cornelium Valerianum Cæſarem.*

Pag. not. 17. ad an. 258. Murat. ann. 255. Baſnag. ann. 254. Victor in Epitome.

JESU CHRISTI an. 256. Stephani Papæ 4.
Valeriani, et Gallieni Imp. 4.
Coss. Valerio Maximo, et M. Acilio Glabrione.
Olympiad. 258. an. 4. Urbis an. 1009.

Cyprianus ſententiam ſuam de Hæreticorum baptiſmate frequentiori concilio corroborat.

1. Etſi apud Epiſcopos Africæ maxima eſſet Cypriani auctoritas, ejus tamen ſententiæ de iterando Hæreticorum baptiſmate, quam & a Carthaginenſi Synodo confirmandam curaverat, uti anno proximo diximus, Epiſcoporum nonnulli ſubſcribere recuſarunt: quorum dubitationem ut tolleret Cyprianus, majori Epiſcoporum frequentia Concilium Carthagine celebrandum curavit. Omnium autem ſuffragio cum ſententiam ſuam roborari obtinuerit, petitis etiam ex Scriptura teſtimoniis, pluribuſque adductis rationibus, ut in Epiſtola ad Jubajanum refert; ad Stephanum quoque Romanum Pontificem, quem in hujuſmodi ſententiam facile conſenſurum fore ſperabat, de eadem quæſtione ſcripſit his verbis: *Cyprianus & ceteri, Stephano fratri ſalutem. Ad quædam diſponenda, & conſilii communis examinatione limanda, neceſſe habuimus, frater cariſſime, convenientibus in unum pluribus ſacerdotibus cogere, & celebrare Concilium. In quo quidem multa prolata, atque tranſacta ſunt:* præcipue vero, ut ii, qui ab hæreticis, vel ſchiſmaticis baptiſmum ſuſceperant, iterato baptiſmate renovarentur; *eo quod parum ſit eis manum imponere, ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum:* quod etiam in epiſtola ad Quintum ſe alias docuiſſe, necnon in ſynodali altera ad Epiſcopos Mauritaniæ confirmaſſe addit, quarum exemplaria ad Stephanum miſerat, in ea opinione ſe firmiter, obſtinateque inhærere conteſtans. Hujus Synodi, & epiſtolæ ad Stephanum s. Hieronymus adverſus Luciferianos agens mentionem habet: *Conatus eſt beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum, tunc Romanæ Urbis Epiſcopum, qui a beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit; ſed conatus ejus fruſtra fuit.* Deni-

Epiſt. 73.

Synodica epiſtola ad Stephanum Papam.

Epiſt. 72.

Hieronym. Dialog. adverſ. Lucif. num. 23. to. 2. pag. 196.

Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere decretum. Ea itidem Carthaginenſi Synodo ſtatutum fuerat, ut Presbyteri, vel Diaconi, in Eccleſia catholica ordinati, cum ad Hæreticos defeciſſent, aut qui ab Hæreticis, vel Schiſmaticis ordinati, ad Eccleſiam catholicam rediiſſent, ad laicam communionem admitterentur. Tandem poſt multa ſic Stephanum compellat: *Hæc ad conſcientiam tuam, frater cariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ, & fidei veritate placere, quæ religioſa pariter, & vera ſunt*. Hæc, & alia Cyprianus cum Epiſcopis LXXI. ad Stephanum. De unitate vero ſervanda cum iis, qui contraria ſentirent, hæc addiderunt: *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ liberum arbitrium unuſquiſque præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus*: his plane ſignificantes, quæſtionem ejuſmodi ad catholicam fidem non pertinere; cum ea, quæ ad fidem ſpectant, ab Epiſcoporum arbitrio nequaquam pendeant, nec ſine ſalutis æternæ diſpendio reſpui, aut in dubium vocari poſſint.

An quæſtionem de Hæreticorum baptiſmate ad fidem ſpectare putaverit Cyprianus. *Hieronym. adverſ. Lucif. pag. 199. edit. Veron.*

2. Hinc Hieronymus Cyprianum in eorum communione perſeveraſſe ait, qui ſententiæ ſuæ contraierant; ſed hortatum potius fuiſſe propter Novatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur: idque ex eademmet Cypriani ad Jubajanum epiſtola confirmat, qua ſanctus Epiſcopus & Martyr, cum ſententiam ſuam expoſuiſſet, hæc pro ſui mediocritate præſcripſiſſe addidit; quin ceteris Epiſcopis aliquatenus legem dare vellet, cum unuſquiſque ipſorum liberam habeat ſui arbitrii poteſtatem. Auguſtinus etiam Cypriani in unitate ſervanda ſtudium commendans, hæc verba ad Jubajanum laudat: *Neminem judicantes, nec a jure communionis aliquem, ſi adverſus ſenſerit, amoventes*; quibus aperte ſatis teſtatur, in tanta Epiſcoporum altercatione numquam pacis vinculum fuiſſe violatum. Porro miram hanc animi lenitatem, & ipſum ſervaſſe, & docuiſſe, dum de iterando Hæreticorum baptiſmate ſententiam pro viribus confirmandam curabat, indubie probat totus de bono patientiæ liber per id temporis in lucem editus. Cum etenim apprime ſciret Cyprianus, non ſolum Occidentales Epiſcopos

Aug. contra Creſcon. lib. 3. c. 1. & 2.

 in

JESU CHR. AN.256.

in contrariam abiiſſe ſententiam, ſed & ab Numidiæ Epiſcopis nonnullis; alibique paſſim Hæreticorum baptiſma probari; ne ea de cauſa ſchiſma fieret, opportunum tanto vulneri pharmacum præparavit, ſcripto de bono patientiæ libro, & ad Jubajanum Epiſcopum *pro mutua dilectione* tranſmiſſo, quo inter cetera, de ſervanda etiam inter diverſa ſentientes unitate, hæc habet: *Impatientia etiam in Eccleſia hæreticos facit, & ad Judæorum ſimilitudinem contra Chriſti pacem, & charitatem rebelles, ad hoſtilia, & furioſa odia compellit &c.*: quibus alia plura ibidem in eamdem rem addit.

Quid Stephanus Papa Cypriano reſcripſerit. *Epiſt.* 74. *Epiſt.* 75.

3. Quid ſynodicæ epiſtolæ Carthaginenſis Concilii reſcripſerit Stephanus Papa, ex epiſtola Cypriani ad Pompejum ſcimus, tum etiam ex iis, quæ Firmilianus Cypriano ſcribit. Ad Pompejum itaque de Stephani epiſtola hæc Cyprianus narrat: *Quoniam deſideraſti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad litteras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum, quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos, & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur. Nam inter cetera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ipſi ſibi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo a quacumque venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* Et paulo poſt: *A quacumque hæreſi venientem in Eccleſia baptizari vetuit, ideſt omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe, & legitima judicavit.* Hanc Stephani ſententiam, ab hæreticis nempe baptizatos nullatenus rebaptizandos eſſe, irato quidem animo, graviorique cenſura Cyprianus Pompejo expoſuit, ac notavit, quaſi baptiſma quodlibet, etiam non ſervata Eccleſiæ forma, ille recipiendum cenſuerit; quod falſum, abſurdumque eſſe, vel ipſa Stephani verba, a Cypriano allata, indicant.

Stephani decretum de recipiendo Hæreticorum baptiſmate.

QuomodoCyprianus a S. Auguſtino excuſetur. *Auguſt. de Baptiſm. contra Donat. lib.* 5. 25., & *lib.* 2. *cap.* 1.

4. Hanc animi, aut ſaltem ſtyli acerbitatem, qua Stephani ſententiam exponit Cyprianus, aliquali excuſatione dignam cenſuit Auguſtinus. *Jam illa, quæ Cyprianus in Stephanum irritatum effudit, retractare nolo, quia nec opus eſt; eadem quippe ipſa dicuntur, quæ jam ſatis diſcuſſa ſunt; & ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem etiam abſtinendos putaverat, qui* de

de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur; iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignaretur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur. Hæc Auguſtinus, qui Stephani ſententiam propugnans, Petri exemplo, Cyprianum excuſat, ac ſubdit: *Magnum quidem meritum novimus Cypriani Epiſcopi, & Martyris, ſed numquid majus quam Petri Apoſtoli & Martyris?* Et paulo poſt: *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere gentes judaizare; cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere Hæreticos, vel Schiſmaticos denuo baptizari? Puto autem, quod ſine ulla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparetur, quantum attinet ad martyrii coronam. Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatu cuilibet Epiſcopatui præferendum.*

Auguſt. de Baptiſm. contra Donat. lib. 2. cap. 1.

5. Interea ubi Stephanum ſententiæ ſuæ adverſari novit Cyprianus, frequentiorem Carthagine ſynodum congregavit ex Epiſcopis Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, qua Kalendis Septembris octoginta ſeptem convenerunt. Itaque coram omnibus primum perlectis Cypriani ad Jubajanum, & Jubajani ad Cyprianum epiſtolis, deinde expoſita, quæ de Hæreticorum baptiſmate uniuſcujuſque ſententia eſſet, ſingulos interpellavit, ac, ut ſincere dicerent, his verbis rogavit: *Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſervandi neceſſitatem collegas ſuos adigit.* Hæc in Stephanum ſubirato animo addidiſſe videtur Cyprianus, eo quod excommunicationis pœnam Afris Epiſcopis minatus fuerit; niſi ab ea, de iterando hæreticorum baptiſmate, ſententia receſſiſſent: hinc eum, quaſi ſe Epiſcopum Epiſcoporum diceret, ac in Collegas ſuos minaciter ageret, tacito nomine redarguit. Ad id vero, quod addidit, Epiſcopos ſingulos arbitrii ſui poteſtatem habere, ut ab alio judicari non poſſint; *Opinor utique*, inquit Auguſtinus, hæc locum habere *in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima*

Carthag. Concilium III. de baptiſmo Hæreticorum.

Auguſt. de baptiſm. contra Donat. lib. 3. cap. 3. 4. 5. & 6. & lib. 7.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 256. *ma perſpectione diſcuſſæ ſunt*: in Cypriani deinde excuſationem ſubdit: *Noverat enim quantam ſacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur*. Hæc, & alia Auguſtinus, qui ejuſdem Concilii ſententias referens, ſingillatim confutat, errorisque redarguit. Nec ſolum ad Jubajanum, ſed & ad Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, alioſque ſcripſiſſe Cyprianum, ut in ea, quam ſemel induerant, de nullitate baptiſmatis hæreticorum, opinione confirmaret, teſtis eſt Firmiliani epiſtola ad Cyprianum, qua per Rogatianum Diaconum inſtante hyeme illius litteras ſe accepiſſe innuit.

Cypr. epiſt. 75.

Stephani Papæ epiſtola ad Orientales.

6. Eodem ferme tempore ad Orientales de eadem quæſtione ſcripſiſſe Stephanum, etſi tunc datæ epiſtolæ perierint, tum ex Euſebio, cum ex Firmiliani epiſtola ad Cyprianum conſtat. Cum etenim plurimi cum Cypriano in errore eſſent, ut hæreticorum baptiſma irritum exiſtimarent, & in Synodis Iconii, & Synnadæ jamdiu celebratis, reiterandum eſſe ſtatuiſſent, officii ſui tanquam Petri ſucceſſoris eſſe putavit, eoſdem commonere, ut ab ea ſententia recederent, & communicationis etiam intentata diſſolutione, juſſit, ut de ea re non aliud tenerent, niſi quod ab Eccleſia hactenus traditum fuerat; ut ſcilicet manuum tantum impoſitione hæretici, aut ſchiſmatici in Eccleſia admitterentur. De Stephani epiſtola ad Orientales agens Firmilianus inter cetera hæc adnotat: *Pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiſcum, qui in meridie eſtis*. Euſebius quoque hujuſmodi epiſtolas ad Orientales meminit: *Antea quidem Stephanus litteras ſcripſerat de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis, ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod hæreticos rebaptizarent*.

Epiſt. 75.

Euſeb. lib. 7. 5.

Firmiliani epiſtola ad Cyprianum, qua Stephanum arguit.

7. Firmilianus vero, his ad ſe perlatis Stephani Papæ epiſtolis, in furorem fere adverſus eum actus, multa tanto viro indigna, cum illi, ac Romanæ Sedi injurioſa, ad Cyprianum ſcribens congeſſit, ex quibus, utpote ſilentio magis, quam memoria dignis, pauca hic exſcribimus: *Niſi quod nos gratiam referre Stephano iſti poſſumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum ſit, ut fidei, & ſapientiæ veſtræ experimen-*

Epiſt. 75.

mentum caperemus. Sed non ſi nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, ſtatim Stephanus beneficio, & gratia digna commiſit; neque enim & Judas perfidia ſua, & proditione, qua ſcelerate circa Salvatorem operatus eſt, dignus videri poteſt, quaſi cauſam bonorum tantorum ipſe præſtiterit, ut per illum Mundus, & Gentium populus liberaretur. Sed hæc interim, quæ ab Stephano geſta ſunt prætereantur, ne dum audaciæ, & inſolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe geſtis longiorem mæſtitiam nobis inferamus. Utinam propoſitum ſervaſſet, nec aſperiora eadem epiſtola inſeruiſſet; nam, ut plurima prætermittamus, hæc etiam addit: *Nec metuis judicium Dei teſtimonium contra Eccleſiam perhibens. Quinimmo tu hæreticis omnibus pejor es; nam cum inde multi cognito errore ſuo ad te veniant, ut Eccleſiæ verum lumen accipiant, tu venientium errores adjuvas, & obſcurato lumine eccleſiaſticæ veritatis tenebras hæreticæ noctis accumulas.* Et poſt aliqua de abrupta cum Epiſcopis, diverſa ſentientibus, pace, per ironiam Stephano irridens: *Quid enim*, inquit, *humilius, aut lenius, quam cum tot Epiſcopis per totum Mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, modo vobiſcum, qui in meridie eſtis, a quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis, & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret, adhuc inſuper dilectionis, & charitatis memor præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolum pax, & communio, ſed & tectum, & hoſpitium negaretur.* Legatos, quos Stephanus nequidem colloquio, aut hoſpitio dignos cenſuit, ſi vera Firmilianus narrat, eos fuiſſe, qui ab Orientalibus miſſi fuerant, ſcribit Baronius. Epiſcopos tamen a Cypriano, & Carthaginenſi Synodo Romam deſtinatos, a Firmiliano indicari vero propius eſt, ut adnotant viri docti. Firmilianus tandem Stephano exprobrat, quod Cyprianum injuria affecerit; nam poſt plurima in ſententiam ſuam de iterando hæreticorum baptiſmate adducta: *Et tamen*, inquit, *non pudet Stephanum talibus adverſus Eccleſiam patrocinium præſtare, & propter hæreticos aſſerendos fraternitatem ſcindere; inſuper & Cyprianum pſeudo-Chriſtum, & pſeudo-Apoſtolum, & doloſum operarium dicere? Qui omnia in ſe eſſe conſcius prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipſe ex merito audire deberet.* Hacte-

JESU CHR. AN.256.

Pag. not. 9. 10. 11., & an. 259. Baronii. Pearſ. annal. Cypr. an. 256. Baſnag. ann. 256.

Jesu Chr. an. 256.

ctenus epiſtola Firmiliani ad Cyprianum, quam exacerbato nimis adverſus Stephanum animo ſcripſiſſe, coacervatæ in eum injuriæ teſtantur. Unde fit, ut fidem vix habeant ea, quæ de eodem narrat, eum ſcilicet Cypriani Legatos domicilio, & hoſpitio Romæ excluſiſſe, ac Cyprianum, tamquam pſeudo-Apoſtolum, malumque operarium dixiſſe; de quibus ne verbum quidem apud Cyprianum extat, etiamſi de Stephani epiſtola non ſemel mentionem injiciat, ejuſque reſponſa exagitet.

Firmilianus excuſatur.

8. Ceterum etſi Firmilianus in ea ad Cyprianum epiſtola chriſtianæ moderationis limites exceſſiſſe, ac, ultra quam deceret, in Romanum Pontificem debachatum fuiſſe videatur; in Eccleſiæ tamen communione ad obitum uſque non ſolum perſeveraſſe, & quoad vixit, eruditione, & pietate claruiſſe ſcimus, cum ex Græcorum Menologiis, tum etiam ex Patribus Antiochenæ Synodi II. contra Paulum Samoſatenum celebratæ, qui ejuſdem non ſine laude meminerunt, ac Dionyſio in epiſtola ad Romanum ejuſdem nominis Pontificem compararunt: *Nam & ad Dionyſium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Antiſtitem, beatæ recordationis viros, litteras dedimus.*

Menol. Baſil. die 28. Octobr.

Euſeb. lib. 7. cap. 29.

Quo tempore quæſtio de Hæreticorum baptiſmate finita fuerit.

9. Quamdiu hæc controverſia de hæreticorum baptiſmate agitata fuerit, prorſus neſcimus. Suam hoc tempore abdicaſſe opinionem Orientales, æque ac Africanos Epiſcopos, ut in Stephani ſententiam irent, tradit Baronius; quod & Dionyſii Alexandrini Epiſcopi teſtimonio confirmare nititur. Dionyſium tamen de Novatianorum Schiſmate ea in epiſtola loqui, cum Pagio eruditi adnotant; certiſque etiam argumentis conſtat, ſanctiſſimos, ac præclariſſimos viros, longo poſt tempore, in eodem cum Cypriano de Hæreticorum baptiſmate errore verſatos fuiſſe. De Dionyſio Alexandrino narrat Hieronymus: *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de Hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit epiſtolas, quæ uſque hodie extant.* Illum etiam de hujuſmodi quæſtione ad Stephanum Papam ſcripſiſſe, refert Euſebius: *Ad hunc multa de hoc argumento Dionyſius per litteras ſcripſit.* Poſt Stephani vero obitum ad Sixtum Succeſſorem, eadem de cauſa, atque ad Dionyſium, & Philemonem Rom. Eccleſiæ tunc Presbyteros litteras dedit, quibus ſe eadem cum Cypriano ſentire indicat; unde ad Sixtum Papam: *Vi-*

Baron. 259. n. 1. ad 6.

Pag. n. 14. ad an. 259. Baron. Schelestr. antiq. illuſtr. par. 2. diſſert. 1. cap. 5. art. 3.

Euſeb. lib. 7. cap. 4.

Hieronym. de Vir. Ill. cap. 69

Euſeb. lib. 7. 4. 5. 7.

Vide, quæſo, ait, *gravitatem negotii. Revera enim, ut audio, in maximis Epiſcoporum Conciliis decretum eſt, ut qui ab hæreticis ad catholicam Eccleſiam accedunt, primum Catechumeni fierent, ac deinde veteris, & impuri fermenti ſordibus per Baptiſmum purgarentur*. Et in epiſtola ad Philemonem Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: *non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum invectum fuiſſe, ſed ſuperiorum Epiſcoporum temporibus, & in Eccleſiis populoſiſſimis, & in Conciliis Iconii, & Synnadæ habitis*. Deinde: *Quorum ſententias, & ſtatuta ſubvertere eouſque ad jurgia, & contentiones excitare equidem nolim. Scriptum eſt enim, non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui conſtituerunt*. Hæc Dionyſius, quibus ſe quoque in Cypriani ſententiam inclinaſſe indicat: cui etſi ſubſcriberent Epiſcoporum plurimi in Africa, in Ægypto, & Cappadocia, negari tamen non poteſt, totius Orbis Epiſcopos una cum Stephano hæreticorum baptiſma uti validum agnoſcentes, nulla ratione iterandum cenſuiſſe. Aſt ipſorum numerus cum definiri non poſſet, multa Epiſcoporum millia in hanc ſententiam conſenſiſſe, adnotavit merito Auguſtinus: quam deinde plenarium firmavit Concilium, ideſt Nicænum, ut nobis videtur, aut juxta aliorum opinionem Arelatenſe.

Auguſtinus contra Creſconium lib. 3. 1.

10. An a ſua ſententia aliquando receſſerit Cyprianus, certo non conſtat. *Fortaſſe factum eſt*, inquit Auguſtinus, *ut ſuam correxerit ſententiam, ſed neſcimus; neque enim omnia, quæ eo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus*. Et iterum: *Correxiſſe autem iſtam ſententiam, non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab iis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto patrocinio carere noluerunt*. Utcumque nihilominus res acciderit, illud certum eſt, Cyprianum ab Eccleſiæ pace numquam receſſiſſe, aut communione; atque in ea glorioſo martyrio vitam finiiſſe, quem Orientalis, æque ac Occidentalis Eccleſia uti Martyrem venerata eſt; unde Auguſtinus: *Non ſolum malos Catholicos nullo modo comparamus, ſed nec bonos facile coæquamus beato Cypriano, quem inter raros, & paucos excellentiſſimæ gratiæ viros numerat pia mater Eccleſia*. Hieronymus vero: *Ne longo ſermone ſenſum traham, vir ſanctiſſimus, & eloquentiſſimus*

Cyprianus an ſententiam ſuam retractaverit.

Aug. de baptiſm. contra Donat. lib. 2. 4.

Aug. ad Vincentium epiſt. 48.

Aug. de Baptiſm. contra Donat. lib. 6. 2.

Hier. in Iſai. cap. 60.

JESU CHR. AN. 256.

mus Martyr Cyprianus , & noſtri temporis Confeſſor Hilarius nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſeculo arbores ædificaſſe Eccleſiam Dei . Sed me , & oratio , & dies deficeret , ſi veterum de Cypriano elogia recenſenda ſuſciperem .

An Stephanus Firmilianum, & Cyprianum cum ſociis excommunicaverit.

11. Illud adhuc inquirendum reſtat , utrum Stephanus excommunicationis ſententiam adverſus Hæreticorum baptiſma iterantes tulerit , ac Cyprianum cum Afris , & Firmilianum cum Orientalibus Epiſcopis a ſua communione abjecerit ; an vero minas tantum intentaverit : cumque in varias ea de re opiniones abierint eruditi , nobis ea vero propior videtur , Stephanum excommunicationis minas non exceſiſſe , quod etiam Auguſtini auctoritate confirmatur . *Vicit tamen* , ait , *pax Chriſti in cordibus eorum , ut nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur* . Si ergo Stephanum inter , & Cyprianum pax Chriſti vicit , ſi inter eos nullum ſchiſma fuit ; neque communio inter eos unquam abrupta eſt . Sed & iterum : *Cum Stephanus non ſolum non rebaptizaret hæreticos , verum hoc facientes , vel ut fieret decernentes excommunicandos eſſe cenſeret , ſicut Cypriani litteræ oſtendunt ; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit* . Itaque baptiſmum iterantes excommunicandos quidem meditabatur Stephanus , quod tamen mutato conſilio nullatenus perfecit ; ideoque Cyprianus *cum eo in unitatis pace permanſit* . Congruit Hieronymus : *Sciens illum* , ideſt Stephanum , *hæc non cum anathemate eorum , qui ſe ſequi noluerant , edidiſſe , ſiquidem in communione eorum permanſit , qui ſententiæ ſuæ contraierant* . Hieronymo conſentit Facundus : *Beatus Stephanus Apoſtolicæ Sedis Præſul , cum S. Cyprianum , & alios Afros Epiſcopos de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret , nullo interpoſito anathemate .... omnino ei denunciavit , quod ſi qui hoc auderent , ab Eccleſia pellerentur* . Neque his ea obſtant , quæ Firmilianus in epiſtola ad Cyprianum ſcribit , Stephanum ſcilicet non ſolum excommunicationis ſententiam tuliſſe in Cyprianum , ceteroſque cum eo ſentientes , ſed & legatis Romam miſſis communionem , ac hoſpitium negaſſe ; nam ea ex impotenti ira , qua in Stephanum ferebatur , exageraſſe Firmilianum ſupra diximus .

Pag. not. 12. ad an. 259. Pearſ. annal. Cypr. an. 256. Valeſ. in Euſeb. lib. 7. 5.
Nat. Alex. diſſert. 12. ſec. 3.
Coutan. epiſt. Rom. Pontif. pag. 250.
Aug. de baptiſm. contra Donat. lib. 5. 25.
Hier. Dialog. adverſ. Lucifer. tom. 2. pag. 198.
Biblioth. PP. tom. 10.
Facund. contra Mocianum lib. 10. cap. 3.

An Stephanus Papa baptiſmum, non legitima forma collatum, ratum habuerit.

12. In controverſiam id etiam venit , num Stephanus Papa Cypriano reſcribens , *a quacumque hæreſi venientes , nihil innovetur , niſi quod traditum eſt* , qualecumque baptiſma

Digitized by Google

ab hæreticis collatum, etiam non ſervata forma, nec Trinitate invocata, ratum habuerit. Abſurdam hanc opinionem, quæ a portento vix differt, eruditorum quidem nonnulli Stephano tribuerunt; ob eam præcipue cauſſam, quod generatim ſcripſerit: *A quacumque hæreſi venientes nihil innovetur*; eaque propter nullum Hæreticorum baptiſma eum repudiaſſe contendunt, quacumque tandem forma, aut verbis collatum eſſet. Injuria tamen Stephano tam abſurdam ſententiam adtribui, non eſt dubitandum, uti cum eruditiſſimis viris adnotat Bingamus, ſcriptor ſane in vindicanda Rom. Pontificum auctoritate minime ſuſpectus, utpote heterodoxus: *Novi equidem*, inquit, *multos viros doctos, & inter hos Gerardum Voſſium, Blondellum, Pearſonium, exiſtimare Stephanum Epiſcopum Romanum, doctrinæ Cypriani ſeſe opponendo, inconſiderate in contrarium errorem lapſum eſſe, omneſque ab Hæreticis, ſive in nomine Trinitatis, ſive alio quocumque modo tinctos, indiſcriminatim recipiendos eſſe contendiſſe. Enim vero multa ab erudito viro Antonio Pagio, ad liberandum ab hac incuſatione Stephanum, & mea quidem ſententia juſte, ac cum ratione adferuntur*. Nam hic unus Firmiliani locus: *Non putant quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: abunde Stephanum ab hujuſmodi culpa vindicat. Plane enim oſtendit, non decertaſſe eum pro quocumque baptiſmate Hæreticorum, ſed pro illo tantum, quod factum ſit in ſolemni forma Eccleſiæ, in nomine videlicet ſanctæ Trinitatis: ac propterea quæ in litteris Stephani ad Cyprianum occurrunt, quæque plus ſignificare videntur, cum hac reſtrictione, & limitatione eſſe intelligenda. Pari etiam ratione Vincentius Lirinenſis Stephani ſententiam ab omni erroris ſuſpicione prorſus vindicat, quam & vere antiquam catholicæ Eccleſiæ opinionem eſſe contendit: & merito; ſi enim Stephanus nil innovandum cenſuit circa Hæreticorum baptiſma, ſed a veteribus tradita ſervari juſſit; ſequitur plane de Baptiſmate ab Hæreticis collato eum egiſſe, quod legitima, & Apoſtolica forma adminiſtratum eſſet; nunquam vero de eo, quod aliter, aut invocatione Trinitatis prætermiſſa, ſive ab Hæreticis, aut a Catholicis collatum, irritum ac nullum eſſe re ipſa conſtabat: turpiuſque Cypriano erraſſet Stephanus, ſi qua-

Launoj. epiſt. ad Bevilaqu. Dupin. tom. 1. Biblioth. pag. 431. Pearſ. annal. Cypr. an. 256. Baſn. an. 256. Tillem. tom. 4. hiſt. Eccleſ.

Nat. Alex. ſec. 3. diſſer. 14. Schelestr. par. 2. antiq. illuſt. diſſer. 1. art. 2.

Pag. not. ad an. 256. n. 4. ad 9.

Bingam. hiſt. Scholaſt. de Baptiſm. laicor. par. 1. c. 1. pag. 43. to. XI. Cypr. epiſt. 75.

Jesu Chr. an. 256.

Vincent. Lirin. contra hær. cap. 9.

ſi qualecumque baptiſma adprobaſſet, atque immerito eumdem tamquam Apoſtolicæ doctrinæ vindicem laudaſſent veteres, inter quos idem Vincentius Lirinenſis: *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaverſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur; cum beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes cum ceteris quidem collegis ſuis præ ceteris reſtitit, dignum (ut opinor) exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat*.

Orientales Epiſcopi Novati ſchiſma repudiant.

Euſeb. lib. 7. c. 5.

13. Interea dum de Hæreticorum baptiſmate quæſtio agitaretur, ex Orientalibus Epiſcopis nonnulli, qui ad Novati ſchiſma defecerant, aut in illud propenſiores erant, cognita veritate, unanimi conſenſu illud deteſtati ſunt. Rem Stephano Papæ datis litteris ſignificavit Dionyſius Alexandrinus, qui & illuſtriores ex illis recenſuit: *Ad hunc* (ideſt Stephanum) *multa de hoc argumento* (de Baptiſmo nempe hæreticorum) *Dionyſius per litteras ſcripſit*, ait Euſebius, *in quibus illi indicat omnes ubique Eccleſias, mollito jam perſecutionis furore, Novati turbulentam novitatem deteſtantes, inter ſe pacem iniiſſe*; ac Dionyſii verba referens, ſubdit: *Scias autem, frater, multas per Orientem, & ulterius poſitas Eccleſias, quæ prius diſciſſæ erant, nunc autem ad unitatem reverſas eſſe, & omnes Eccleſiarum ubique Antiſtites, unum idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem, incredibili gaudio exultare*. Demetrianum ſcilicet Epiſcopum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Æliæ, poſt mortem Alexandri, Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiciæ vero, poſt Telymidris obitum, Heliodorum, Helenum Tarſi, cunctaſque Ciliciæ Eccleſias, Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia: quibus & alios Syriæ, Arabiæ, Meſopotamiæ, Pontus, ac Bithyniæ Epiſcopos adjungit.

JESU CHRISTI AN. 257. SIXTI PAPÆ I.
VALERIANI, ET GALLIENI IMP. 5.
COSS. LICINIO VALERIANO AUG. IV.,
ET LICINIO GALLIENO AUG. III.
OLYMPIAD. 259. AN. I. URBIS AN. 1010.

Valerianus perſecutionem adverſus Chriſtianos excitat.

1. Chriſtianis hactenus faverat Valerianus, & *tota ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Eccleſia eſſe videba-*

batur, ut ex Dionyſio refert Euſebius; tamen repente mutatus, acerbiſſimam hoc anno perſecutionem adverſus Eccleſiam excitavit, quæ octava numeratur. Qua de cauſa, quove inſtigatore ejuſmodi bellum indixerit, idem Dionyſius narrat: *Verum magiſter, & Archiſynagogus Magorum Ægypti ei tandem perſuaſit, ut ab hoc inſtituto deſciſceret, jubens, ut caſtos quidem, & ſanctos viros perſequeretur, atque occideret; quippe qui ſceleſtis, ac deteſtandis incantationibus adverſarentur, atque obſtarent*. Hunc porro, qui Valerianum adverſus Eccleſiam incitavit, cum Mago Ægyptio, qui olim Decium in eandem inſtigaverat, Baronius confundit. Diverſum tamen omnino fuiſſe, ac Macrianum nomine, non obſcure innuit Dionyſius; illumque Magiſtrum, & Archiſynagogum Magorum ideo dixit, eo quod Magorum patronus cum eſſet, eorum præſtigiis & prædictionibus utebatur, ac de adipiſcendo Imperio ſollicitus, ut eis gratiam rependeret, Valerianum adverſus Chriſtianos infenſum reddidit. Hæc de eodem ad rem noſtram adnotat Dionyſius: *Egregiam vero gratiam ob ſperatum Imperium, & præclara munera Macrianus eis*, ideſt Magis, *obtulit. Qui initio quidem, cum Catholicus, ideſt, rationalis Imperatoris diceretur, nihil rationi conſonum, nihil catholicum ſenſit, aut publicum .... Nam neque providentiam univerſa moderantem intellexit, nec animo reputavit judicium illius, qui ante omnia, & ſuper omnia eſt Dei. Quo circa hoſtis quidem fuit Catholicæ Dei Eccleſiæ; alienum autem ſe & extorrem a miſericordia Dei præſtitit; & quam longiſſime a ſua ſalute relegavit*. Et paulo poſt: *Nam Valerianus quidem, qui ad hujuſmodi facinora a Macriano impulſus fuerat, contumeliis, & opprobriis fuit expoſitus*, dum in Perſarum captivitatem incidit, ut infra videbimus: *Macrianus vero imperandi cupiditate flagrans, tametſi Imperio indignus, cum regium cultum induere non poſſet, ipſe corpore debilis, duos filios paterna in ſe translaturos crimina Imperio præfecit; pravis enim cupiditatibus ſuis, quibus ipſe frui non poterat, in filiorum capita translatis, improbitatem ſuam, & odium divini Numinis in eos pariter transfudit*.

JESU CHR. AN. 257.

Euſeb. lib. 7. 10.
Hieronym. de Script. Eccl. in Cypr.
Aug. de Civit. Dei lib. 18. 52.
Sever. lib. 2.
Oroſ. lib. 7. 22.
Baron. 259. 6.
Pag. an. 257. 3.
Baſn. an. 256.
Pearſ. annal. Cypr. 256.
Valeſ. in Euſeb. lib. 7. 10.
Tillem. tom. 4. not. 1. in Valer. perſecut.

De diuturnitate, & acerbitate perſecutionis Valeriani.

Euſeb. lib. 7. 10.

2. De Valerianæ autem perſecutionis acerbitate, ac diuturnitate hæc in epiſtola ad Hermanonem idem narrat Dionyſius: *Datum eſt illi os loquens magna, & impia, & data eſt illi poteſtas, & menſes quadraginta duo, utrumque porro in*

Jesu Chr. an. 257. *in Valeriano impletum mirari licet*. Difficultatis ſane aliquid continent memorata verba, dum per menſes quadraginta duos perſecutionem viguiſſe innuunt; cum ſciamus, eam uſque ad Valeriani captivitatem, quæ anno 259. contigit, tantum perduraſſe, ideſt triennio circiter. Immo breviorem adhuc fuiſſe

Lactant. de mort. perſecut. cap. 5. Lactantius indicat, de Valeriano referens, ***brevi tempore multum juſti ſanguinis fudiſſe***: quibus profecto perſecutionis acerbitas magis, quam diuturnitas deſignatur; cum primo Chriſtianorum exiliis res acta ſit, deinde feralibus edictis anno ſequenti vulgatis, capitali eos ſententia plectendos juſſit. Quare etſi per triennium ea perſecutio ſævierit, cruenta tamen vix per biennium fuit; eaque de cauſſa prodit Lactantius, ***brevi tempore multum juſti ſanguinis fudiſſe Valerianum***. Dionyſius vero eam ultra triennium per menſes nempe quadraginta duos protraxit; quia cum eadem Gallieni edictis, poſt Valeriani captivitatem, fere ceſſaſſet, in Ægypto tamen, ubi Macrianus tyrannidem uſurpaverat, per plures adhuc menſes eſt prorogata.

Stephani Papæ martyrium *Anaſt. tom. 1.* 3. Stephanum Pontificem, Valeriano IV., & Gallieno III. Coſſ., obiiſſe narrat Pontificale Damaſi, cui depoſitionis Epiſcoporum Indiculus apud Bucherium addit: *IV. Nonas Auguſti Stephani in Callixti*: in Chronico etiam Rom. Pontificum hæc adnotantur: ***Sepultus eſt in Cœmeterio Callixti Via Appia III. Nonas Auguſti, ceſſavit Epiſcopatus dies viginti duos***. Quo autem exitu vitam finierit, au ſcilicet vi morbi, aut gladio feriente, in obſcuro eſt, ac inter ſe ſcriptores diſſi-

Baſn. an. 257. Fearſ. Annal. Cypr. 257. dent. Nonnulli enim eum e Martyrum albo expungendum cenſent, ea potiſſimum ducti ratione, quod ejuſdem nomen in Bucheriano Indiculo inter Martyres non legatur, ſed in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum; tum etiam quia Pontius ſcriptor vitæ Cypriani, Sixtum quidem Stephani ſucceſſorem uti

Cypr. vita pag. 9. Martyrem celebret: ***Jam de Sixto bono, & pacifico Sacerdote, ac propterea beatiſſimo Martyre***, de Stephani autem mar-

Euſeb. lib. 7. c. 5. Aug. contra Petil. cap. 14. Vincent. Lirin. commonit. cap. 9. tyrio ne verbum habeat: inſuper Euſebii quoque, Auguſtini, aliorumque ſilentio innituntur, qui etſi de Stephano verba faciant, tamen quo mortis genere occubuerit, omnino prætereunt. Martyrem nihilominus eum fuiſſe, tum vetuſtiſſima teſtantur martyrologia, cum ejuſdem Acta, quæ licet apocrypha, aut interpolata ſint, ejus ſaltem martyrium probare poſſunt, cum Acta hujuſmodi pro iis Martyribus ſæpiſſime procuderentur, quorum genuina deſiderabantur. Tandem

ne

ne de Stephani martyrio dubitemus, atrocitas temporum prohibet; conſtat enim Valeriani perſecutione vigente obiiſſe, quæ Eccleſiæ miniſtros præcipue divexabat, ac Cyprianum, & Dionyſium hoc anno exules fecit, ut infra videbimus. Neque his obſtat, quod Bucherii catalogus Indiculo depoſitionis Epiſcoporum Stephanum inſeruerit; nam Lucii quoque Pontificis nomen ibidem legitur, quem tamen Cypriano teſte, Martyrem fuiſſe ſcimus. De eodem Pontifice hic adnotandum ſupereſt, duas ei inſcribi epiſtolas Iſidorianas, ad Hilarium Epiſcopum ſcilicet, & ad univerſos Epiſcopos, de quibus utpote adulterinis plura non addimus. *Cypr. epiſt. 68*

4. In Stephani locum menſe Auguſto Sixtus eſt ordinatus, quem natione Græcum, & Athenienſem philoſophum fuiſſe ferunt Rom. Pontificum catalogi. Quot autem annis Pontificatum tenuerit, definiri nequit; in contraria enim veteres, recentioreſque ſcinduntur Chronologi. Siquidem Euſebius ipſe annos octo in Chronico, in hiſtoria vero annos undecim eidem adſcribit. Ceteri econtra Pontificum Catalogi vix duos, aut unum Sixto concedunt, quem, Cypriano teſte, anno ſequenti martyrio coronatum fuiſſe, compertum eſt: quare, cum Pontificatum hoc anno Auguſto ineunte ſuſceperit, menſes undecim, dies aliquot Romanam Sedem tenuiſſe ſequitur, ut eruditorum plurimi, invitis etiam Pontificum Catalogis, demonſtrant. Fortaſſe etiam Euſebius in hiſtoria menſes undecim præfuiſſe ſcripſerat, qui menſes poſtmodum aliena manu in annos commutati ſunt; nam ab Euſebii diligentia prorſus alienum videtur, tam turpiter in Pontificum Chronologia erraſſe. Iis vero, quæ in Chronico leguntur, ubi annos octo Sixto tribuuntur, non immoramur, cum ſciamus Euſebii Chronicon undique interpolatum eſſe.

Sixtus Papa II. creatur. *Euſeb. lib. 7. 27.* *Euſeb. Chron. pag. 752.* *Anaſt. tom. 1.* *Pag., Tillem., Coutan. Baſn. Pearſ. an. 257.*

5. Ad Sixtum Romanum Pontificem Dionyſius Alexandrinus, *ſecundam de baptiſmo ſcripſit epiſtolam*, ait Euſebius, *in qua Stephani ſimul, ac reliquorum Epiſcoporum ſententiam, ac judicium exponit*, Stephanum ſcilicet Heleno, ac Firmiliano, ceteriſque ſacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis per litteras ſignificaſſe, ſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod Hæreticos rebaptizarent: quod ne exequeretur, ideſt, communionem cum iis abrumperet, ſequeſtrem ſe ſe objeciſſe narrat, eaque propter ad alios quoque, ad Dionyſium nempe, & Phi-

Dionyſii Alex. epiſtolæ ad Sixtum. *Euſeb. lib. 7. ſ. 6.*

Jesu Chr. An. 257.

& Philemonem epiſtolas dediſſe addit. De Sabellii etiam hæreſi tunc temporis percrebeſcente, eadem epiſtola Sixtum certiorem reddidit his verbis: *De dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum eſt, pleno impietatis, ac blaſphemiæ adverſus omnipotentem Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; pleno etiam incredulitatis erga Unigenitum ejus Filium, Primogenitum omnis creaturæ, Verbum, quod inter homines verſatum eſt; pleno denique ſtuporis adverſus Spiritum Sanctum; cum ab utraque parte & litteræ ad me allatæ eſſent, & fratres mecum diſſerturi veniſſent, epiſtolas quaſdam, quantum Deo juvante potui, tractatoris more fuſius ſcripſi; quarum exemplaria ad te miſi.*

Dionyſius Sixtum in cauſa difficile conſulit. *Euſeb. lib. 7. 9.*

6. Epiſtola altera difficiliorem quæſtionem Sixto Pontifici ſolvendam propoſuit: *Opus habeo, frater*, ajebat Dionyſius, *conſilio tuo, & ſententiam tuam expeto, ne forte ipſe halluciner tali ad me negotio delato*. Quidam igitur ex fratribus, qui jampridem pro fideli habitus, ante ipſius, & Heraclæ Epiſcopatum, Eccleſiæ communionis particeps fuerat, cum interfuiſſet aliquando in Eccleſia dum adminiſtraretur baptiſma, ac interrogationes, reſponſaque illorum, qui baptizabantur, audiiſſet; flens Dionyſio acceſſit, pedibuſque ejus advolutus confiteri, atque dejerare cœpit, baptiſmum addens ſe apud hæreticos accepiſſe, illudque nihil cum Catholicorum baptiſmate commune habuiſſe; quare acerbiſſimo doloris ſenſu compunctus, omnibus precibus orabat, ut hoc puriſſimo lavacro, veriſſimaque adoptione, & gratia donaretur. Renuit tamen Dionyſius, inquiens dinturnam illi ſufficere communionem, ſimulque, ut bono animo eſſet, & cum firma fide bonæ ſpei plenus ad Dominici Corporis participationem accederet, eidem juſſit. *Verum ille nullum lugendi finem facit, & ad menſam accedere penitus exhorreſcit; vixque rogatus intereſſe orationibus ſuſtinet*. Hucuſque Dionyſius ad Sixtum, ad quem & alteram de baptiſmo, quam quintam Euſebius vocat, epiſtolam dedit; quibus exemplo ſuo docuit, quid in dubiis agere debeant Epiſcopi, ut ſcilicet Romanam Sedem conſulant, ac nihil interea, niſi ejuſdem expectato judicio, definiant.

Dionyſii Alex. Epiſcopi confeſſio fidei, & exilium. *Euſeb. lib. 7. 11.*

7. Sed majora ſunt, quæ de Dionyſio ſequuntur, dum exorta Valeriani perſecutione ab Æmiliano Ægypti Præfecto, poſt illuſtrem fidei confeſſionem, exulare coactus eſt, ut idem in epiſtola ad Germanum narrat, quam hiſtoriæ ſuæ Euſebius inſe-

inſeruit : *De perſecutionis autem illius acerbitate , quæ , & quanta ipſe una cum aliis ob veri Dei cultum pertulerit , docent ejuſdem Dionyſii verba , quibus Germano cuidam illius temporis Epiſcopo , qui calumniari ipſum conabatur , reſpondet .* In eadem epiſtola ſe in Æmiliani conſpectu , comitantibus Maximo compresbytero , & Fauſto , Euſebio , ac Cheremone Diaconis , & quodam ex Romanis fratribus , aſtitiſſe narrat . Æmilianus vero id præcipue agebat , inquit Dionyſius : *Ne ipſi Chriſtiani eſſemus , & ab eo cultu deſiſtere me jubebat ; ratus ſcilicet , ſi ego ab eo cultu deſciviſſem , ceteros exemplum meum ſequuturos . Reſpondi non improbabiliter , nec longe arceſſita reſponſione . Obedire oportet Deo magis , quam hominibus . Sed palam , & aperte conteſtatus ſum , me illum , qui ſolus eſt Deus , neque alium ullum præter hunc adorare ; nec a propoſito diſceſſurum me eſſe , nec commiſſurum unquam , ut Chriſtianus eſſe deſinerem . Poſt hæc abire nos juſſit in vicum quemdam ſolitudini proximum , cui nomen eſt Cephro .* Deinde Acta publica , ideſt , ipſiſſima Æmiliani verba , ſuaſque reſponſiones ibidem ſubdit : tum exilii ſententiam in ſeipſum ejuſque ſocios latam : *Statimque me , tametſi ægrotantem , proficiſci compulit , ne diei quidem unius dilatione conceſſa .*

Quas ærumnas in exilio Dionyſius pertulerit. *Euſeb. lib.7. 11.*

8. Quæ autem exul egerit Dionyſius , aut paſſus fuerit , ipſe refert , his verbis : *Apud Cephro vero nobiſcum magna Fidelium adfuit multitudo , partim eorum , qui ab Urbe nos ſequuti fuerant , partim aliorum , qui ex reliqua Ægypto confluebant . Ibi quoque januam nobis patefecit Deus ad prædicationem verbi ſui . Et quidem initio perſecutionem paſſi , & lapidibus impetiti ſumus . Poſtmodum vero non pauci ex Gentilibus , relictis ſimulacris , ad Deum converſi ſunt* ; cum illis Evangelium prædicare cœpit , quaſi Deus ejus rei cauſa illuc eum perduxiſſet . Sed paulo poſt alio translatus eſt Dionyſius , ceteri vero per vicos ad Mareoticam Præfecturam pertinentes diſperſi ; hoc enim Æmilianus moliebatur , ut quandocumque voluiſſet , omnes nullo negotio capere poſſet . De ſe autem ſubdit Dionyſius : *cum Cephro abire juſſus ſum , tametſi ubinam locus ille ſitus eſſet , ignorabam , quippe qui vix nomen illius antea audiviſſem ; nihilominus alacri conſtantique animo perrexi . Poſteaquam vero mihi renunciatum eſt , ut ad Collutbionis regionem migrarem , norunt ii , qui tum præſentes aderant , quomodo affectus animo fuerim ; hic enim me-*

JESU CHR. AN. 257. *metipſum accuſabo, principio quidem ægre admodum, ac moleſte tuli*. Quamvis enim notior Colluthionis eſſet regio, quam Cephron; vacuus tamen, & latronum incurſionibus obnoxius locus dicebatur. Sed commodior ac jucundior mox evaſit; nam ob urbis viciuitatem, cariſſimorum & conjunctiſſimorum hominum aſpectu crebrius frui potuit, itaut etiam conventus ibidem ageret, ut pluribus idem narrat Dionyſius. Obtrectatorem deinde ſuum, ideſt, Germanum interrogat, num ipſe tot vexationes numerare poſſet, ac totidem ſententias Judicum, publicationes, proſcriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, deſpectus denique minarum, quæ coram intentabantur, vociferationum, diſcriminum, perſecutionum, fugæ, ærumnarum, & cujuſquemodi malorum tolerantiam; *cujuſmodi ſunt ea, quæ ſub Decio, & Sabino, & quæ in hunc uſque diem ſub Æmiliano nobis contigerunt?* Ubinam vero comparuerit Germanus, aut illius facta mentio fuerit, quærit. Deinde: *Verum ab imprudentia illa, in quam Germani cauſa delapſus ſum, tandem abſiſto*. Hactenus Dionyſius de iis, quæ tum in Cephro, tum in Colluthionis regione ſibi contigerant: cetera ſequenti anno reſervamus.

Cyprianus, aliique Epiſcopi in exilium acti. *Cypr. epiſt. 77. 78. 79.*

9. Quam in Ægypto exilii ſententiam pertulit Dionyſius, eamdem plures in Africa Epiſcopi ſubierunt, queis cum Cyprianus dignitate antiſtaret, ita & confeſſione, & pœna præceſſit. Nam chriſtianam Fidem coram Paterno Proconſule profeſſus, primus in exilium ejicitur, ad quem reliqui Epiſcopi, eadem de cauſa exules, hæc in ejus laudem in epiſtola ad eum data contexunt: *Nam ante paſſionem a te ſumus ad gloriam provocati, qui prior nobis ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti præbuiſti; nos vero ſequuti veſtigia confeſſionis tuæ, parem gratiam tecum ſperamus*. Similia ſunt, quæ eidem ſcripſere Nemeſianus, Dativus, Felix, & Victor: *Nam*, inquiunt, *quaſi bonus, & verus doctor, quid nos diſcipuli ſequuti apud Præſidem dicere deberemus, prior apud acta Proconſulis pronunciaſti, & tuba canens Dei milites cæleſtibus armis inſtructos, ad congreſſionis prælium excitaſti, & in acie prima pugnans, agmina quoque fratrum hinc, & inde verbis tuis compoſuiſti*. Hæc de Cypriani confeſſione Epiſcopi exules. *Quid vero Sacerdos Dei*, ait Pontius, *Proconſule interrogante reſponderit, eſſe acta, quæ referant*.

Epiſt. 78. *Epiſt. 77.*

Acta paſſionis S. Cypriani.

10. Actorum Cypriani hæc ſumma eſt: *Imperatore Valeria-*

Digitized by Google

leriano quartum , & Gallieno tertium Conſulibus , ideſt hoc anno , tertio Kalendarum Septembrium , Carthagine in ſecretario , Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo , ſe ab Imperatoribus Valeriano , & Gallieno litteras accepiſſe dixit , quibus præceptum erat , eos , qui Romanam religionem non colerent , debere Romanas cæremonias recognoſcere . Cui Cyprianus : *Chriſtianus ſum , & Epiſcopus . Nullos alios deos novi , niſi unum , & verum Deum , qui fecit Cœlum & Terram , mare , & quæ ſunt in eis omnia* . Paternus vero ſubdidit : *In hac ergo voluntate perſeveras ?* Cum autem Cyprianus in eadem ſententia ſe perſeverare reſpondiſſet , exul ad urbem Curubitanam juſſus eſt proficiſci . Sed iterum Proconſul , non ſolum de Epiſcopis , inquit , verum etiam de Presbyteris ſibi Valerianum , & Gallienum ſcripſiſſe ; ideoque de his , qui in ea civitate conſiſterent , ab eo diligenter ſciſcitabatur : ad quæ cum Cyprianus reponeret , ſe eos indicare non poſſe , ne delatoris officio fungi videretur ; omnes a ſe ipſo inveniendos eſſe minitatus , mox ſub capitis etiam ſupplicio vetuit , ne ullis in locis deinceps conventus fierent , nec cœmeteria frequentarentur , Cyprianum interim in exilium deportari præcipiens .

Viſio a Cypriano in exilio habita.

11. Curubim itaque decimo octavo Kal. Octobris pervenit Cyprianus , qua die ſequenti anno , ut ex Pontio ſcimus , martyrium ſubiit . Quæ autem eidem exulanti contigerint , aut oſtenſa ſint , his fere verbis Pontius exilii comes enarrat. Ut frequentiam viſitantium fratrum , civiumque charitatem omittam , admirabilem viſitationem Dei non præteribo , qua Antiſtitem ſuum ſic in exilio eſſe voluit de futura paſſione ſecurum , ut imminentis martyrii pleniore fiducia , non exulem tantummodo Curubis , ſed & Martyrem poſſideret . Eo enim die , quo primum in exilii loco ſubſtitit , Cypriano , nondum ſomni quiete ſopito , apparuit juvenis , ultra modum hominis enormis , qui eum ad prætorium duceret : quo cum eſſet , ac ſtatim Proconſul in tabula ſententiam ſcribere cœpiſſet , juvenis idem , qui a tergo ejus ſtabat , admodum curioſus legit quidquid fuerat adnotatum . Et quia id verbis proferre non poterat , nutu declarante monſtravit , quid in litteris tabulæ illius haberetur . Manu enim expanſa , & complanata ad ſpathæ modum , ictum ſolitæ animadverſionis imitatus , quod volebat intelligi , ad inſtar liquidi ſermonis expreſ-

G 2 ſit ,

Jesu Chr. an.257.

ſit, Agnito igitur agone ſuo mox futuro, rogavit Cyprianus, & continuo petiit, ut dilatio vel unius diei ſibi daretur, donec res ſuas legitima ordinatione diſponeret. Et cum preces frequenter iteraſſet, rurſus in tabula cœperat neſcio quid adnotare, ac demum ſenſit dilationem ſibi fuiſſe conceſſam: quæ quidem diei intermiſſio annum ſignificabat, quo poſt viſionem martyrii coronam adeptus eſt, ut exitus comprobavit, & ſequenti anno narraturi ſumus.

Africani Epiſcopi tormentis vexati, & ad metalla damnati.

Epiſt. 76.

12. Acerbiora ſunt, quæ Epiſcoporum plurimi, hac eadem perſecutione vigente pertulere; nam horum aliqui fuſtibus, aliiſque tormentis cruciati ſunt, aut ad metalla damnati, ad quos Cyprianus e ſuo exilio hoc, vel ſequenti anno hæc ſcripſit: *Nemeſiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Jadeti, Dativo Coepiſcopis, item Compresbyteris, & Diaconibus, & ceteris fratribus in metallo conſtitutis. Gloria quidem veſtra poſcebat, beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres, ut ad conſpectum, atque complexum veſtrum venire ipſe deberem; niſi me quoque ob confeſſionem nominis relegatum præfiniti loci termini coercerent. Sed quo modo poſſum, repræſento me vobis, & ad vos etiam ſi corpore, & greſſu venire non datur, dilectione tamen, & ſpiritu venio, exprimens litteris animum meum, quo in iſtis virtutibus, & laudibus veſtris lætus exulto; participem me computans vobis, etſi non paſſione corporis, conſortio charitatis.* Hæc idcirco Cyprianus, quia non ut illi fuſtibus verberatus, aut metalli pœna multatus eſſet. Quam vero gloriam adepti, aut mercedem conſecuturi eſſent ex acceptis plagis, carcerum ærumnis, exantlatiſque pro Chriſti fide laboribus, eleganti, fuſoque calamo exponit. Eos demum, ut hilares ad martyrium properarent, etiam atque etiam hortatur, & ne moleſte ferrent, eo quod Sacerdotibus Dei facultas offerendi, & celebrandi ſacrificia divina non daretur; nam, Scriptura ipſa teſtante,

Pſal. 50.

contribulati eorum ſpiritus ſacrificium Deo erant acceptum pariter, & ad pleniſſimam retributionem profuturum. Quare: *Hoc vos ſacrificium Deo offertis; hoc ſacrificium ſine intermiſſione die, ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo, & vos metipſos ſanctas, atque immaculatas victimas exhibentes.* Et maxime cum ipſorum exemplo non exigua plebis portio ad martyrium excitata eſſet, inter quos nec virgines, aut pueri defuerunt, *ut martyrii veſtri beatum gregem, & ſexus, & ætas*

ætas omnis ornaret. Hæc, aliaque Confeſſoribus ad metalla damnatis Cyprianus. Jesu Chr. an.257.

13. Exules Epiſcopos, & ad metalla damnatos, non ſolum datis ad eos litteris recreandos curavit Cyprianus, ſed per Herrennianum Hypodiaconum, Lucianum, Maximum, & Amantium Acolythos, pecunias, veſtes, & cibaria miſit, ut Confeſſores teſtantur; qui cum ab invicem ſejuncti eſſent, plures ea de cauſa, Cypriano epiſtolas reddiderunt. Inter eos Cyprianus Epiſcopos, alioſque ad metalla damnatos ſublevat.

Nemeſianus, *Dativus*, *Felix*, *&* *Victor*: *Semper magnis ſenſibus*, inquiunt, *pro temporum conditione litteris tuis locutus es*, *Cypriane dilectiſſime*, *quibus aſſidue lectis*, *&* *pravi corriguntur*, *&* *bonæ fidei homines corroborantur*. Et poſt aliqua in ejus laudem de præclara fidei confeſſione: *Nam quaſi bonus*, *&* *verus Doctor*, *quid nos diſcipuli ſequuti apud Præſidem dicere deberemus*, *prior in acta Proconſulis*, *&* *tuba canens Dei milites cæleſtibus armis inſtructos*, *ad congreſſionis prælium excitaſti*, *&* *in acie prima pugnans ſpiritali gladio diabolum interfeciſti*. De veſtibus vero, ac pecunia ab eo acceptis: *Agunt ergo tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias*, *Cypriane dilectiſſime*, *quod litteris tuis laborantia pectora recreaſti*, *fuſtibus vulnerata membra curaſti*, *compedibus pedes ligatos reſolviſti*, *ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti*, *tenebras carceris illuminaſti*, *montes metalli in planum deduxiſti*, *naribus etiam fragrantes flores impoſuiſti*, *&* *tetrum odorem fumi excluſiſti*. *Fecit autem &* *proſequutum miniſterium tuum*, *&* *Quirini dilectiſſimi noſtri*, *quod per Herrennianum Hypodiaconum*, *&* *Lucanum*, *&* *Maximum*, *&* *Amantium Acolythos*, *diſtribuendum miſiſti*, *quæcumque neceſſitatibus corporum defuerant expediri*. Idem continet argumentum epiſtola altera, quam Lucius, aliique, qui cum eo erant, ad eum dederunt, hæc inter cetera reſcribentes: *Litteræ tuæ*, *frater cariſſime*, *quas per Herrennianum Hypodiaconum*, *&* *Lucanum*, *&* *Amantium Acolythos miſiſti nobis*; *quibus lectis recipimus in vinculis laxamentum*, *in preſſura ſolatium*, *&* *in neceſſitate præſidium*, *&* *excitati ſumus*, *&* *robuſtius animati ad*, *ſi quid amplius fuerit pœnarum*. *Nam ante paſſionem a te ſumus ad gloriam provocati*, *qui prior nobis ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti præbuiſti &c.* His alia addenda eſt, qua Felix, Pader, Polianus, una cum Presbyteris, & omnibus, qui cum iis erant apud metallum Siguenſe, ſeſe orationibus

Confeſſorum epiſt. ad Cypr.

Epiſt. 77.

Epiſt. 78.

Epiſt. 79.

Jesu Chr. An. 257.

nibus ejus commendant, & muneribus recreatos fuiſſe teſtantur. Horum omnium Confeſſorum, qui poſt longum agonem martyrio coronati ſunt, memoria IV. Idus Septembris recenſetur.

De Noeto, & Sabellio hæreticis, eorumque hæreſi. *Euſeb. lib. 7. 6.*

14. Cum adhuc Valeriani perſecutio vigeret, ſævior adhuc procella in Eccleſia exorta eſt, Sabellii ſcilicet hæreſis, de qua Dionyſius Alex. ad Sixtum: *In eadem epiſtola*, ait Euſebius, *de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increbreſcebant, Sixtum certiorem facit*, ac epiſtolas, quas ea de cauſa vel acceperat, vel ad nonnullos dederat, eidem Pontifici tranſmiſit: in quam rem animadvertit Baronius antiquum in Eccleſia morem fuiſſe, ut cum nova aliqua hæreſis emergeret, Epiſcopi ejus regionis, in qua quid hujuſmodi accidiſſet, cuncta quamprimum Romano Pontifici ſignificarent, quæ de eo argumento ſcripta eſſent mittentes, ut ab eo examinarentur, quemadmodum a Dionyſio, primæ Sedis poſt Romanam Epiſcopo, factum apparet. *Quidni id facerent*, ſubdit idem Auctor, *minorum ſedium ubique Terrarum Epiſcopi, quod a maxima omnium præſtari Eccleſiæ Romanæ cognoſcerent?*

Romanæ Eccleſiæ dignitas.

Sabellianæ hæreſeos primi auctores.

Ath. de Chriſti advent. t. 1. par. 2. p. 942. Tertull. in Prax. cap. 1. Cypr. epiſt. 73. Epiph. hær. 57. 1.

15. Ceterum etſi Sabelliana hæreſis hoc tempore ſerperet, nova tamen, ac tunc primum in Mundum invecta non erat; nam antea Noetus, & ante Noetum Valentinus docuerat, ſi Athanaſio fides: *Valentinus paſſionem Trinitati communem eſſe dicit*. Valentini veſtigiis inhæſerat Praxeas, de quo Tertullianus: *Hæreſim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit*. Patripaſſianorum meminit & Cyprianus, ad Jubajanum ſcribens. Eam tamen hæreſim a Noeto ortum habuiſſe, tradit Epiphanius, cujus epocham ſic prodit: *Hæreticus Noetus nomine prodiit, neque multis ab hinc annis, ſed ante hos fere centum triginta*: Auctor fortaſſe hujus hæreſis dictus; quia poſt Valentinum, & Praxeam eamdem e cineribus excitavit, propagavitque. Porro etſi antiquitate Noetus Sabellium vincat, impietate tamen, & conſanguinitate doctrinæ conjuncti erant: unde binominis ea hæreſis fuit, Noetiana ſcilicet, & Sabelliana, quæ perſonarum diſtinctionem in Trinitate tollebat, ac nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad diverſos effectus Divinitatis inſinuandos adinventa eſſe affirmabat. Quamobrem ſublata perſonarum diſtinctione fiebat, ut ſicut Filius, ita Pater, & Spiritus Sanctus, juxta

co-

Digitized by Google

eorum dogma, & carnem ſumpſiſſent, & paſſionem ſuſtinuiſſent. His alium errorem adjunxerat Sabellius, materiam ſcilicet ingenitam eſſe, ut teſtatur Euſebius. De Noeto ſcribit Epiphanius: *Is Aſianus, urbe Epheſi exiſtens*; Smyrnæ vero natum fuiſſe, tradit Theodoritus, cujus errores in Anacephaleoſi recenſens Epiphanius, Patri paſſionem eum tribuiſſe adnotat, ac in ſuperbiam elatum, ſe ipſum Moyſen, & fratrem ſuum Aaron eſſe ſomniaſſe. Quæſitus autem Noetus ab Eccleſiæ presbyteris, num eam de Patre blaſphemiam protuliſſet, primum quidem negavit: deinde cum nonnullos in ſuam ſententiam pertraxiſſet, iterum interrogatus, audaciſſime confeſſus eſt, addens. *Quid mali feci? Unum Deum glorifico, unum novi, & non alium præter ipſum genitum, paſſum, mortuum*. Quare, cum manifeſtam doceret hæreſim, ab Eccleſia una cum diſcipulis ſuis abſtentus eſt, ac paulo poſt ipſe cum proprio fratre vitam finiere, *non velut Moyſes in gloria, neque ipſius frater Aaron ſepultus eſt in honore; abjecti enim ſunt, velut tranſgreſſores, & nemo ex piis ipſos cooperuit*.

JESU CHR. AN. 257.

Euſeb. præpar. evang. lib. 7. 8.

Epiph. hær. 57. 1.

Theodorit. hæret. fab. lib. 3. cap. 3.

16. Inter Noeti diſcipulos Sabellius ceteros impietate ſuperavit, qui Ptolemaida Libyæ oriundus, improbi dogmatis propugnator factus, multos ſibi ſectarios cito conjunxit: itaut non Ptolemaidæ tantum, finitimiſque provinciis impiam hæreſim docuerit, ſed longius, ac in Macedoniam uſque diffuderit; immo & in Urbem furtim inferri curaverit, eam Ægyptiorum evangelio, aliiſque apocryphis libris confirmare ſtudens, ut ſcribit Epiphanius. Cum Sabellii dogmata eadem ac Noeti eſſent, miratur Auguſtinus, cur Epiphanius, & Philaſtrius aliquid diſcriminis inter utramque ſectam opponerent: *At Sabellius*, inquit, *famoſior, & ideo ex illo celebrius hæc hæreſis nomen acceperit; Noetiani difficillime ab aliquo ſciuntur; Sabelliani autem ſunt in ore multorum*. Ut Sabellianæ impietatis rumor ad Dionyſium Alexandrinum pervenit, non ſolum Sixtum Pontificem certiorem reddidit, ut diximus; ſed & contra Sabellium, ejuſque hæreſim Euphranori, & Ammonio, aliiſque epiſtolas dedit, de quibus hæc Euſebius: *Extant aliæ complures Dionyſii epiſtolæ, inter quas ſunt illæ contra Sabellium ſcriptæ ad Ammonem Berenicenſem Epiſcopum: alia item ad Teleſphorum, & ad Euphranorem altera: alia rurſus ad Ammonem, & Euporum. Quatuor* etiam

Sabellii hæreſis ubique diffuſa.

Epiph. hær. 62.

Aug. de hær. cap. 41.

Dionyſii ſcripta contra Sabellii hæreſim.

JESU CHR. AN.257. *etiam libros de eodem argumento compoſuit, quos Gentili ſuo Dionyſio Romanorum Epiſcopo nuncupavit*. Cumque in iis contra Sabellium ſcriptis, nonnulla minus caute viro ſancto excidiſſent, Chriſtianorum aliqui Romam navigantes, eum apud Dionyſium Romanum Pontificem accuſarunt, ut infra ſuo loco dicturi ſumus.

Gregorius Thaumaturgus a Sabelliana hæreſi a S. Baſilio vindicatus.

17. Eadem fere Gregorio Thaumaturgo acciderunt, qui hoc tempore adverſus Ælianum Gentilem ſcribens, ut illatam ab eo calumniam confutaret, qua nempe Chriſtianos, ex Trinitatis adoratione, plurium deorum cultores eſſe effutiebat; dum ſic inſultantem arguit, ac unam eſſentiam divinam Ethnico homini demonſtrare curavit, Sabellianæ hæreſi faviſſe quibuſdam viſus eſt, ac confudiſſe perſonas. Horum tamen immeritam incuſationem his verbis S. Baſilius refellit: *Quod Gregorius in expoſitione fidei dixerit, Patrem, & Filium juxta mentis quidem conſiderationem, duos eſſe, hypoſtaſi vero unum; hoc autem non dogmatice, ſed contentioſe in diſputatione adverſus Ælianum dictum eſſe, intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi ſubtilitatem beatos ſeſe reputant; in qua concertatione, multi ſunt, eorum quæ deſcripta ſunt, lapſus; quemadmodum, ſi Deus volet, ex ipſis verbis oſtendemus. Quandoquidem ſane qui Gentilem ad credendum perſuadere nititur, is non putat ſibi circa verba exactius diſceptandum eſſe; ſed alicubi conſuetudini ejus, quem ad fidem inducit, nonnihil condonat, dummodo principalibus, ac neceſſariis non reluctetur. Quapropter & multas invenias illic voces, quæ jam hæreticis plurimum addant roboris, utpote Creatura, & Factura, ac ſi quid aliud ejuſmodi eſt*. Hæc Baſilius, qui eadem epiſtola ad Neocæſarienſem Eccleſiam addit: *Sabellii namque peſtem olim quidem motam, traditione vero Magni Gregorii conſopitam, renovare conantur*; quibus declarat, ipſum Gregorium ſententiam ſuam adverſus Sabellium reliquiſſe teſtatam.

Baſil. epiſt. 64.

De Hæreticis Angelicis, & Apoſtolicis, eorumque erroribus.

18. Alias etiam hac ætate ab inferis emerſiſſe hæreſes, narrat Epiphanius; quæ tamen vix exortæ, cito cum eorum auctoribus ſepultæ, in obſcuro remanſerunt: cujuſmodi fuere Eunuchorum hæreſis a Valeſio quodam prognata, aut Catharorum, & Angelicorum, quorum auctores, & errores ignorantur: *Quam ob cauſam*, ait Epiphanius, *id hæreſis nomen accepit, neſcimus, ſive ex eo, quod aliqui Mundum ab Angelis factum eſſe*

Epiph. hær. 60.

eſſe dicant, & ipſa hoc aſſerens, hoc nomine appellata eſt, non poſſum dicere, ſive quod ſe ipſos in ordine Angelorum eſſe jactent, & vitam eminentiſſimam degant, neque affirmo, ſive etiam a loco nomen acceperint. Eos vero a ſuperſtitioſo Angelorum cultu nomen derivaſſe, ſcribit Auguſtinus. Poſt Angelicos Apoſtolici numerantur, Eucratitarum quidem, & Catharorum germen, quorum is præcipuus error erat, quod cum nuptiis, & bonorum poſſeſſionibus renunciaſſent, neminem quoque niſi cælibem, aut pauperem ad ſui conſortium admittebant. *Iſto ſe nomine arrogantiſſime vocaverunt*, inquit Auguſtinus; *eo quod in ſuam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet Catholica Eccleſia, & Monachos, & Clericos plurimos; ſed ideo iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent*. Illos autem ad ſuam impietatem confirmandam Actis Ss. Andreæ, & Thomæ apocryphis uſos fuiſſe, auctor eſt Epiphanius.

Aug. hær. 39. Epiph. hær. 61.

Aug. hær. 40.

JESU CHRISTI AN. 258. SEDES ROMANA VACAT.
VALERIANI, ET GALLIENI IMP. 6.
COSS. AURELIO MEMMIO TUSCO, ET BASSO.
OLYMPIAD. 259. AN. 1. URBIS AN. 1011.

1. Inceptam adverſus Chriſtianos perſecutionem ferali edicto hoc anno in immenſum exaſperavit Valerianus, ut in epiſtola ad Succeſſum data Cyprianus commemorat. Ad Senatum quippe ſcripſerat Imperator, ut in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos abſque mora gladio animadverteretur. Senatores autem, & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpoliarentur: ſi vere it Chriſti fidei confeſſione perſeverarent, capite quoque punirentur. Matronæ etiam, proſcriptis facultatibus, in exilium relegarentur: & ſi qui Cæſariani, vel prius, vel tunc confeſſi fuiſſent, in Cæſarianas poſſeſſiones vincti, ac deſcripti mitterentur.

Valeriani edictum adverſus Chriſtianos.

Cypr. epiſt. 80.

2. Cyprianum Sixtus, hujus nominis Papa II., martyrii gloria prævivit. Diem, & locum martyrii idem Cyprianus in memorata ad Succeſſum epiſtola his verbis indicat: *Sixtum autem in Cœmeterio animadverſum ſciatis, octavo Iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum*. Quanta au-

Sixtus Papa II. martyrio coronatur.

Cypr. epiſt. 80.

JESU CHR. AN. 258.

tem feritate in Chriſtianos Romæ tunc ſævitum ſit, iterum prodit Cyprianus: *Sed & huic perſecutioni quotidie in Urbe inſiſtunt Præfecti, ut ſi qui ſibi oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum Fiſco vindicentur*. Nec Romæ ſolum ab Urbis Præfectis, quotquot ex Chriſtianis deferebantur, ex-

Perſecutionis acerbitas demonſtratur.

quiſitis afficiebantur ſuppliciis; ſed & ubique Provinciarum Præſides Valeriani edicto, & epiſtolis inflammati, Præfectorum Urbis ſævitiam, crudelitatemque æmulabantur, ut vel ex his, quæ Carthagine contigiſſe narrat Cyprianus, manifeſto patet. Adnotat enim ſe antea ideo non ſcripſiſſe, quia

Epiſt. 80.

univerſi Carthaginenſis Eccleſiæ clerici ſub ictu agonis conſtituti eſſent, recedere omnino non poterant, parati omnes pro animi ſui devotione ad divinam, & cæleſtem gloriam. Lactantius vero de ejuſdem perſecutionis acerbitate, *brevi tempore multum juſti ſanguinis Valerianum fudiſſe*, tradit. *Multos etiam Fidelium Cyprianum ſequutos in martyrio*, ſcribit Pontius. Non multos tamen Chriſtianorum ea quoque perſecutione ſangui-

Dodwell. diſſert. 11. in Cypr. n. 59. 60.

nem fudiſſe, Dodwellus nimia confidentia, ni dicam temeritate, ait, cui aperte Lactantius, Cyprianus, Dionyſius Alexandrinus, aliique coævi Scriptores adverſantur. Quare ſi in tota de Martyrum paucitate diſſertatione ſomniaſſe viſus eſt, hoc certe loco deliraſſe compertum eſt. Siquidem in Cœmeterio Callixti Sixtum Pontificem, & cum eo Quartum, alioſque Romanæ Eccleſiæ miniſtros capite truncatos fuiſſe plurima tra-

Martyrol. Rom. 6. Aug.

dunt monumenta. Bucherianus vero Indiculus Agapitum, Feliciſſimum, & Prætextatum Sixto, & Quarto ſocios recenſet. De Sixti Papæ martyrio hæc cecinit Prudentius in hymno de S. Laurentio:

Fore hoc Sacerdos dixerat
Jam Sixtus affixus Cruci
Laurentium flentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite.

Sancto huic Pontifici & Martyri epiſtolæ duæ ab Iſidoro inſcriptæ ſunt, ad Gratum una, ad Hiſpaniæ Epiſcopos altera: quibus confutandis non immoramur, ne actum jam a pluribus viris do-

Sedes Romana vacat.

ctis agere videamur. Id vero indubium eſt, poſt illius dormitionem, Romanam Sedem vacaſſe ad diem uſque undecimam Kalend. Auguſti, *Æmiliano, & Baſſo Coſs.*, ideſt, uſque ad diem 22. Julii anni ſequentis, quo & perſecutio Valeriani captivitate deferbuit, ut inferius demonſtrabimus.

3. Six-

3. Sixto, & Quarto, aliiſque Romanis Martyribus Laurentium addimus, qui triduo poſt Sixtum, glorioſum certamen iniens, ac, poſt diverſa tormenta, tandem craticula impoſitus, atque igne aſſatus, martyrii coronam adeptus eſt. Illuſtrem ejus de tyranno triumphum, firmamque fidei confeſsionem pluribus celebrant Eccleſiæ Patres, Ambroſius, Auguſtinus, Chriſologus, Leo Magnus, Prudentius, aliique innumeri; itaut teſte Auguſtino: *Quam non poteſt abſcondi Roma, tam non poteſt abſcondi Laurentii corona*; & S. Leo: *A ſolis ortu uſque ad occaſum Leviticorum luminum coruſcante fulgore, quam clarificata eſt Hieroſolyma Stephano, tam illuſtris interfuit Roma Laurentio*. Ejuſdem martyrium etſi plurimi narrent, Prudentius tamen præ ceteris verſibus elegantiſsime ob oculos ponit: Ambroſius vero ornate copioſeque deſcribit, ex quibus pauca hic afferimus. Cum itaque ad ſupplicium Sixtus duceretur, Laurentius Pontifici obviam factus, in hæc verba prorupit: *Quo progrederis ſine filio Pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? nunquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras? Quid in me diſplicuit Pater? num degenerem me probaſti? experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem, cui conſumandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas*. Cui Sixtus: *Non ego te deſero Fili, ac derelinquo, ſed majora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi juvenem manet glorioſior de tyranno triumphus: mox venies, flere deſiſte, poſt triduum me ſequeris*. Præfecto ſiquidem poſt triduum oblatus, ac Eccleſiæ theſauros exhibere juſſus, ſequenti die pauperes duxit, eoſque oſtendit, dicens: *Hi ſunt theſauri Eccleſiæ, & vere theſauri, in quibus Chriſtus eſt. Hos theſauros demonſtravit Laurentius, & vicit, quod eos nec perſecutor auferre potuit*. Tunc Præfectus ſpe ſua fraudatus, ac in ſanctum Levitam incenſus, lento igne torreri ſuper craticulam juſsit: cui ſuperpoſitus Martyr ad tyrannum ait: *Aſſatum eſt, verſa, & manduca*; ac demum per ignem probatus, ductus eſt in refrigerium. Ejus natale die decima Auguſti Martyrologia recenſent: Ado vero, & alii ſub Decio Imperatore, ac Valeriano Præfecto, eumdem una cum Sixto Pontifice martyrium ſubiiſſe narrant.

S. Laurentii certamen.

Ambroſ. de Offic. lib. 2.
Auguſt. ſerm. 303.
Griſolog. ſerm 135.
Leo Magn. de S. Laurent. ſerm. 85.
Prudent. hym. 2. periſtephan. ſive de coronis.

Ambroſ. de Offic. lib. 1. cap. 41. & lib. 2. cap. 28.

Prudent. hym. 2. de Coronis.

4. Ubi Carthagine nunciatum eſt, *Sixtum bonum, & paci-*

S. Cypriani martyrium.

pacificum Sacerdotem martyrio vitam finiiſſe, *ſperabatur*, ait Pontius, *jamque carnifex veniens, qui victimæ colla percuteret*, ideſt Cypriani; *jamque dies craſtinus proximabat*, quem ſcilicet ultimum futurum Cyprianus viſione didicerat, ut anno elapſo diximus. Ad Cyprianum interea conveniebant plures egregii, & clariſsimi ordinis, & ſanguinis viri, qui propter amicitiam antiquam ſeceſſum ſuadebant, ac loca, in quæ ſe reciperet, offerebant. Ille vero jam Mundum negligens ad martyrium properabat. Seceſsit tamen brevi tempore, ut martyrii acta, & Cypriani epiſtola produnt; cum etenim *diu ibidem moraretur*, Curubi ſcilicet, ubi exulaverat, *ſucceſſit Aſpaſio Paterno Proconſuli Galerius Maximus*, qui Cyprianum ab exilio revocatum in hortis ſuis manere permiſerat: ubi cum eſſet, repente nunciatum eſt, Uticam eſſe deducendum, quo tunc temporis Proconſul agebat, ut capitis ſententiam acciperet. Sed ægre ferens extra Eccleſiam ſuam Martyrem fieri, paululum ſeceſsit, donec Proconſul Carthaginem rediret, quo redeunte, & ipſe in hortos ſuos rediit. Ne autem invidi, aut maligni eum non tam receſsiſſe, quam martyrii declinandi cauſa fugiſſe dicerent, epiſtolis ſuis rationem reddidit:

Cypriani epist. ad Clerum, & populum.

Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus, & plebi univerſæ ſalutem. Cum perlatum ad nos fuiſſet, fratres cariſſimi, frumentarios eſſe miſſos, qui me Uticam perducerent; & conſilio cariſſimorum perſuaſum eſſet, ut de hortis noſtris interim ſecederemus, juſta interveniente cauſa, conſenſi; eo quod congruat, Epiſcopum in ea civitate, in qua Eccleſiæ Dominicæ præeſt, illic Dominum confiteri, & plebem univerſam Præpoſiti præſentis confeſſione clarificari. Et poſt aliqua: *Expectamus ergo hic in ſeceſſu abdito conſtituti adventum Proconſulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo quid Imperatores ſub Chriſtianorum laicorum, & Epiſcoporum nomine mandaverint; & dicturi, quod ad horam dici voluerit*: eoſque interim rogat, ut quietam tranquillamque vitam agant, &, ne ſponte ſe perſecutoribus offerant, admonet. Hucuſque Cyprianus ad ſuos, in his ultimum amoris ſui erga illos pignus, & quaſi patris teſtamentum ad eos tranſmittens.

Qui eſſent Frumentarii.

5. Frumentarii, quorum in Cypriani epiſtola fit mentio, milites erant, ad feralia Proconſulum, Præſidumque juſſa prompti: Frumentarii fortaſſe dicti, eo quod frumentorum conquirendorum cauſa ſæpe per provincias mittebantur, explo-

ploraturi etiam, ſi quid adverſus Imperium, aut Principem moliretur. De Hadriano Cæſare narrat Lampridius, per Frumentarios abditiſſima obſervaſſe: *adeo curioſus erat*, inquit, *non ſolam domui ſuæ, ſed etiam amicorum, itaut per Frumentarios occulta omnia exploraret*. De Maximino Imperatore refert Capitolinus: *Scriptum eſt ad omnes provincias miſſis Frumentariis, juſſumque, ut quicumque Maximinum juvaſſet, is hoſtium numero haberetur*.

Cyprianus ad Proconſulem perductus, noctem in vinculis tranſigit.

6. Ad Cyprianum martyrio anhelantem revertimur, qui, redeunte Carthaginem Proconſule, & ipſe in hortos ſuos rediit, ut a militibus comprehendi facile poſſet: quod & accidit; nam, ut ait Pontius, *cum militibus ſuis Princeps repente ſubitavit, immo, ut verius dixerim, ſubitaſſe ſe credidit*. Proceſſit ergo Cyprianus in domum Principis, moxque per Carthaginem totam ſparſus eſt rumor: ac propterea, cum ea nocte illum facilis cuſtodia detineret, amici ejus & cari in contubernio ex more cum eo fuerunt; plebs vero ſolicita, ne per noctem aliquid ſine conſcientia ſui fieret, ante fores Principis vigilavit, ut ait Pontius in ejus vita. Sed ipſa paſſionis acta vel ſummatim ſaltem ſunt excribenda. Itaque *cum illic demoraretur*, in hortis ſuis ſcilicet, *repente idibus Septembris Tuſco, & Baſſo Conſulibus, venerunt ad eum Principes duo, unus Strator Officii Galerii Maximi Proconſulis, qui Aſpaſio Paterno ſucceſſerat, & alius Equiſtrator a cuſtodiis ejuſdem Officii*. Strator, ſive Stator idem eſt ac a commentariis, ſeu ſcriba. Equiſtrator vero, qui Imperatorem, aut Ducem armatum equo imponebat. Iidem autem *in curriculum eum levaverunt, in medioque poſuerunt, & in Sexti perduxerunt*, ſexto ſcilicet ab Urbe lapide, *ubi idem Galerius Maximus bonæ valetudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat, & ita idem Galerius Maximus Proconſul in alium diem Cyprianum ſibi reſervari præcepit; & eo tempore beatus Cyprianus ductus ad Principem, & Stratorem ejuſdem Officii Galerii Maximi, receſſit, & in hoſpitio ejus cum eo in vico, qui dicitur Saturni inter Veneream, & Salutariam, manſit*. *Apud Ruinart. pag. 217.*

Cypriani ſollicitudo pro Virginibus.

7. Cumque illuc univerſus populus conveniret, Cyprianus cuſtodiri puellas præcepit; *quoniam omnes in vico ante januam hoſpitii Principis manſerant*. Sanctus vero Auguſtinus hæc de ejus paſtorali cura adnotat: *Quid illud, quod cum in alium diem dilatus apud cuſtodes eſſet, atque illuc ſe multitu-* *Aug. Serm. 309.*

do

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 258.

do fratrum, & ſociorum congregans pro foribus pernoctaret, cuſtodiri puellas præcepit? quanta intentione conſiderandum? quanta laude prædicandum? quanto præconio commendandum eſt? Vicina corporis morte, non moriebatur in animo Paſtoris vigilantia paſtoralis. Cum etenim militibus omnia conferta eſſent; ne quid diſpendii pateretur virgineus pudor, puellas cuſtodiri juſſit. Illuceſcente autem die jam præcognito, & expectato, Proconſuli tandem offerendus, domum Principis egreditur, infinita multitudine populi comitante, quaſi ad expugnandam mortem, manu facta, conflueret; ſed ubi ad Prætorium ventum eſt, nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt, ubi poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſedit. *Sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & ſub ictu paſſionis Epiſcopatus honore frueretur*; eo quod Epiſcoporum ſedes velo tectæ ut plurimum eſſent.

Militis ſtudium, ut aliquid veſtium Cypriani haberet.

8. Interea *quidam ex Teſſerariis, quondam Chriſtianus, res ſuas obtulit, quaſi vellet ille veſtimentis ſuis humidis ſiciora mutare; qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam ut proficiſcentis ad Deum Martyris ſudores jam ſanguineos poſſideret. Cui ille reſpondit, & dixit: Medelas adhibemus querelis, quæ hodie forſitan non erunt. Mirum, ſi contempſit laborem corpore, qui mortem mente contempſerat? Quid plura? ſubito Proconſuli nunciatum eſt, producitur, admovetur; interrogatus de ſuo nomine, ſe eſſe reſpondit*, ait Pontius.

Cyprianus a Proconſule interrogatus.

9. Ad Cypriani autem Acta nunc revertimur. Die octavadecima Kalendarum Octobris, cum multa turba conveniſſet ad Sexti, atque ſecundum præceptum Galerii Maximi Proconſulis oblatus fuiſſet Cyprianus, ab eo primum quæſivit Proconſul, an ipſe Thaſcius Cyprianus eſſet: deinde, an Papam ſe ſacrilegæ mentis hominibus, Chriſtianis ſcilicet, præbuiſſet. Cui Cyprianus cum reſpondere inciperet, Galerius ſubdidit, juſſiſſe Imperatores, ut Diis ſacrificaret: quod Cyprianus nedum ſemel & iterum peragere recuſavit; ſed & juſſus ſibi conſulere, in re tam juſta nullam occurrere conſultationem repoſuit. Poſt hæc Galerius Maximus, habito concilio, illum denuo increpationibus, ſeu potius calumniis aggreſſus eſt, quod ſcilicet cum ſacrilega mente, ut per injuriam ajebat Proconſul, diu vixiſſet, plurimoſque nefariæ ſibi conſpirationis homines aggregaſſet, nec Imperatores ipſi ad ſe-

ſectam cæremoniarum ſuarum revocare potuerint; ideoque adverſus illum, utpote nequiſſimorum criminum auctorem, hujuſcemodi ſententiam ex tabella recitavit: *Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet*: quam Cyprianus hilari vultu excipiens, Deo gratias egit. JESU CHR. AN.258.

10. De Prætorio itaque ad ſupplicii locum, comitante militum turba, profectus eſt, ubi cum arbores ex omni parte denſatæ, ſpatiique longioris tractus, adſtantibus viſum negarent, factum eſt, ut in earum ramos quamplurimi reperent. Interea, ligatis per ſemetipſum oculis, intrepide, firmiterque expectavit, donec carnificis manus, dato ſigno, in ictum rueret. *Sic conſumata paſſione perfectum eſt*, ait Pontius, *ut Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam ſacerdotales coronas in Africa primus imbueret; quia & talis eſſe poſt Apoſtolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini Epiſcopatus Ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis, & ſacerdotibus, ad paſſionem veniſſe memoratur.* Tandem poſt aliqua: *Quid hoc loco faciam? Inter gaudium paſſionis, & remanendi dolorem in partes diviſus animus, & anguſtum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo, quod non comes fuerim? Sed illius victoria triumphanda eſt. De victoria triumphabo? Sed doleo, quod comes non ſim. Verum vobis tamen, & ſimpliciter confitendum eſt, quod & vos ſcitis, in hac me fuiſſe ſententia. Multum, ac nimis, multum de gloria ejus exulto; plus tamen doleo, quod remanſi.* Hactenus Pontius, quibus vitæ Cypriani finem imponit.

Cyprianus ad Martyrium ductus.

11. Nonnulla addunt Cypriani Acta, a Pontio prætermiſſa, atque inter cetera, quod in agrum Sexti perductus, ibique lacerna, & byrro expoliatus, dalmaticam Diaconibus tradidit, tum lineam retinens, ac genibus flexis Deum enixe deprecans, ſpiculatorem ſuſtinuit: eoque adveniente, ſuis imperavit, ut eidem viginti quinque aureos darent. Linteamina vero, & manualia a Fratribus ante eum mittebantur, inſuper manibus ſuis ſibi oculos velavit, ſed cum lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, id Julianus presbyter, & Julianus Subdiaconus perfecerunt. *Et ita beatus Cyprianus paſſus eſt* die octava decima Kalendarum Octobris ſub Valeriano, & Gallieno Imperatoribus. *Ejuſque corpus propter Gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt cum cereis, & ſcolacibus, in areis Macrobii Candidi procuratoris, quæ ſunt in via Mappa-*

Cypriani obitus, & Sepultura.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 258.

palienſi juxta piſcinas , cum voto , & triumpho magno . Poſt paucos autem dies Galerius Maximus Proconſul , ut eadem Acta referunt , ne diutius promeritam ſceleris pœnam expectaret , e vita demigravit .

Cypriani memoria in Eccleſia illuſtris. *Victor Vit. hiſt. perſeq. Vand. lib. 1. n. 5. pag. 8. Aug. de diverſis ſerm. 113.*

12. In Sancti viri memoriam Carthagine duæ Eccleſiæ , veluti trophæa , erectæ fuerunt , ut auctor eſt Victor Vitenſis Epiſcopus : quarum una ad Sexti , ubi ſanguinem ſuderat ; altera Mappalienſi via , ubi ſepultus fuit . Quæ ad Sexti erat , menſa Cypriani antiquitus dicebatur , ut teſtis eſt Auguſtinus : *Denique ſicut noſtis , quicumque Carthaginem noſtis , in eodem loco menſa Deo conſtructa eſt , tamen menſa dicitur Cypriani ; non quia ibi eſt unquam Cyprianus epulatus , ſed quia ibi eſt immolatus ; & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam , non in qua paſcat , ſive paſcatur ; ſed in qua ſacrificium Deo , cui & ipſe oblatus eſt , offeratur . Sed ut menſa illa , quæ Dei eſt , etiam Cypriani vocetur , hæc cauſa eſt , quia ut illa modo cingitur ab obſequentibus , ibi Cyprianus cingebatur a perſequentibus ; ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur , ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur ; poſtremo ubi illa erecta eſt , ibi proſtratus* . Nec Africana tantum Eccleſia , ſed totus catholicus Orbis Cypriani memoriam proſecutus eſt ; ejus enim natalem diem tum Occidentales , cum etiam Orientales annua ſolemnitate celebrarunt , multiſque laudibus Eccleſiæ Patres eumdem exornarunt . Unus præ ceteris audiatur Prudentius , qui inter plura de Cypriano cecinit :

Prudent. hym. 13.

Deſine flere bonum tantum , tenet illa Regna Cœli ;
Nec minus involitat terris , nec ab hoc recedit Orbe ,
Diſſerit , eloquitur , tractat , docet , inſtruit , prophetat ,
Nec Lybiæ populos tantum regit , exituſque in ortum
Solis , & uſque obitum , Gallos fovet , imbuit Britannos ,
Præſidet Heſperiæ , Chriſtum ſerit ultimis Iberis ;
Denique doctor humi eſt , idem quoque martyr in ſupernis :
Inſtruit hic homines , illic pia dona dat patronus .

Ruinart. præfat. in act. Cypr. Baſnag. an. 258. 13.

De Cypriani laudibus multa adnotavit Ruinartius , & Launojus epiſtola decimaquinta ad Bevilaquam . Joanni vero David Calviniſtæ frontem periiſſe jure meritoque adnotavit Baſnagius ; quippe qui de Viro illo eximio hæc ſcribere non dubitavit : *Cyprianus fundamenti ordinis Hierarchici Eccleſiæ everſor , &*

pri-

privilegiorum Sedis Apoſtolicæ irriſor fuit. Cypriano demum Epiſcopo ſucceſſit Lucianus, Luciano Menſurius, cui Diocletiani tempore Cæcilianus ſubrogatus eſt, ut apud Optatum Milevitanum videre eſt. Jesu Chr. AN.258. *Optat. contra Parmen lib.1.*

13. De Cypriani Operibus veriſſime ſcripſit Hieronymus: *Hujus ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint ejus Opera*. Horum catalogum exhibent poſt Pamelium Dupinius, Balutius, Fellus, Pearſonius, aliique de Scriptoribus Eccleſiaſticis agentes, qui tamen opuſcula quædam Baronii, & Pamelii ætate Cypriano inſcripta, inter dubia, aut ſuppoſititia recenſent: cujuſmodi ſunt, de laude martyrii ad Moiſen, & Maximum presbyteros Romanos, de ſingularitate Clericorum, de Spectaculis, de Diſciplina, & de bono pudicitiæ. Cypriani Opuſcula ſole clariora. *Hier. de vir. illuſtr. cap.67.*

14. Quæ Carthaginenſium per id temporis conditio erat, eadem & Alexandrinorum fuit; nam Æmilianus Ægypti Proconſul truculentior etiam Aſpaſio Paterno, aut Maximo Africæ Præfectis, quamplurimos cujuslibet conditionis, & ordinis crudeliſſime vexavit, ut teſtis eſt Dionyſius apud Euſebium, qui eorumdem catalogum texere ſuperfluum exiſtimans, ſummatim adnotat, viros & mulieres, juvenes, ac ſenes, virgines & nuptas, milites, ac paganos, ex omni denique hominum genere, atque ætate, flagrorum verberibus, ferri acie, vel ignibus in certamine ſuperatis martyrii coronas pertuliſſe: nonnullis vero longiſſimum temporis ſpatium non ſatis fuiſſe addit, ut martyres fierent, ſed in aliud tempus reſervati, æternum præmium diu expectarunt. Denique de ſeipſo ſubdit: *Ego quidem nunc, & Petrus, & Cajus, ſoli reliquis fratribus orbati in deſerto, & ſqualido quodam Libyæ loco concluſi ſumus, tridui itinere diſtantes a Paratonio*. Deinde poſt pauca: *In urbe autem occultarunt ſe, ut fratres clanculo inviſant, presbyteri quidam, Maximus, Dioſcorus, Demetrius, & Lucius: Fauſtinus enim, & Aquila, utpote in majore hominum luce poſiti, per Ægyptum vagantur; Diaconi vero poſt illos, qui morbo conſumpti ſunt, ſuperſtites Fauſtus, Euſebius, Chæremon. Euſebius, inquam, quem Deus jam inde roboravit ab initio, impulitque, ut Confeſſoribus in cuſtodia poſitis miniſteria ſtrenue exhiberet, utque conſummatorum, ac beatorum Martyrum cadavera, non ſine capitis ſui periculo, ſepeliret. Nam in hunc uſque diem non ceſſat Præfectus noſtros, qui præſen-*

De Martyribus Alexandrinis. *Euſeb. lib.7. 11.* Dionyſius una cum ſociis delitescere coactus.

JESU CHR. AN. 258.

tiæ ipſius exhibentur, partim interficere crudeliſſime, partim tormentis dilaniare, partim ſqualore carceris, & vinculis macerare, interdicens, ne quis ad eos accedat, & perſcrutans, num quis forte videatur accedere. Verumtamen Deus ex alacritate, ac benignitate fratrum, ſolatium aſſidue præſtat afflictis. Hactenus Dionyſius de rebus ſuis: quæ quidem Valeſius ſuſpectæ fidei exiſtimat, cum eadem fere ſub Deciana perſecutione Dionyſio accidiſſent, uti ex epiſtola ad Germanum ſuperius adnotavimus, de quibus plura ibidem videri poſſunt.

To. 3. p. 335. Valeſ. not. ad cap. 11. lib. 7. Euſeb.

De Euſebio, & Maximo Epiſcopis, & Fauſto Martyre.

Euſeb. lib. 7. 2. in fin.

15. Poſt hæc ſubdit Euſebius, Maximum Presbyterum, quem Dionyſius commemorat, poſt ipſius obitum adminiſtrationem Alexandrinæ Eccleſiæ ſuſcepiſſe: Euſebium vero Diaconum non multo poſt Laodiceæ in Syria Epiſcopum fuiſſe conſtitutum: Fauſtum denique, qui tunc temporis confeſſionis titulo una cum Dionyſio inclaruit, ad Diocletiani uſque, & Maximini perſecutionem reſervatum, ſub eiſdem Imperatoribus grandævum, *ac pene decrepitum noſtra ætate amputato capite martyrium conſummaſſe.*

Imperium Romanum ubique a Barbaris vaſtatur.

Zoſim. lib. 1. 32. Vopiſc. in Aurel. cap. 7. 9. 33.

16. Cum adverſus Chriſtianos crudeliſſime ſæviret Valerianus, undique irruentes Barbari Romanum Imperium in Oriente, & Occidente multis, graviſſimiſque cladibus affecerunt, quæ per ſingula exponere, inſtituti noſtri ratio non patitur: ſed plura apud Tillemontium, Baſnagium, Muratorium, videri poſſunt. Summatim adnotabimus, gentes plurimas tranſ-Iſtranas, ideſt Boranos, Gothos, Carpios, vaſtato Illyrico, in Aſiam obvia quæque diripientes tranſiiſſe; Scythas vero, mare trajecto, Trapeſuntem, urbem amplam & populoſam, incendio ferroque vaſtaſſe; eodemque tempore in Occidente Francos Gallias quaquaverſum, nullo reſiſtente, percurrentes, rapinis, incendiis, cædibus afflixiſſe; quos poſtea Aurelianus repreſſit, ut ſuo loco videbimus.

Perſæ Orientem vaſtant, Antiochiam capiunt.

Trebell. de triginta tyrann. cap. 1. Jo. Malela in Chronic. Euſeb. in Chron.

17. Præ ceteris vero grave, ac periculoſum Romanis erat Perſicum bellum; nam Perſæ, vaſtatis jam provinciis plurimis, Syria præſertim, ac Meſopotamia, & Antiochia capta, & incenſa, Orientali Imperio interitum quodammodo minitabantur, ut pluribus narrant Trebellius, & Malela Antiocheuus, aliique. Itaque Valerianus, ut Perſarum victoriis, ac incurſionibus reſiſteret, cum exercitu in Orientem tranſiit, quem hoc anno Byzantii fuiſſe, ex Vopiſco ſcimus. Verum vocatis illuc fortiſſimis Ducibus, Ulpio Crinito Aurelia-

Digitized by Google

lianum ſubrogavit, ut adverſus Gothos *exercitum duceret, limitem reſtitueret, prædam militibus daret*; quem etiam Conſulem anni ſequentis deſtinavit. *Conſulatum cum Ulpio Crinito in annum ſequentem a die undecima Kalendarum Juniarum in locum Gallieni, & Valeriani ſperare convenit ſumptu publico*. Cumque Aurelianus, victis Gothis, Byzantium hoc anno rediiſſet, eidem gratias egit Valerianus Auguſtus, ut idem refert Vopiſcus: *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byzantium, præſente exercitu, præſente etiam Memmio Tuſco Conſule ordinario* (ideoque hoc anno Tuſci Conſulatu inſignito), *Bebio Marco Præfecto Prætorii Valerianus Auguſtus dixit, gratias tibi agit, Aureliane, Reſpublica, quod eam Gothorum poteſtate liberaſti, abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus, quibus Romana felicitas creſcit*. De Conſulatu vero ſequentis anni: *Te Conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, ut tibi deputet Scipionem, deputet etiam faſces. Hæc enim Imperator non ſolet dare, ſed a Senatu, quando fit Conſul, accipere*. Hæc Vopiſcus de geſtis Valeriani Auguſti hoc anno, dum Byzantio eſſet. Sed an Aurelianus hoc, vel ſequenti anno, juxta Valeriani promiſſum, Conſul ſuffectus fuerit, in controverſiam ab eruditis vertitur, cui finiendæ, nec otium, nec vires ſuppetunt.

JESU CHR. AN. 258.

Ammian. lib. 23. 5.

Valerianus in Perſas expeditionem ſuſcipit.

Vopiſc. in Aurel. cap. 13.

De geſtis Valeriani Imp., dum Byzantii eſſet.

Pag. not. 11. an. 258.

Baſnag. ibidem.

Pearſ. annal. Cypr. 258.

18. Poſt hæc autumno inſtante Antiochiam cum exercitu perrexit Valerianus: quam ut miſere vaſtatam vidiſſet, accerſito Succeſſiano, Præfecto Prætorio, ut Antiochenas res componeret, urbemque inſtauraret, juſſit; ipſe vero ultra progreſſus bellum Perſis illaturus, Reipublicæ gerendæ curam Macriano credidit, ut ad Senatum ſcribens, teſtatur: *Ego P. C. bellum Perſicum gerens, Macriano totam Rempublicam credidi... ille vobis fidelis, ille mihi devotus, illum & amat, & timet miles*. Nemo quippe tunc erat Macriano, aut in bello fortior, aut rebus gerendis aptior. Sed de bello Perſico iterum ſequenti anno.

Macrianus Romanam Rempublicam adminiſtrat.

Zozim. pag. 648.

Trebell. Poll. de 30. Tyran. cap. 12.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 259.

JESU CHRISTI AN. 259. DIONYSII PAPÆ 1.
VALERIANI, ET GALLIENI IMP. 7.
COSS. ÆMILIANO, ET BASSO.
OLYMP. 259. AN. 3. URBIS AN. 1012.

Mariani, Jacobi, aliorumque martyrium.

Aug. de div. ſerm. 284.

1. Inter ceteros hujus temporis Martyres, celeberrimi habentur Marianus, & Jacobus, quorum memoriam non ſolum Carthaginenſe Calendarium celebrat, ſed Auguſtinus etiam in Oratione in eorum laudem habita, ea ibidem commemorans, quæ in eorum Actis leguntur: unde fit, ut ejuſmodi Acta inter ſinceriora recenſeantur, utpote ab oculatis teſtibus conſcripta. In iis itaque hæc præcipue leguntur: *Pergebamus in Numidiam ſimul, ut ſemper antea ſocio parique comitatu viam ingreſſi, quæ nos ad exoptatum fidei, & religionis obſequium, illos jam ducebat ad Cœlum. Et venimus in locum, qui appellatur Muguas, cui eſt Cirthenſis Coloniæ ſuburbana vicinitas*, ubi Gentilium furor in Chriſtianos vel maxime exardebat, itaut ſuppliciis non ii tantum afficerentur, qui Præſidibus quotidie offerebantur, ſed ab exilio Confeſſores fidei ad martyrium revocabantur, ut Cypriano contigiſſe ſuperius vidimus. Ex his vero Agapium & Secundinum Epiſcopos Acta commemorant, qui ad martyrium proficiſcentes Marianum & Jacobum invenerunt, dum una cum aliis eidem ſupplicio deſtinatis a *Muguis in Cirthenſem Coloniam* pertrahebantur: ibique cum in confeſſione fidei fortiſſime perſeverarent, in carcerem conjecti, exquiſitis cruciatibus per militem Stationarium vexati ſunt. Stationarii autem milites apparitores erant certis locis deſtinati, ut exorientes tumultus, ac rixas comprimerent: qui tortorum etiam, carnificumque officio aliquando fungebantur. Jacobus itaque, ſicuti non ſemel antea Gentilium infeſtationes ſuſtinuerat, non ſolum ſe Chriſtianum, ſed Diaconum eſſe teſtatus eſt, eo quod in miniſtros Eccleſiæ potiſſimum ſæviret perſecutio. Marianus autem ſe Lectorem confeſſus ſummis pollicum apicibus appenſus eſt, ejuſque pedibus inæqualia pondera colligata, ut viſcerum convulſione reſoluta, de nervis ſuis totius corporis compago penderet. In carcerem deinde concluſi Martyres, ac cœleſtibus ibidem viſionibus recreati, de martyrio certiores facti ſunt, ut pluribus narrat idem Auctor, qui & ſubdit: *Poſt has oſtenſiones in car-*

Martyres varie cruciati.

Numero Martyrum alter adjungitur.

Digitized by Google

carcere diebus pauculis commorati perducuntur in publicum, ut eos Cirthenſium magiſtratus elogio confeſſionis ſuæ honoratos tranſmitteret cum parte damnationis ad Præſidem; cum ecce e circumſtautibus quidam ſe Chriſtianum eſſe ſponte confeſſus, Gentilium oculos in ſe convertit: quare ad Præſidem & ipſe ductus, Lambeſitano carceri una cum ceteris Confeſſoribus mancipatus eſt. Ex his autem Laici, ut facilius, ſi fieri poſſet, aut minis, aut pollicitationibus cederent, ſeparati a Clericis detinebantur: ſed cum omnes invicto animo permanſiſſent, martyrio primi, & plurimi numero occubuerunt, contriſtatis interim reliquis de Clero, quod tam lenta & ſera victoria ſibi ſervaretur. Agapius tandem cum vehementer ipſa, qua Laici, certaminis laude perfungi cuperet, ſimulque de duabus puellis, Tertulla, & Antonia, quas uti filias diligebat, ſollicitus eſſet, ac repetitis precibus Dominum exoraret, ut eas quoque eadem corona dignas efficeret; a puero quodam, qui triduo ante cum matre paſſus fuerat, ita in ſomnis admonitus eſt: *Gaudete, & exultate, cras enim nobiſcum & ipſi cœnabitis*.

Laici primi ad martyrium ducti.

Agapius de propinquo certamine per viſum admonitus.

2. Ut itaque beata dies illuxit, Marianus, & Jacobus cum ſociis ad locum quemdam, flumine hinc inde interfluente, ſublimem perducti ſunt, atque per ordinem juxta fluminis ripas unus poſt alterum diſpoſiti, ut pertranſeunte carnifice, qui eorum capita obtruncaturus erat, in flumen cadavera ruerent: quo cum perveniſſent beati Martyres, velatis oculis martyrii coronam accepturi, variis viſionibus dignati ſunt, ut Actorum collector narrat. Præ-ceteris vero Marianus, prophetico ſpiritu jam repletus, fidenter, & fortiter proximam juſti ſanguinis ultionem, variaſque ſæculo plagas prædixit, quas non multo poſt accidiſſe, ſequentibus annis videbimus.

Clerici quoque confeſſionem ſanguine obſignant.

3. Martyribus Cirthenſibus Lucium, Montanum, Flavianum, Julianum, alioſque addimus, de quibus in Carthaginenſi Kalendario, a Mabillonio edito, decimo Kalendas Junii occurrit mentio; Martyrologio vero Romano 24. Februarii. Horum igitur Acta, pro ſinceris habita, rem ita pandunt: *Poſt popularem tumultum, quem ferox vultus Præſidis in necem concitavit, poſtque ſequentis diei acerrimam perſecutionem Chriſtianorum*, apprehenſi fuerunt Lucius, Montanus, Flavianus, Julianus, Victoricus, Primolus, Renus, & Donatianus catechumenus, qui baptizatus in carcere, ſtatim ſpiritum tra-

Acta Martyrum Lucii, Montani, & Sociorum.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 259. tradidit, cui & Primolus ejuſdem exitus conſors fuit; ceteris vero apud Regionantes in cuſtodia conſtitutis, Præſidis ſententia nunciata eſt, quod heſterno die ardentibus flammis exurendi eſſent: Domino tamen, in cujus manu ſermones, & corda ſunt Regis, ſævitiam Præſidis avertente, in carcerem iterum conjecti ſunt. *Porro quales illic dies duxerimus*, Confeſſores inquiunt, *quales tranſegerimus noctes, exponi nullis ſermonibus poſſunt, nec tormenta carceris ulla affirmatione capiuntur &c. Sed paucis diebus viſitatione fratrum nos refrigeravimus; nam omnem noctis laborem diei ſolatium lætitiaque abſtulit*. Interea Reno de futuro ſingulorum certamine per viſionem in ſomnis admonito, omnes ſequenti die ad Procuratorem, qui defuncti Proconſulis vices gerebat, ducti ſunt, ac per totum forum circumducti, deinde in ſecretarium vocati, ad carcerem tandem reverti juſſi ſunt: ubi famem, ſitim, aliaſque ærumnas per plurimos menſes perpeſſi, edita iterum coram Præſide fidei confeſſione, capitali tandem ſententia damnati ſunt, uno Flaviano excepto, qui quaſi ſententiam mutare poſſet in carcerem denuo conjectus eſt.

Martyres ad martyrium ducti.

4. Interim ceteri cum ad ſupplicii locum ducerentur, *concurſus undique Gentilium, & omnium fratrum fuit, qui quamvis obſequentes aliis & ceteris Dei teſtibus pro religione, & fide, quam Cypriano docente didicerunt; tunc tamen officio pleniore, & copia majore convenerant*. Martyres vero non ſolum vultu hilari procedebant, ſed & libera voce, aut ſeſe ad pugnam excitabant, aut ſalutaria monita fidelibus dabant: inter quos Montanus prophetica voce frequenter inclamabat: *Sacrificans diis eradicabitur*, id eſt, non licere, deſerto Deo, ad ſimulacra, & manufacta hominum figmenta converti. Plurimis etiam ad Hæreticorum ſuperbiam & contumaciam retundendam additis, ad pœnitentiam lapſos, conſtantes ad perſeverantiam, Virgines vero, ut ſanctitatem ſuam tuerentur, omnes denique, ut Confeſſorum tolerantiam imitarentur, hortabatur. Cum autem jam carnifex immineret, & gladius ſuper cervicem ejus penderet, expanſis manibus ad Deum, voce clara oravit Montanus, ita ut non tantum ad totius ſanctæ plebis aures, ſed ad Gentiles quoque ipſos ſonus vocis evaderet, rogans, ut Flavianus, qui per ſuffragium populi de comitatu eorum remanſerat, die tertio ſequeretur. Et ut precis ſuæ fidem faceret, manualem, quo oculos fuerat ligatu-

Vaticinium de martyrio Flaviani.

rus,

rus, in partes duas diſcidit, quarum altera Flaviani oculi poſt craſtinum ligarentur, & ne eos ſepultura disjungeret, in area ſolum ſervari juſſit. Poſt biduum itaque, juxta Montani votum, productus eſt Flavianus, cujus lateri Mater ejus aſſiſtens, & filium optabat occidi, & quod interim remanſiſſet, contriſtabatur.

Jesu Chr. an. 259.

Matris Flaviani robur invictum.

5. A condiſcipulis vero rogatus, ut tunc ſaltem ſacrificaret, facturus poſtea quidquid vellet, gratias egit, quod pro amicitia hæc illi ſuggererent: tum plurima ſubdidit, ac ſe paratiſſimum eſſe pro chriſtiana Fide potius mori, quam lapides adorare teſtatus eſt. Quapropter Præſes, ut eum vel invitum a propoſito deterreret, tormentis admoveri juſſit. Mox ab eodem quæſitus, quare mentiretur, ſe Diaconum eſſe affirmans, cum ex notaria Centenario data eum fingere conſtaret; non ſe mentitum fuiſſe reſpondit, ſed eum, qui falſam dederat notariam. Notaria autem, cujus hic mentio, ſcripta erat relatio, quæ ab aliquo Judici tradebatur. Eamdem meminit Auguſtinus in epiſtola ad Apringium: *Donatiſtas cura eorum, qui diſciplinæ publicæ inſerviunt, præmiſſa Notaria, ad judicia legeſque perduxit*: qui interdum etiam *Notoriam* pro *Notaria* habet in epiſtola ad Marcellinum. Tandem poſt multa, quæ in Actis narrantur, cum ad martyrii locum perveniſſet Flavianus, & ligatis oculis ea vittæ parte, quam Montanus ſervare ante biduum juſſerat, fixiſque genibus, paſſionem ſuam cum oratione perfecit. Hucuſque de martyrio Flaviani, aliorumque miniſtrorum Eccleſiæ Carthaginenſis, quorum memoria ſexto Kalendas Martii anniverſaria celebritate recolitur.

Tentatur fides Martyris.

Aug. epiſt. 134

Aug. epiſt. 133

6. Africanis etiam Martyribus ii accenſendi ſunt, qui *Maſſa candida* dicti, ſub eadem perſecutione, parique certamine victores diſceſſerunt, & quorum memoria in Carthaginenſi Kalendario, & Romano Martyrologio die 24. Auguſti occurrit. *Maſſa, ob numeri multitudinem*; *Candida, ob cauſæ fulgorem*, inquit Auguſtinus ſermone in eorum natali habito: alibi vero *Uticenſem Maſſam Candidam* eoſdem nuncupat, ſeque Uticæ in Baſilica Maſſæ Candidæ ſermonem habuiſſe teſtatur. Unde Uticæ potius, quam Carthagine, ut Martyrologia proferunt, paſſos fuiſſe veroſimile eſt. Horum numerum, quem ſupra centum quinquaginta omnis ætatis, conditionis, & ſexus cenſuit Auguſtinus, duplo auxit Prudentius, qui de eiſdem cecinit: Fa-

Martyres plurimi *Maſſa Candida* dicti.

Aug. ſerm. 306.
Serm. 311.
Enarr. in pſalm. 144.

Enarr. in pſalm. 49.
Prudent. hym. 13.

JESU CHR. AN. 259.

Fama refert foveam campi in medio patere juſſam,
Calce vaporifera ſummos prope margines refertam,
Saxa recocta vomunt ignem, niveuſque pulvis ardet
Urere tacta potens, & mortifer ex odore flatus.
Appoſitam memorant aram fovea ſtetiſſe ſumma
Lege ſub hac ſalis, aut micam jecur, aut ſuis litarent
Chriſticolæ, aut mediæ ſponte irruerent in ima foſſæ:
Proſiluere alacres curſu rapido ſimul trecenti
Gurgite pulvereo merſos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo,
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes;
Candida Maſſa dehinc dici meruit per omne ſeclum.

Theogenes Hipponenſis Epiſcopus, & Martyr. *Aug. ſerm.* 273.

7. Ad eamdem Valeriani perſecutionem pertinet martyrium Theogenis Hipponenſis Epiſcopi, cui Hippone dicata erat Baſilica, & cujus meminit Auguſtinus: *Quando audiſtis apud memoriam S. Theogenis, offero tibi Petre, offero tibi Paule, nunquam audiſtis?* quibus teſtatur, Deo tantum ſacrificium offerri conſueviſſe, etſi in Eccleſiis, in Martyrum memoriam erectis, perageretur.

Acta Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis, & Sociorum. *Prudent. hym. 6. de Coronis.*

8. Sanguine ſuo Hiſpanias hoc tempore illuſtrarunt Fructuoſus Epiſcopus Tarraconenſis, Augurius, & Eulogius ejuſdem Eccleſiæ Diaconi, qui poſt carcerum ſqualorem, per ignem martyrium conſummarunt. Horum Acta, fide quidem digniſſima, nedum Prudentii auctoritate confirmantur, qui eadem ſuis verſibus exornavit; ſed & Auguſtinus ſermone in eorum natali habito, inter cetera hæc ex ejuſmodi Actis excerpta recitat: *Quale eſt etiam illud ſancti Diaconi*, Eulogii ſcilicet, *qui cum Epiſcopo ſuo* (Fructuoſo) *paſſus, & coronatus eſt? Ait illi Judex: Numquid & tu Fructuoſum colis; & ille: Ego non colo Fructuoſum, ſed eum colo, quem colit & Fructuoſus. Quomodo nos admonuit* (ſubdit Auguſtinus), *ut Martyres honoremus, & cum Martyribus Deum colamus*. Eademque Acta in Eccleſia lecta fuiſſe, idem teſtatur Auguſtinus ſupracitato loco: *Audiſtis perſequentium interrogationes; audiſtis confitentium reſponſiones, cum Sanctorum paſſio legeretur*.

Fructuoſus, cum Sociis comprehenditur.

9. Acta igitur Fructuoſi hæc habent: *Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, Æmiliano, & Baſſo Conſulibus de-*

cimo

cimo ſeptimo Kalendas Februarii die Dominico comprehenſus eſt Fructuoſus Epiſcopus, Augurius, & Eulogius Diacones. Repoſito autem Fructuoſo in cubiculo ſuo, direxerunt Beneficiarii in domum ejus, ideſt Aurelius, Feſtucius, Velius, Polleneus, Donatus, & Maximus. Beneficiarii, quorum hic mentio, juxta Vegetium, dicebantur ii, qui Tribunorum beneficio inter milites primi erant, ſeu, ut Baronius adnotat ex Tertulliano, qui vectigalia exigebant. Interdum quoque Exploratorum officio fungebantur, ut ex Juſtiniani Novella ſcimus; Beneficiarii etiam dicti, eo quod a muneribus immunes eſſent. Sed Acta proſequimur: *Cum ſenſiſſet Fructuoſus pediculum ipſorum, confeſtim ſurrexit, & prodiit foras ad eos in ſoleis*, ſeu in ſoliis, ut alii codices præferunt. Pediculum, ſive pedibulum lictoriam virgam fuiſſe, poſt Baronium, adnotat Ruinartius, a pedo, ſeu baculo paſtorum. Virga autem percutere fores, ſolitos fuiſſe lictores, cum ad domum cujuſquam accederent, Livius, & Plinius referunt. Fructuoſo itaque milites dixerunt: *Veni, Præſes te accerſit cum Diaconibus tuis. Quibus Fructuoſus Epiſcopus dixit: Eamus, aut ſi vultis, calceo me. Cui milites dixerunt: Calcea te ad animum tuum. Qui mox ut venerunt, recepti ſunt in carcerem*. Fructuoſus interim certus, & gaudens de corona, ad quam vocatus erat, ſine ceſſatione ad Deum pro fratribus orabat, qui & ipſum deprecabantur, ne eorum obliviſceretur. *Alia vero die baptizavit in carcere fratrem noſtrum, nomine Rogatianum*.

Veget. de re milit. cap. 7.
Baron. ann. 262. 60.
Tertull. de fuga cap. 13.
Novell. 13.
Livius decad. 1. lib. 6.
Plin. lib. 7. 30.

Fructuoſi & ſociorum confeſſio fidei, & Martyrium,

10. Toleratis interea per dies ſex carceris anguſtiis, XII. Kalendas Februarii, feria ſexta, omnes ad Æmilianum Præſidem ducti ſunt, qui a Fructuoſo primum quæſivit, num Imperatorum præceptum de deorum cultu ignoraret? Fructuoſus vero ſe Chriſtianum eſſe, ac unum Deum colere profeſſus, iterum interrogatus eſt, ſciretne eſſe deos? cui ſe neſcire reſpondit. Ad Augurium deinde converſus Æmilianus, dixit: *Noli verbis Fructuoſi auſcultare*: ab eoque cum etiam audiſſet, ſe non alium præter omnipotentem Deum agnoſcere; ab Eulogio ſciſcitatus eſt, numquid, & Fructuoſum coleret? Cui Eulogius, ſe non Fructuoſum, ſed eumdem cum Fructuoſo Deum colere, reſpondit. Hunc demum, an Epiſcopus eſſet, interrogans Æmilianus, cum ſimul cum reliquis vivum tradi flammis imperavit. Eos propterea ad amphi-

JESU CHR. AN. 259. phiteatrum ductos multi fratrum, ut conditi permixti poculum ſumerent, rogabant: at Fructuoſus nondum horam eſſe jejunii ſolvendi ait; agebatur enim hora diei quarta. *Siquidem in carcere quarta feria ſtationem ſolemniter celebraverant.* De jejunio quartæ, & ſextæ feriæ jam alibi diſſeruimus, pluraque apud Ludovicum Thomaſſinum videri poſſunt. Unde Prudentius, *Jejunamus*, ait, *recuſo poculum*. In amphiteatrum perventis, ad Fructuoſum lector acceſſit Auguſtalis nomine, cum fletibus deprecans, ut ab eo ſineret excalceari: cui beatus Martyr grates habens inquit: *Miſſum fac, fili, ego me excalceo, fortis, & gaudens, & certus dominicæ promiſſionis*. Omnes igitur pari fortitudine, & alacritate properantes, ad Babyloniæ puerorum exemplum, rogum læti conſcenderunt. Cumque exuſtæ fuiſſent faſciolæ, quibus manus fuerant colligatæ, orationis divinæ, & ſolitæ conſuetudinis memores, poſitis genibus, Dominum deprecabantur, donec ſimul animas effuderunt, quas in Cœlum aſcendere, nonnulli ex Æmiliani familia viderunt: præcipue vero ejuſdem Præſidis filiæ, quæ patrem vocantes dixerunt: *Veni, & vide, quos hodie damnaſti, quomodo Cœlo, & ſpei ſuæ reſtituti ſunt. Igitur cum Æmilianus veniſſet, videre eos non fuit dignus*; de quibus hæc Prudentius.

Thomaſſ. tract. de jejun. par. 1. 17. & par. 2. 15.

In cœlum aſcendere viſi ſunt.

Prudent. hym. ut ſup.

Vidit Præſidis ex domo ſatelles
Cœlum Martyribus patere arcanum,
Inſigneſque viros per aſtra ferri;
Quin & filiolæ monens herili
Oſtendit ſceleris notam paterni
Cœlo vivere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palam videre
Per ſudum meruit, patente Cœlo,
Ut crimen domini domus timeret.

Scimus etiam ſummopere ſollicitos fuiſſe Fideles, ut ignis cito extingueretur, utque cineres, ac reliquiæ Martyrum colligerentur, quas prout quiſque potuit, ſibi vindicavit. Fructuoſus tamen *poſt paſſionem apparuit Fratribus, & monuit, ut quod unuſquiſque per charitatem de cineribus uſurpaverat, reſtituerent ſine mora, unoque in loco ſimul condendos curarent.* Æmiliano etiam cum ſociis ſe obtulit, *increpans pariter, & inſul-*

Aliæ Fructuoſi apparitiones.

Digitized by Google

inſultans , quod fruſtra exutos e corpore in terra crederet , quos cerneret glorioſos .

Jeſu Chr. an. 259.

11. Nec ſilentio prætereundi ſunt tres Illuſtres in Palæſtina Martyres , de quibus hæc Euſebius : *In hac Valeriani perſecutione tres viri poſt inſignem Chriſti confeſſionem apud Cæſaream Palæſtinæ ad beſtias damnati , divino martyrio coronati ſunt .* Horum unus dicebatur Priſcus , alter Malchus , tertius autem Alexander . Qui cum in agro degerent , primum quidem ſeipſos inſimulaſſe dicuntur , tanquam ignavos , ac deſides : inito deinde inter ſe conſilio , Cæſaream profecti , ſponte ſe Præſidi obtulerunt , ac Chriſtianos ſe eſſe confeſſi , feralem ſententiam exceperunt , quam etiam fæmina ex Marcionis ſecta ſubiit , ut eadem Acta narrant .

De tribus Palæſtinæ Martyribus Priſco, Malcho , & Alexandro . *Euſeb. lib. 7. 12.*

12. Palæſtinis Martyribus Nicephorum addimus , ſub eiſdem Imperatoribus paſſum , prout Acta teſtantur , cujus quidem memoria , non ſolum ob martyrii gloriam , ſed & ob exemplum charitatis fraternæ , celebris in Eccleſia perſeverat . *Erat quidam Presbyter , nomine Sapricius : erat alius nomine Nicephorus laicus , amicus ejuſdem presbyteri .* Hi mutuo ita ſe diligebant , ut fratres exiſtimarentur eſſe germani ex uno utero nati . Sed humani generis hoſtis eorum ſummæ ac diuturnæ neceſſitudini invidens , talem inter ipſos peperit diſſenſionem , ut nec in platea quidem ſibi occurrentes colloquerentur . Nicephorus tandem in ſe reverſus , pacem per amicos primum , deinde per ſe ipſum ad Sapricii pedes provolutus petiit , quam ille obſtinate recuſavit . *Cum hæc autem ſic fierent* , proſequuntur Acta , *repente exiſtit perſecutio , & apprehenditur Sapricius , & traditur Præſidi* : a quo primum de nomine , genere , vel religione , ac miniſterio interrogatus , ſe Chriſtianum eſſe , locumque Presbyteri tenere reſpondit . Audiens deinde Sapricius , mandatum Imperatorum eſſe , ut qui ſe Chriſtianos profitebantur , diis ſacrificarent , illudque deſpicientes graviſſima morte plecterentur ; ita Præſidem allocutus eſt : *Nos Chriſtiani Chriſtum Deum habemus Regem ; quoniam ipſe eſt ſolus verus Deus , & creator Cæli , & Terræ , & maris , & omnium , quæ ſunt in eis . Omnes vero dii Gentium dæmonia , & pereant a facie univerſæ terræ , qui non poſſunt alicui opem ferre , aut aliquem lædere , aut impedire , cum ſint opera manuum hominum .* Quapropter equuleo ſuſpenſus , diu , vehementerque vexatus eſt , uſquedum , accepta

De Nicephoro Martyre . *Apud Ruinar. pag. 243.*

Sapricius cum Nicephoro reconciliari recuſat .

JESU CHR. AN. 259. cepta Martyrii ſententia, ad ſupplicii locum duceretur. Cum ergo Sapricius illuc feſtinaret, Nicephorus currens, ei obviam proceſſit, ac ſe projiciens ad pedes ejus, dixit: *Martyr Chriſti, ignoſce mihi, quoniam peccavi in te*: ſed perperam. Rurſus Nicephorus cum ſupplex per aliam viam prævenit: ille vero nec verbum quidem voluit reſpondere; adeo ut ipſi lictores mirarentur, ac Nicephorum ſtultum exiſtimarent, eo quod ab homine, qui jam erat moriturus, veniam poſtularet. Quibus ille dixit: *Neſcitis quid petam*. Ad martyrii locum cum perveniſſet Sapricius, ad eum Nicephorus: *Scriptum eſt*: inquit, *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Sed eo hæc dicente, & quæ ſunt his ſimilia, non audivit ſævus, & durus amicus; nec flexus eſt ſodalis aſperrimus, ut aſpis ſurda, & clauda, quæ non exaudivit vocem incantantium*. Lictoribus vero Sapricio imperantibus genua flectere, ac gladii ictum recipere: *Nolite*, inquit, *me ferire. Facio enim, quæ juſſerunt Imperatores, & diis ſacrifico*. Sic eum excæcavit odium, ut ex fidei Confeſſore apoſtata evaderet.

Sapricius fidem negat.

Nicephorus Sapricii loco Martyr occubuit.

13. Hæc ut vidit Nicephorus, dicit lictoribus: *Ego ſum Chriſtianus, & credo in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem iſte negavit. Me ergo jam pro ipſo ferite*. Ex lictoribus autem unus currens, rem Præſidi nunciavit, qui Sapricii ſententiam in Necephorum vertens, cum capite truncari juſſit. *Et ſic conſummatus fuit ſanctus Martyr Chriſti Nicephorus*. Hactenus Acta, quibus funeſto exemplo Sapricius edocuit, hominem chriſtianum abſque fraterna charitate occidi quidem poſſe, nequaquam vero coronari, teſtante Apoſtolo: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Recenſitis Valerianæ perſecutionis Martyribus plurimi addi poſſent, niſi cohibendus eſſet ſtylus, ne in immenſum Annales excreſcant. Ex his celeberrimus habetur Cyrillus, qui etſi ætate puer, prudentia tamen ſenex, propter Chriſti fidem, patris conſilia, minas, & verbera deſpicens, paterna tandem domo ejectus, capitale ſupplicium promeruit, prout ejuſdem Acta ſincera, fideque digniſſima apud Ruinartium referunt.

Epiſt. 1. ad Corinth. 13.

De Cyrillo puero & Martyre.

Ruinart. pag. 234.

Valerianus Imp. a Perſis captus.

Matth. 8. 26. Job. 38. 11.

14. Cum Valerianus in Chriſtianos tam crudeliter hactenus ſæviiſſet; tandem qui mari poſuit terminos ſuos, dicens: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes*

ges tumentes fluctus tuos, inopinato eventu effecit, ut Valeriani ipſius captivitate perſecutio ceſſaret. Memorabilem caſum, ſeu potius tragædiam non ſolum narrant Scriptores; ſed & in vindictam ſanguinis innocentium Chriſtianorum accidiſſe adnotant. Antiochia itaque digreſſus Valerianus, adverſus Perſas arma illaturus, per Meſopotamiam exercitum eduxit, ubi cum eſſet, milites a peſte pene conſumpti ſunt: unde de ineunda cum Sapore pace legatos deſtinavit. Sapor vero cum afflictas Romanorum res ſciret, legatis mox dimiſſis, ſe cum ipſo Imperatore de pacis conditionibus agere velle dixit. Quare Valerianus de Regis fide nil hæſitans, Edeſſam, cum exigua ſuorum manu, ipſum convenit, ejuſque perfidia catenis vinctus detentus eſt: quo in ſtatu uſque ad obitum, ideſt per decennium perſeveravit, ut narrat Zozimus. Aliter tamen alii rem narrant, Valerianum, ſcilicet prælio captum, aut Macriani dolo Perſis traditum fuiſſe. Zonaras etiam addit, eum ex Edeſſa ob militum rebellionem ad Perſas aufugiſſe. Rem propius attigit Dionyſius Alexandrinus, dum in tantam calamitatem Macriani perfidia eum incidiſſe ſcribit, eo quod, eidem ut Chriſtianos divexaret auctor fuerat.

Zozim. lib. 1. 44.
Euſeb. lib. 7. 10.
Trebell in Valer. 3.

15. Ut Romanorum majeſtati turpius inſultaret Sapor, captivum Imperatorem purpura indutum, quocumque ibat, duci jubebat, ut ejus dorſo, tamquam ſcabello, uteretur, cum in equum aſcenderet; de quibus Lactantius: Valerianum *Deus novo, & ſingulari pœnæ genere affecit, ut eſſet poſteris documentum, adverſarios Dei ſæpe dignam ſcelere ſuo recipere mercedem. Hic captus a Perſis, non modo Imperium, quo fuerat inſolenter uſus, ſed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in ſervitute turpiſſime; nam Rex Perſarum Sapores, qui eum ceperat, ſi quando libuerit aut vehiculum aſcendere, aut equum, inclinare ſibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & impoſito pede ſuper dorſum ejus, illud eſſe verum* triumphi genus *dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis, aut parietibus Romani pingerent*. Conſtantinus vero Imp. in Oratione ad Sanctorum cœtum, Valeriano inſultans, adnotat: *Tu quoque, Valeriane, cum eamdem crudelitatem in famulos Dei declaraſſes, juſtum Dei judicium omnium oculis ſubjeciſti, captus ab hoſtibus, & in vinculis circumdatus cum clamyde purpurea, & reliquo imperiali cultu, tandem vero a Sapore Perſarum Rege, detracta tibi cute, condiri juſſus, ſempiter-*

Quam ignominioſe Valerianus habitus ſit a Perſis.
Lactant. de mort. Perſecut. cap. 5.
Apud Euſeb. Orat. cap. 24.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 259. *piternum calamitatis tuæ trophæum ſpectandum præbuiſti*. De infelici Valeriani exitu addit Lactantius: *Poſtea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, derepta eſt ei cutis, & exuta viſceribus, pellis infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clariſſimi triumphi poneretur, legatiſque noſtris ſemper eſſet oſtentui, ne nimium Romani viribus ſuis fiderent, cum exuvias captivi Principis apud deos ſuos cernerent*.

Reges barbari apud Saporem ſollicitant Valeriani libertatem. *Trebell. in Valer. cap. 5.*

16. Tantum Romani Imperii dedecus, Romanique Imperatoris calamitatem vel ipſi barbari Reges, qui adverſus Valerianum Sapori auxilio fuerant, condoluere, & ut priſtinæ libertati reſtitueretur, illum hortati ſunt. Ex his Balſolus quidam ad Saporem ſcripſit: *Quia vel fato, vel virtute gens illa plurimum poteſt; vide ne, quod ſenem Imperatorem cepiſti, & id quidem fraude, male tibi cedat, poſteriſque tuis*. Caduſiorum quoque Rex Baderus his verbis Saporem hortatus eſt: *Captum Valerianum Principem Principum non ſatis gratulor, magis gratularer, ſi redderetur..... Age igitur, ut prudentem decet, nec fortuna te inflet, quæ multos decipit. Valerianus & filium Imperatorem habet, & Nepotem Cæſarem. & quid! habet omnem illum Romanum Orbem, qui contra te totus inſurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem*. Quin etiam & barbaræ gentes, Bactriani ſcilicet, Albani, Scytæ, Romanis auxilia ad Valerianum liberandum obtulerunt, quaſi filialem pietatem, quam Gallienus exuerat, iidem induiſſent. Juſto tamen Dei judicio factum eſt, ut Gallienus Valeriani filius, Imperiique Collega, aut Licinius nepos & Cæſar, de patris, ac patrui redemptione ne minimum quidem cogitarent, aut vindicandum curarent; quin Gallienus, teſte Pollione, id tantum quærebat, *quid haberet in prandio; qualis cras ſcena futura eſſet*. Unde, *etiam hoc ei acceſſit ad pœnam*, ait Lactantius; *quod cum filium haberet Imperatorem, captivitatis ſuæ tamen ac ſervitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus eſt*.

Gallienus de Valeriano redimendo nihil ſollicitus. *Trebell. Pol. in Gall. c. 9.* *Lactan. cap. 5.*

Tyranni plurimi Romanum Imperium occupant. *Zozim.... Trebell. Poll. in Gallien. c. 1.*

17. Poſt Valeriani captivitatem, cum omnia, velut deſtituta Principe, confuſa pariter, & indefenſa jacerent, ut Zozimus, & Trebellius referunt, tyrannique undequaque inſurgerent; Macrianus, & Baliſta in unum exercitus reliquias convocantes, de Imperatore eligendo pertractarunt. Macrianus itaque, una cum filiis ſuis Macriano, & Quieto, purpuram in Orien-

Oriente induit, relictiſque ibidem Quieto, & Baliſta, milites adverſus Gallienum in Occidentem eduxit. Quo tempore Macriani exemplo in ceteris Imperii provinciis, alii ad triginta uſque, Imperium, non aliter ac ſi vacans, aut direptioni datum eſſet, inter ſe partiti ſunt, quorum geſta Trebellius perſequitur. Ex his præcipui ſuere Aureolus in Illyrico, Valens in Achaja, Piſo in Theſſalia, Ingenuus in Pannonia: quibus & Æmilianus addi poteſt, qui, Macrianis fugatis, in Ægypto Imperator renunciatus eſt, ut apud Auguſteæ hiſtoriæ Scriptores videri poteſt.

18. Interea, cum poſt Sixti martyrium Romana Sedes per annum ſere vacaſſet, extincta hoc anno Valeriani perſecutione, Dionyſius in ejuſdem locum eſt ordinatus, de quo in Chronico Damaſi: *Fuit temporibus Gallieni, & die undecimo Kal. Aug. Æmiliano, & Baſſo Conſulibus, uſque in diem ſeptimum Kal. Januarii, Coſſ. Claudio, & Paterno*, ideſt uſque ad annum 269. Is Romanæ Eccleſiæ Presbyter erat, quem plurimi habuit Dionyſius Alexandrinus, ſuiſque epiſtolis adiit, cum de baptiſmate Hæreticorum controverſia ferveret; quare de eodem refert Euſebius: *Quarta ejus de Baptiſmo epiſtola ad Dionyſium ſcripta eſt, tunc quidem Romanæ Urbis Presbyterum: ſed qui aliquanto poſt tempore ejuſdem Urbis Epiſcopus eſt conſtitutus; ex qua hunc ipſum Romanum Dionyſium eruditiſſimum, planeque admirandum virum fuiſſe, teſtimonio Dionyſii Alexandrini licet cognoſcere*. Hæc ex Dionyſio Euſebius de Dionyſii Romani Pontificis pietate, & doctrina: de geſtis vero ejuſdem infra redibit ſermo.

Dionyſius Romanus Pontifex ordinatur.

Euſeb. lib. 7. cap. 7.

JESU CHRISTI AN. 260. DIONYSII PAPÆ 2.
GALLIENI IMPERATORIS 8.
COSS. CORNELIO SÆCULARE II., ET JUNIO DONATO II.
OLYMPIAD. 259. AN. 4. URBIS AN. 1013.

1. In tanta Romani Imperii ignominia, tantoque periculo, ut ad interitum pene laberetur, Gallienus, contemptiſſimæ vir inertiæ, deliciis nihilominus, ac voluptatibus continuo vacabat. Hinc, ut patrem a Perſis captivum detineri audivit, Zenophontis verba, cum filium amiſiſſet, uſurpavit: *Sciebam, me genuiſſe mortalem*. Gallienus vero ſubdidit: *Sciebam patrem meum eſſe mortalem*; cumque Ægyptum defe-

De Gallieni moribus, & ignavia.

Trebell. Pol. in Gall.

JESU CHR. AN. 260.

dececiſſe ſcivit : *Quid , inquit , ſine ligno Ægyptio eſſe non poſſumus ?* Sic Galliis amiſſis riſiſſe perhibetur : *Non ſine Atrebaticis ſagis Reſpublica tuta eſt* . De ejuſdem vita plura non addimus, ne fabulas ſcripſiſſe videamur, cujuſmodi ſunt plura, quæ de eodem a Trebellio, aliiſque narrantur.

De variis Imperii calamitatibus.

2. Interea, cum tot Tyranni Imperium occupaſſent, tantiſque cladibus Perſæ vexaſſent, Schytæ quoque, in duas diviſi turmas, Illyricum, & Italiam, nullo reſiſtente, depopulati ſunt: Urbem ipſam aggreſſuri, niſi Senatus, armata Romana plebe, in eos exercitum eduxiſſet. Quo tempore Poſthumius in Galliis purpuram induit, Agrippinam contendens, Valerianum Gallienum Saloninum Cæſarem Gallieni filium interfecit. Quot annis in Galliis Poſthumius imperaverit, adnotat Trebellius: *Salonino interfecto, ab omni exercitu, & omnibus Galliis Poſthumius gratanter acceptus, talem ſe præbuit per annos ſeptem, ut Gallias inſtauraverit*. Hunc tamen decennio in Galliis imperaſſe narrat Eutropius: *Jam deſperatis rebus, & deleto pene Imperio Romano, Poſthumius in Gallia obſcuriſſime natus, purpuram ſumpſit, & per annos decem ita imperavit, ut conſumptas provincias ingenti virtute, & moderatione reparaverit*. His cladibus peſtis acceſſit, atrox adeo, ut vix alia ſævior hominum memoria acciderit. Sed de his, aliiſque calamitatibus, quibus hiſce annis oppreſſum, attritumque eſt Romanum Imperium, inferius pertractabimus.

Pag. not. 4. 5. 6. an. 269. Baſnag. an. 260. 7.

Perſecutio in Chriſtianos a Gallieno extinguitur.

Euſeb. lib. 7. 13.

Gallieni edictum.

3. Lætiora nunc perſequamur; nam in tanta rerum perturbatione pax Eccleſiæ reſtituta eſt. *Gallienus, ſolus Imperium obtinens*, ait Euſebius, *moderatius ſe geſſit, miſſiſque edictis, perſecutionem adverſus noſtros commotam ſedavit; utque Religionis noſtræ Antiſtites ſecure deinceps munus ſuum obirent, hujuſmodi reſcripto præcepit: Imperator Cæſar P. Licinius Gallienus, Pius, Felix, Auguſtus, Dionyſio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Epiſcopis. Indulgentiam beneficii noſtri per univerſum Orbem diffundi præcepimus, ut cuncti a religioſis locis abſcedant. Quocirca & vos reſcripti noſtri forma uti poteſtis, ut nullus vobis deinceps moleſtiam faceſſat. Atque id, quod vobis exequi licet, jamdudum a me conceſſum eſt. Proinde Aurelius Cyrenius Procurator ſummæ rei, datí a nobis reſcripti formam ſequetur*. Hæc Euſebius, qui mox ſubdit, aliis etiam Epiſcopis edicto permiſiſſe, ut Cœmeteriorum ſuorum loca recuperarent. Ante reſcriptum Dionyſio, Pinnæ, Demetrio,

trio, ceteriſque Ægypti Epiſcopis datum, aliud vulgaverat Gallienus cunctis per Orbem Epiſcopis, ut ipſa Imperatoris verba teſtantur: *Atque id, quod vobis exequi licet, jamdudum a me conceſſum eſt.* Novo autem edicto pro Ægypti Epiſcopis opus fuit; quia Macriano cum filiis ſuis tyrannidem exercente, prima Gallieni edicta irrita ibidem fuerant: quæ tamen ſequenti anno, poſt Macriani, ejuſque filiorum interitum, vulgata ſunt. Gallieni Imperatoris in Eccleſiam benignitatem Dionyſius epiſtola ſua ad Hermanonem data his verbis celebrat: *Ille quidem*, ideſt Macrianus, *cum Imperatorum ſuorum alterum prodidiſſet* (ideſt Valerianum, Macriani dolo a Perſis captum), *alteri bellum intuliſſet*, ideſt Gallieno, poſtquam purpuram induerat, *brevi cum univerſa familia penitus interiit. Gallienus vero vetus ſimul Imperator, ac novus*, ideſt ante Macrianum, & poſt ipſum, *prior illis, & poſt illos religioſiſſimus, Deique amantiſſimus Imperator, ſeptennalem circulum jam emenſus, nonum Imperii annum degit, quo nos feſta celebraturi ſumus.*

4. Gallieni tamen edictis militum ſecuritati ſatis conſultum non eſt. Quare Marinus miles martyrium ſubiit, ut narrat Euſebius: *Interea pace cunctis ubique Eccleſiis reddita, apud Cæſaream Palæſtinæ Marinus quidam militari dignitate decoratus, ad hæc ſplendore generis, atque opibus clarus, ob confeſſionem Chriſti capite truncatus eſt.* Martyrio autem hæc cauſam dederunt. Honor quidam erat vitis apud Romanos, quam qui adepti eſſent, Centuriones dicerentur. Hic locus cum vacaret, Marinus pro merito ac ordine gradus ſui ad illum vocabatur. Verum cum ejuſmodi honore jam jam potiturus eſſet; quidam ad Tribunal accedens Marinum accuſare cœpit, aſſerens, illi, utpote Chriſtiano, & Imperatoribus ſacrificare renuenti, legibus non licere Romanam dignitatem capeſſere. Quapropter judex, Achæus nomine, primum quidem Marinum interrogavit, cujuſnam eſſet ſententiæ: cognito deinde, quod Chriſtianum ſe eſſe conſtantiſſime profiteretur, trium horarum ſpatium ad deliberandum eidem conceſſit. Marino itaque ex prætorio egreſſo, cum Theotecnus Cæſareæ Epiſcopus occurriſſet, & ſermocinando longius eum abſtrahens, prehenſa manu ad eccleſiam atque ad ipſum uſque altare perduxiſſet, reducta tantiſper ejus clamyde, gladium illi, quo præcinctus erat, oſtendens, mox ſacrorum Evangeliorum

Marini militis confeſſio fidei, & martyrium.

Euſeb. lib. 7. 15.

JESU CHR. AN. 260.

codicem ex adverſo locat, eum jubens ex duobus, utrum mallet, eligere. Marinus nihil cunctatus, protenſa dextera, codicem cum apprehendiſſet, his eum verbis Theotecnus compellavit: *Adhære igitur, adhære Deo, ejuſque virtute roboratus conſequere, quod elegiſti. Vade in pace.* Poſt hæc Marinum ab eccleſia regredientem præco pro foribus Prætorii evocare cœpit; jam enim præſtitutum tempus effluxerat. Admotus igitur tribunali, cum in confeſſione fidei majori, quam antea, alacritate perſeveraſſet, ſtatim ad ſupplicium adductus, martyrio coronatus eſt.

Aſtyrii pietas. *Euſeb. lib. 7. 16.*

5. Poſt glorioſum Marini militis certamen, egregium quoque Aſtyrii facinus mox addit Euſebius, qui ob religioſam fiduciam, ac libertatem, celeberrimum nomen eſt conſecutus. Vir quidem erat Aſtyrius ex Romanæ urbis ſenatoribus, Imperatoribus unice carus, & cum ob ſplendorem generis, tum propter divitias omnibus notus, qui cum Marini ſupplicio intereſſet, humeris ſuis impoſitum cadaver, candida, & pretioſa amictus veſte bajulavit, illudque magnifico cultu ornatum decenti tradidit ſepulturæ. *De hoc viro*, ſubdit Euſebius, *innumera quoque alia referuntur ab ejuſdem familiaribus, qui ad noſtram uſque ætatem ſuperſtites vixerunt.* Deinde ſequenti capite addit, dæmonem, qui Gentilium credulitati illudebat, Aſtyrii oratione fugatum fuiſſe. *Apud Cæſaream Philippi*, inquit idem Auctor, *quam Phœnices Paneada nominant, ad pedes Panii montis fontes viſuntur, ex quibus profluit Jordanis. In hos feſto quodam die victimam conjici ſolitam eſſe ajunt, quæ mirabili quadam dæmonis operatione nuſquam poſtea compareret; eamque rem a ſpectantibus pro illuſtri miraculo haberi conſueviſſe. Quodam igitur tempore cum Aſtyrius his forte cæremoniis intereſſet, cunctoſque admiratione rei perculſos videret; primum quidem cæcitatem vulgi miſeratus eſt. Deinde, oculis in cœlum ſublatis, ſupremum omnium Deum per Jeſum Chriſtum obteſtatus eſt, ut dæmonem illum populi ſeductorem conſtringeret, & a decipiendis poſthac mortalibus abſtinere eum juberet. Peracta precatione, repente victimam fontibus ſupernataſſe, ajunt; atque ita miraculum ipſis prorſus intercidiſſe, nullo deinceps circa hunc locum prodigio viſo.* Hactenus de Aſtyrio Euſebius; cujus memoria una cum Marino die tertia Martii Martyrologio Rom. celebratur.

Aſtyrii oratione ſuperſtitio ceſſat. *Euſeb. lib. 7. 17.*

Martyr. Rom. die 3. Martii.

JESU

Jesu Chr. an. 261.

JESU CHRISTI an. 261. Dionysii Papæ 3.
Gallieni Imperatoris 9.
Coss. Gallieno Aug. IV., et Voluſiano.
Olympiad. 260. an. 1. Urbis an. 1014.

De Conſulibus hujus anni.

Baron. ann. 251.

1. *Qui Conſulatus ſubducunt a Faſtis*, ait Baronius, *ordine temporum ſemel confuſo, diverſis ſe, alioſque implicant labyrinthis*. Exemplo ſit ipſe Baronius, cujus chronologia ad Diocletiani uſque tempora ſemper confuſa, inextricabili volvitur labyrintho; nam ſubductis aliquando ordinariis Conſulibus, ſuffectiſque intruſis, Faſtos adeo pervertit, ut per tria priora ſecula corrupti undique ſint: idque hoc eodem anno clarius evincitur, dum Gallieno, Conſuli quartum, Valerianum ſociavit, excluſo Voluſiano: *Exploſis*, ait, *tum a præſenti anno, tum a ſequenti Conſulibus adſcititiis, recipiant Faſti Conſulares ſuos legitimos Conſules ordinarios, Gallienum quarto, atque Valerianum juniorem*. Voluſiannm tamen retinendum eſſe, ipſimet Faſti nos admonent.

Bar. an. 262. Pag. not. 2. ad an. 261.

Gallieni Imperium in Ægypto, pax iis Eccleſiis reddita.

2. Cum in Ægypto Macrianus tyrannidem uſque ad hunc annum exercuiſſet, Eccleſiæ quoque hactenus ibidem afflictæ, divexatæque fuerant; ipſi namque, teſte Dionyſio Alexandrino, *data eſt poteſtas per menſes quadraginta duos*, ideſt uſque ad hunc annum, quo una cum filiis ſuis periit, atque in Gallieni poteſtatem Ægygtus rediit. Quare iterum Dionyſius: *Gallienus vero renunciatus, & communi conſenſu omnium iterum approbatus eſt, vetus ſimul Imperator, ac novus*; nam antea cum Valeriano imperaverat. Poſtmodum, Macriano interempto, Ægyptum Imperio ſuo adjunxerat: quo factum, ut Gallieni edicto, quod nos ſuperius exſcripſimus, *Dionyſio, Pinnæ, Demetrio, aliiſque Ægypti Epiſcopis* dato, Eccleſiis quoque Ægypti pax & tranquillitas rediret, ut idem narrat Dionyſius, anno ſcilicet Imperii ſui nono, ideſt labenti: *Religioſiſſimus vero, Deique amantiſſimus Imperator nonum Imperii annum degit, quo nos feſtu celebraturi ſumus*. Pace etenim Eccleſiis reddita, Alexandriam redierat Dionyſius, ubi mox feſta Paſchalia celebraturus erat.

Euſeb. lib. 7. 23.

Euſeb. lib. 7. 23.

Dionyſius non Decennalia, ſed Paſchalia feſta celebrare cupit.

3. De eo feſto Pagius agens, ſibi aliiſque perſuadere conatus eſt, Dionyſium ibidem loqui de feſtis Decennalibus Imperii Gallieni anno ſequenti celebrandis. Vix tamen credibile

Jesu Chr. an. 261.
Pag. not. 12. an. 261.
Euſeb. lib. 7. 21.

dibile eſt, Dionyſium de Decennalibus feſtis ſollicitum fuiſſe; a quibus Chriſtiani, utpote ſuperſtione pollutis, alieni erant. Feſtum itaque, quod cum ſuis maxima cum lætitia celebraturus erat Dionyſius, Paſchale erat: quod & Euſebius innuit, dum narrat, quod exurgente iterum civili bello, ob Æmiliani rebellionem, de quibus anno ſequenti, ipſo Paſchatis die, quaſi extorrem eum factum fuiſſe; ideoque feſtum, quod, Hermanoni ſcribens, cum lætitia celebrandum ſperaverat, mutatis repente rebus, in luctum converſum eſt. Hæc ſunt Euſebii verba: *Pace vix dum reſtituta, Alexandriam regreſſus eſt Dionyſius; verum cum ſeditio, bellumque rurſus illic exortum fuiſſet .... iterum ipſo Paſchæ die, ex urbe Alexandria tanquam extorris, eos per litteras alloquitur*, ideſt Alexandrinos cives, ob ſeditionem in varias partes diſtractos.

Dionyſius Sabellianiſmum impugnans, Arianiſmi apud Rom. Pontificem accuſatur.
Athanaſ. epiſt. de ſententia Dionyſ. to. 1. pag. 246.

4. Cum Pentapolitani quidam Epiſcopi Sabellii erroribus faverent, tantumque eorum figmenta invaluiſſent, ut vix ulterius Filius Dei in Eccleſiis prædicaretur; Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus illuc legatos miſit, ut ejuſmodi hæreſis auctores a ſuis pravis opinionibus retraherent. Illis autem nihil de ſtultitia ſua remittentibus, impudentiuſque in impietate pergentibus, coactus eſt, ad illorum improbitatem retundendam, ad Ammonium, & Euphranorem Ægypti Epiſcopos epiſtolam ſcribere, & humanitatem Chriſti ex Evangeliis commonſtrare; ut illis audacius Filium Dei abnegantibus, & humana ejus Patri imputantibus, commonſtrata rei veritate, non Patrem, ſed Filium pro nobis hominem genitum fuiſſe perſuaderet. Verum ex his, aliiſque in ea epiſtola congeſtis, cum Dionyſii fides ſuſpecta nonnullis eſſet, eo quod diſputationis æſtu abreptus, divinas Perſonas non ſolum diſtinxiſſe videretur, ſed & re ipſa ſeparaſſe, ita ut ſicuti Perſonarum ratione inter ſe diſtinguuntur, ita quoque ſubſiſtentia, ſeu natura disjungerentur; idcirco eum Dionyſio Romano Pontifici accuſarunt. Is vero, coacta Romæ ſynodo, illum per litteras admonuit, ut fidei ſuæ rationem redderet: quibus acceptis, Dionyſius Alexandrinus confutationem, ſeu apologiam pro ſe ipſo edidit, qua de Deifica Trinitate ſe recte ſentire comprobavit.

Dionyſius apud Rom. Pontificem de ſuſpecta hæreſi ſe purgat.

5. Multa quidem tum in libello, cui titulus refutationis, & apologiæ, cum in epiſtolis ad Romanam Synodum miſſis, Dionyſius Alexandrinus pro ſui defenſione adduxit, quæ apud

apud Athanaſium videri poſſunt. Nos vero brevitati ſtudentes, aliqua tantum excerpimus. Altera igitur ex epiſtolis hæc inter cetera habet: *Ego & in alia epiſtola ſcripſi, ubi oſtendo, crimen, quod deferunt contra me, falſum eſſe: quaſi qui dicerem, Chriſtum non conſubſtantialem eſſe Deo. Nam tametſi dico, me id non reperiſſe, nec legiſſe alicubi in ſacris litteris, rationes tamen noſtræ, quas reticuerunt, non abludunt ab hac ſententia.* Deinde exempla ad id comprobandum allata, humani ſcilicet partus, arboris, & fluminis, luculentius explicat, ſeque hujuſmodi ſimilitudinibus uſum ideo fuiſſe affirmat, quia quemadmodum filius a patre, arbor a ſemine, fluvius a fonte, unde originem habuerunt, diſtinguuntur; ita quoque Dei Filium perſona a Patre diſtinctum adverſus Sabellianos propugnandum ſuſceperat. Ex Apologia etiam, aliiſque locis probat Athanaſius, eadem de Dei Filio cum Eccleſia Catholica docuiſſe Dionyſium, in cujus denique defenſionem hæc ſubdit: *Non enim fabri peritia, ſolertiaque, qui multas triremes ædificavit, ex unica navi, ſed ex omnibus ſimul dijudicari debet. Si igitur ſimpliciter, tamquam qui fidem ſuam edere profiteretur, hanc epiſtolam ſcripſit; eſto accuſent eum, ut velint, non enim crimine caruerit iſtiuſmodi ſententia. Quod ſi temporis, & perſonæ ratio eum ad talia ſcribenda traxit, aliaſque poſtmodum epiſtolas ſubdidit, quibus ſe de ſuſpicione purgat; non oportuit, omiſſis cauſis, cur ita ſcribendum fuerat, homini temere odium conciliare.* Hæc, & plurima de eo Athanaſius, qui adverſarios ſæpe provocat ad ea, quæ idem Dionyſius Alexandrinus pro ſe ipſo ad Dionyſium Romanum Pontificem ſcripſerat.

Apud Athan. in Dionyſ. Apol. tom. 1. pag. 255.

6. Hæc autem perſequi oportebat diligentius; plerique enim, qui Dionyſii ſcripta minus cognita habuere, ejus de Trinitate fidem in ſuſpicionem adduxerunt, neque ſcribere dubitarunt, ipſum Arianis viam præmonſtraſſe: *Nihil creatum, aut ſerviens in Trinitate credimus, ut vult Dionyſius fons Arii*, inquit Gennadius libro de Eccleſiaſticis dogmatibus. Baſilius quoque Maximo philoſopho ſciſcitanti, quid de Dionyſio ſentiret, plurima incaute ab eo ſcripta fuiſſe aperte reſpondit: *De rebus Dionyſii ſciſcitaris; venerunt quidem ad nos admodum ejus multa; libri vero nondum adſunt, atque ideo nihil dum miſimus. Eſt autem hæc noſtra de eo ſententia. Non omnia viri hujus laudamus; ſunt, quæ prorſus etiam damnamus. Ipſe propemodum, quantum nobis liquet, primus hominibus iſtius impieta-*

De Dionyſio Alexandrino veterum opinio.

Gennad. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 4. apud Auguſt. tom. 8. in append.

Baſil. epiſt. 9.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 261. *pietatis Anomianæ, quæ jam paſſim obſtrepit, ſeminaria præbuit. Cauſam vero hujus non puto animi malitiam fuiſſe, ſed quod vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum ſimilem æſtimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus averſionem, ita immoderate illam retorquet, ut a medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat.* Secus tamen ſenſiſſe poſtea Baſilius videtur; quippe cum, Dionyſii mente ex ejus ſcriptis diligentius explorata, ipſius non ſine laude meminerit in libro de Spiritu S.: *Ceterum cum apud me reputo, ſi quis veterum, ac beatorum virorum, his, quibus nunc reclamatur, vocibus uſus eſt, multos reperio, quibus antiquitas fidem conciliat.... Irenæus ille, & Clemens Romanus, & Alexandrinus Dionyſius.* In epiſtola vero prima canonica, quæ eſt *n.* 188., eum Magni titulo decoraverit, quæ ſane indicia eſſe videntur, ipſum poſthac de Dionyſii fide vix dubitaſſe.

Baſil. de Spiritu S. cap. 29.

Dionyſius Alex. Millenariorum errorem confutat.

7. Feliciori longe exitu Millenariorum errorem hiſce diebus Dionyſius oppugnavit, quam poſt Papiam, Irenæum, Juſtinum Martyrem, & Tertullianum, alioſque, Nepos quidam in Arſinoita Præfectura Epiſcopus e cineribus excitaverat, edito libro, quem Allegoriſtarum Confutationem inſcripſit, quod perſuaſum animo haberet Johannis Apocalypſim Millenariis aperte ſuffragari. Itaque cum tanti viri auctoritate adducti nonnulli ex clero, & populo in eum errorem incidiſſent, Nepoteque vita functo, Coracio quidam, Millenariorum veluti Princeps, magis magiſque hujuſcemodi deliria in vulgus ſpargeret, Dionyſius verbis, & ſcripto pullulantem hæreſim refellendam, errranteſque edocendos ſuſcepit. Rem ita prodit Euſebius: *Cauſam ſcribendi duos libros de promiſſionibus præbuit Nepos quidam Epiſcopus Ægypti, qui promiſſiones, ſanctis hominibus factas in divinis voluminibus, Judaico ſenſu exhibendas docebat; & neſcio, quod mille annorum ſpatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat.* Primo autem libro ſuam de Millenariorum errore ſententiam Dionyſius declaravit. In altero vero de Johannis revelatione diſputans, in ipſo ſtatim exordio ita Nepotis meminit: *Sed quoniam librum quemdam proferunt Nepotis, quo quidem magnopere nituntur, quaſi in eo certiſſimis argumentis demonſtratum ſit, Regnum Chriſti in terris futurum: in plurimis quidem aliis rebus laudo Nepotem, ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam, & ſtudium Scripturarum; poſtremo, ob pſalmorum can-*

Euſeb. lib. 7. 24.

cantus multiplices , *quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur* : *magnoque honore* , *ac reverentia hominem proſequor*, *vel ob id maxime* , *quod ex hac vita migravit*. *Sed veritatem magis diligo* , *cunctiſque præferendam cenſeo*. His addit Nepotis librum adeo Millenarios æſtimaſſe , ut præ illo quidam ipſorum Doctores legem , ac Prophetas nihili haberent , Evangelia ſequi negligerent , Apoſtolorum epiſtolas contemnerent ; oportere itaque , *ut adverſus fratrem Nepotem* , *quaſi præſentem* , *diſputationem inſtituat* . Quare convocatis , qui falſam Millenariorum doctrinam prædicabant , iiſque adductis , ut publicum de illa examen haberetur , cum illi Nepotis præſertim librum veluti ſcutum quoddam , murumque inexpugnabilem opponerent , *tres continuos dies a prima luce uſque ad veſperam cum ipſis ſedens* Dionyſius , quæcumque in eo libro ſcripta erant , ſumma diligentia perpendit , feliciterque adeo diſſolvit , ut Coracio Millenariorum ſignifer Dionyſii argumentis rationibuſque proſtratus , in frequenti fratrum conventu coram receperit , fore ut in poſterum a ſuſcepta ante opinione abſtineret , neque privatim vel publice de illa ullatenus diſputaret : quod & fratres ceteri uno omnes conſenſu profeſſi ſunt .

JESU CHR. AN. 261.

8. Millenariorum errorem Alexandrina Synodo damnatum fuiſſe , tradit auctor Synodici , Nepotem Nepotianum appellans : *Synodus divina* , *& ſancta provincialis collecta Alexandriæ ab eodem Dionyſio* , *quæ damnavit* , *& poſt mortem abdicavit Nepotianum Epiſcopum Ægypti* , *& Cerinthum* , *tamquam aſſeverantes* , *eoque errori plurimos alios involventes* , *in terrena Hieruſalem Chriſti eſſe regnum* , *& millenarium errorem docentes* . Quæ hic tamen de Nepotis abdicatione & damnatione poſt mortem adſeruntur , vix fidem merentur ; namque ſupra vidimus , cum laude a Dionyſio fuiſſe commemoratum . Neque magis credendum Hieronymo ſcribenti , Dionyſii quod diximus opus non adverſus Nepotem , ſed contra Irenæum vulgatum fuiſſe : *Irenæi tantum Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem* , *adverſus quem vir eloquentiſſimus Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus elegantem ſcripſit librum* , *irridens mille annorum fabulam* . Hæc enim ipſe poſtea Hieronymus retractavit , admonuitque Dionyſium non Irenæi , ſed Nepotis erroribus ſuum de Promiſſionibus librum oppoſuiſſe .

Millenariorum error a Synodo Alex. damnatus. *Labb. Concil. to. 1. pag. 832.*

Hier. Comment. in Iſai. in præf. l. 18.

Hier. lib. de Vir. illuſtr.

9. De Epiſcopis , qui doctrina , vel ſanctitate hoc tempore

De Epiſcopis, qui hac ætate floruerunt.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 261.

Euſeb. lib. 7. 14. cap. 27.
Ccutan. in Sixto Pag. an. 258.
Valeſ. in Euſeb. ad lib. 7. 14., & 27. Pearſ. Baſnag. aliique.
Euſeb. lib. 7. 14.

pore floruerunt, hæc adnotat Euſebius: *Eadem tempeſtate Romanæ quidem Eccleſiæ adhuc præerat Sixtus*, quem annos undecim Pontificatum tenuiſſe alibi tradit. Utroque tamen loco egregie fallitur; nam, Cypriano teſte, in Valeriani perſecutione Sixtum martyrio obiiſſe novimus. Itaque Romanam Eccleſiam hac ætate Dionyſius regebat; Antiochenam vero poſt mortem Fabii Demetrianus, qui eam hoc, aut anno elapſo Paulo Samoſateno reliquit. *Apud Cæſaream Cappadociæ Firmilianus, in Ponto Gregorius, fraterque ejus Athenodorus, ambo Origenis diſcipuli Eccleſias gubernabant. Apud Cæſaream autem Palæſtinæ, mortuo Theoctiſto, Sacerdotium ſuſcepit Domnus: quo non multo poſt ex hac vita ſublato, Theotecnus, qui ad noſtram uſque ætatem ſuperfuit, in ejus locum ſubrogatus. Hieroſolymis vero poſt Mazabanis obitum Epiſcopalem ſedem obtinuit Hymeneus, qui noſtra etiam ætate plurimis laudum titulis inclaruit.* Hæc Euſebius de Epiſcopis primarum ſedium doctrinæ pietatiſque laude florentibus.

JESU CHRISTI AN. 262. DIONYSII PAPÆ 4.
GALLIENI IMPERATORIS 10.
COSS. P. LICINIO GALLIENO AUG. V., ET FAUSTINO.
OLYMPIAD. 260. AN. 2. URBIS AN. 1015.

Variis calamitatibus Romanum Imperium affligitur.
Pcll. in Gall. cap. 5.

1. Infauſtum ingredimur annum, Orbique Rom. luctuoſum, de quo hæc ſummatim Trebellius: *Gallieno, & Fauſtino Conſulibus, inter tot bellicas clades etiam terræmotus fuit, & tenebræ per multos dies: auditum præterea tonitruum, terra mugiente, non Jove tonante, quo motu multæ fabricæ devoratæ ſunt cum habitatoribus, multi terrore mortui; quod quidem malum triſtius in Aſiæ urbibus fuit. Mota eſt & Roma, mota & Libya; hiatus terræ pluribus in locis fuerunt, cum aqua ſalſa in foſſis appareret. Maria etiam multas urbes occuparunt*: quare inſpecti ſunt Sibyllæ libri, factumque Jovi ſalutare, ut præceptum fuerat, ſacrificium. Peſtilentia vero euſque ſæviit, ut Romæ, & in Achaicis urbibus uno die quinque millia hominum perirent. In tantis Imperii calamitatibus ad vaſtitatem augendam bella quoque undique exorta acceſſere. Namque abducto in ſervitutem Valeriano, Odenatus Orientem maxima ex parte occupaverat: Aureolus Illyricum invaſerat: Ægyptum Æmilianus: Gothi, & Clodius, occu-

Jesu Chr. an. 262.

occupatis Thraciis, Macedoniam vaſtaverant, ac Theſſalonicam obſederant; *quæ omnia contemptu* (ut ſæpius diximus) *Gallieni fiebant hominis luxurioſiſſimi*, inquit idem Trebellius, qui, paucis interjectis, hæc rurſus prodit: *Scythæ autem, hoc eſt pars Gothorum, Aſiam vaſtabant. Tunc etiam templum Dianæ Epheſiæ deſpoliatum, & incenſum eſt, cujus opes fama in populos ſatis notæ*. Hic tandem exitus Epheſini templi, auguſti nempe illius, & celebratiſſimi Orbis miraculi, cujus cauſa maximus olim adverſus Paulum Apoſtolum, ejuſque ſocios Epheſi tumultus fuit, ut in Actis Apoſtolorum legitur. Corruit igitur tandem magna illa Diana, ſic ore Gentilium omnium conclamata, *Magna Diana Epheſiorum*.

Dianæ Epheſiæ templum vaſtatur.

Act. cap. 19.

2. Ob Chriſtianorum ſanguinem injuria effuſum hæc Romano orbi accidiſſe adnotat Oroſius, a quo vere animadverſum, non Imperatorem modo perpetuæ ignominioſæque ſervituti addictum pœnas dediſſe; ſed & ceteros perſecutionis hactenus motæ participes, executores, incentoreſque, *poſtremo omnes, qui injuſtiſſimæ crudelitati vel tacita voluntate aſſentiebantur, quia Deus ſecretorum cognitor eſt*. Ea certe ingruentium undique malorum vis fuit, ut ſcite ſcripſerit Auguſtinus, fideles credere potuiſſe Mundi forte finem adeſſe: *Sub Imperatore Gallieno cum Romanas provincias barbaries uſquequaque pervaderet; quam multos fratres noſtros, qui tunc erant in carne, putamus propinquum finem* (Mundi nempe) *credere potuiſſe*.

Ultio divina in Gentes.

Oroſ. lib. 7. Biblioth. PP. tom. 6.

Aug. epiſt. 80.

3. Sed enim illud eſt potiſſimum cum Sozomeno adnotandum, haſce nempe Romani Imperii clades Chriſtianæ fidei propagationi magnopere contuliſſe. Innumeri enim cujuſcumque generis Chriſtiani in ſervitutem a Barbaris abducti, apud barbaras feraſque gentes fidei Chriſtianæ magiſtri, ac propagatores fuere: & ut de diſperſis poſt Stephani lapidationem ajebat Auguſtinus, ligna Spiritu Sancto accenſa fuiſſe, *ſparſa ſunt ligna, & accenſus eſt Mundus*. Cum infinita itaque multitudo gentium ex Thracia in Aſiam tranſiiſſet, eamque incurſionibus factis occupaſſet; aliique Barbari in pluribus Romanorum locis ſibi finitimis idem præſtitiſſent; multi ſacerdotes Chriſti pariter captivi a Barbaris abducti ſunt. Qui quidem cum in illis locis morbis afflictatos ſanarent, dæmonibus occupatos, ſolo nomine Chriſti Filii Dei invocato, liberarent, & ſincerum præterea, ac pium vitæ genus colerent; *Barbari*

Chriſtiana Religio mirifice propagata.

Sozom. lib. 7. cap. 5.

Aug. tom. 5. ſerm. 116. de diverſis.

Jesu Chr. an. 262.

eos cum vitæ, tum factorum mirabilium cauſa magnopere admirati, & eos valde prudentes eſſe, & ſe, ſi tam præſtabiles hominum mores imitarentur, Numenque Divinum ad eorum exemplum colerent, Deum ſibi propitium habituros. Itaque ab illis, quid ſibi agendum ſit, doceri conſtituunt, diſcunt Fidei noſtræ præcepta, baptiſmum recipiunt, & conventus more Chriſtianorum celebrant. Hucuſque Sozomenus.

Civile bellum in Ægypto exoritur.

4. Sublatis Macrianis (ut anno elapſo diximus) Ægyptum recuperaverat Gallienus: quo factum eſt, ut pace tranquillitateque Ægypti Eccleſiis reſtituta, Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus ad ſuos denique reverteretur. Verum exorta repente Æmiliani rebellione, civilique bello, cum media ipſa Alexandria bellum gereretur, cædeſque fierent, iterum exulare aut latere cogitur, uti refert Euſebius, idemque Dionyſius in epiſtola ad Hieracem in Ægypto Epiſcopum his verbis: *Quid vero mirum, ſi grave, ac difficile mihi eſt homines longius remotos, vel per epiſtolas adloqui, cum nec mecum ipſe colloqui, nec animæ meæ conſulere facile poſſim? Etenim ad mea ipſius viſcera, ad contubernales, & ad unanimes fratres, ejuſdemque Eccleſiæ municipes, miſſis epiſtolis opus habeo, eaſque quomodo tranſmittam, vix reperio. Facilius enim quis non dicam extra fines provinciæ, ſed ab Oriente ad regiones Occidentis ultimas commeare poſſit, quam ex ipſa urbe Alexandria Alexandriam pergere.* Invios, ac deſertos fuiſſe Alexandriæ vicos, non aliter ac Ægypti ſolitudines, deinde ſubdit: mare autem urbi proximum, *ob crebras hominum cædes ibi perpetratas, maris cujuſdam rubri inſtar fuiſſe*: Nilum etiam interdum aridum, & ſqualidum remanſiſſe, interdum vero tantopere exundaſſe, ut circumſitæ regioni, viiſque, & agris omnibus ſuperfuſus aquarum diluvium minari videretur; inſuperque continuis hominum cædibus, & ſubmerſionibus inquinatum evolvi. Non ergo mirandum continuas peſtes, graves morbos, omniſque generis labes prodiiſſe; magnamque adeo Alexandrinorum partem periiſſe, ut quot antea ſenes ibidem erant, tot ea ætate omnis generis cives ſupereſſent.

Euſeb. lib. 7. 21.

Æmilianus Imperium in Ægypto uſurpat.

Trebell. Pol. in Gall., & in Æmilian. cap. 22.

5. De bello autem, unde hæc in Alexandrinam urbem mala prodierunt, ita Trebellius in Gallieno, & Æmiliano: *Per idem tempus Æmilianus apud Ægyptum ſumpſit Imperium; occupatis horreis, multa oppida malo famis preſſit; ſed hunc Dux*

Dux Gallieni Theodotus, conflictu habito, cepit, atque Imperatori Gallieno vivum tranſmiſit. In Commentario etiam de triginta Tyrannis: *Et hoc familiare eſt populo Ægyptiorum, ut vel furioſi, ac dementes de levibus quibuſque ad ſumma Reipublicæ pericula perducantur; ſæpe illi, ob neglectus ſalutationes, locum in balneis non conceſſum, carnem, & olera ſequeſtrata, calciamenta ſervilia, & cetera talia uſque ad ſummum Reipublicæ periculum ſeditionis, itaut armarentur contra eos exercitus, pervenerunt. Familiari ergo ſibi furore cum quadam die cujuſdam ſervus Curatoris, qui Alexandriam tunc regebat, militaris ob hoc cæſus eſſet, quod crepidas ſuas meliores eſſe, quam militis diceret; collecta multitudo in domum Æmiliani Ducis anceps venit, atque cum omni ſeditionum inſtrumento, & furore proſequuta eſt: ictus eſt lapidibus, petitus eſt ferro, nec deſiit ullum ſeditionis telum. Quare Æmilianus coactus ſumpſit Imperium, cum ſciret ſibi undecumque pereundam; conſenſerunt ei Ægyptiaci exercitus, maxime in Gallieni odium, nec ejus ad regendam Rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem, totumque Ægyptum peragravit, & quatenus potuit, Barbarorum gentes forti auctoritate ſubmovit. Denique Alexander, vel Alexandrinus (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus eſt. Et cum contra Indos pararet expeditionem, miſſo Theodoto Duce, Gallieno jubente, dedit pœnas; ſiquidem ſtrangulatus in carcere captivorum, veterum more, perhibetur.* Hæc Trebellius de Æmiliani Imperio, & interitu: quo tempore (dum ſcilicet vehementiſſima fame Alexandria vexaretur, occupatis ab Æmiliano horreis publicis), id fortaſſe accidit, quod de Anatolio, & Euſebio Laodicenſis Eccleſiæ poſtea Epiſcopis traditur, eos nempe quamplurimis cujuſcumque ætatis, & ſexus prudentiſſimo conſilio, ne fame perirent, ſubveniſſe.

JESU CHR. AN. 262.

Euſeb. lib. 7. cap. 32.

6. *Apud Laodiceam*, ait Euſebius, *poſt Socratem Epiſcopus fuit Euſebius, domo Alexandrinus .... Huic deinde ſubſtitutus eſt Anatolius bonus, quod ajunt boni viri ſucceſſor, ipſe quoque domo Alexandrinus ..... Plurimæ quoque res ab eo præclare geſtæ Alexandriæ in obſidione Bruchii referuntur ... Sed unum dumtaxat facinus exempli gratia commemorabo.* Cum frumentum itaque deficeret obſeſſis, adeo ut hoſtium impetum facilius, quam famem tolerarent, Anatolius, qui in eadem verſabatur civitate, miſſo clam nuntio, Euſebium cer-

Anatolii, & Euſebii ſollicitudo pro Alexandrinorum ſalute.

Idem Euſeb. ſupra.

JESU CHR. AN. 262.

tiorem fecit de numero eorum, qui fame in obſidione interibant. Quo comperto, Euſebius a Romano Duce poſtulavit, ut iis, qui transfugere ab hoſtibus vellent, incolumitatem concederet: quod cum impetraſſet, ſtatim Anatolio indicavit. Hic, promiſſione Ducis accepta, Alexandrinum convocat Senatum, ac primum quidem ſuadere cœpit omnibus, ut cum Romanis in gratiam redirent. Sed cum illos hujuſmodi verbis exaſperatos videret: *At hoc certe*, inquit, *nequaquam vos arbitror repudiaturos, ſi vobis ſuaſero, ut ſupervacuam, atque inutilem turbam, anus ſcilicet, & infantes, ac ſenes extra portas abire, quo velint, ſinatis. Quid enim iſtos jamjamque morituros retinemus nobiſcum? Cur eos, qui debilitato penitus, ac mutilato ſunt corpore, fame inſuper conficimus, cum viros dumtaxat, ac juvenes alere oporteat, & neceſſarium frumentum iis, qui ad Urbis cuſtodiam idonei ſunt, diſpenſare?* Quibus Senatu in ſuam ſententiam adducto, ipſe primus exurgens, omnem imbellem multitudinem utriuſque ſexus ex urbe dimiſit: quo factum, ut univerſos fere obſeſſos ſervaret; expulſos vero altera ex parte Euſebius excipiens, utpote diuturna nimis obſidione maceratos, quaſi quidam pater, ac medicus omni cura, ac providentia recreabat. Bruchii obſidionem (ideſt, præcipuæ Alexandriæ regionis) ad Aureliani tempora refert Marcellinus: *Aureliano imperante*, ait, *Alexandrinis civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapſis, dirutiſque mœnibus amiſit regionem maximam, quæ Bruchium appellabatur*. Euſebius vero anno ſecundo Claudii narrat: *Alexandriæ Bruchium, quod per multos annos fuerat obſeſſum, tandem deſtructum fuiſſe*. Valeſius tamen, & Pagius, quæ de Euſebio, & Anatolio hactenus recitavimus, ſub Claudii Imperio accidiſſe autumant. Quia tamen pluries obſeſſum fuerat Bruchium, ad hæc tempora, cum dira fames Alexandrinos vexaret, ut ex Pollione conſtat, eximia charitatis officia Euſebium, & Anatolium in eoſdem contuliſſe vero propius eſt; cum præſertim ſciamus, Claudii, & Aureliani temporibus utroſque, Alexandria relicta, Laodicenæ Eccleſiæ præfuiſſe. *Hujuſmodi duos Paſtores*, Euſebio auctore, *continua ſerie ſibi ſuccedentes Laodicenſis Eccleſia divino nutu ſortita eſt, cum uterque ipſorum poſt ſupradicti belli tempora ex Alexandrina urbe in Syriam migraviſſent*.

Amm. Marcell. lib. 22.

Euſeb. in Chron. apud Hieronym. tom. 8.

Valeſ. in Euſeb. lib. 7. 32.

Pag. not. 2. an. 262.

Tillem. to. 3. hiſt. Imp. pag. 346.

Baſnag. an. 262.

Peſtis Alexandriæ graſſatur.

7. Famem peſtis excepit, qua ſæviente Chriſtiani inſignia

gnia pietatis officia præſtitere. Cum breviſſimo temporis ſpatio Fideles reſpiraſſent (verba ſunt Euſebii ex Dionyſio), *repente ingruit lues illa, ipſis quidem*, ideſt gentilibus, *res omnium formidoloſiſſima, & calamitoſiſſima, & quæ ſola, ut propius quidam ipſorum ſcriptor loquitur, omnium ſpem, opinionemque ſuperavit. Nobis vero non ejuſmodi fuit; ſed potius medicamentum quoddam, ac probamentum perinde, ac cetera.* Accidit enim, ut Chriſtianorum plurimi eximio caritatis ſpiritu ducti, propriæque ſalutis curam omnem abjicientes, dum ægros audacter inviſerent, curarentque, una cum illis interierint: inter hos autem nonnulli Presbyteri, vel Diaconi, plerique etiam laici numerabantur, qui omnes hoc mortis genere obeuntes, Martyribus ferme comparati ſunt; eaque de cauſa maximo in honore habiti, ac in Sanctorum numerum relati ſunt, uti declarat Dionyſius, a quo præterea proditum, alia longe ratione in eo diſcrimine Ethnicos ſeſe geſſiſſe. Vix enim quemquam morbo captum noverant, domo, hoſpitioque etiamſi cariſſimum exturbabant, vel omni deſtitutum ope derelinquebant, mortuos vero inſepultos projiciebant. Hæc Dionyſius de peſte Alexandriam vaſtante, & de Chriſtianorum officiis in eos, qui exitiali morbo laborabant, quorum memoria in Martyrologio Romano pridie Kalendas Martii recolitur.

Gallienus magna pompa Decennalia celebrat. *Trebell. Pol. in Gallieno cap. 9.*

8. In tanta Romani Imperii vaſtatione, ac provinciarum luctu, quaſi cuncta ſibi proſpere ceſſiſſent, Imperii ſui Decennalia inſigni apparatu, ac pompa Gallienus hoc anno Romæ celebravit. Medius ergo inter togatos Patres, & equeſtrem ordinem, atque albatos milites, cum picta & ipſe toga, & tunica palmata, omnibus Sacerdotibus prætextatis, cunctoque populo præeunte cum cereis, facibus, atque lampadibus, Capitolium aſcendit: quem etiam comitabantur centum albi boves cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes, agnæ candentes ducentæ, decem Elephanti, mille ducenti gladiatores auratis veſtibus ornati, manſuetæ feræ diverſi generis ducentæ, ornatu quammaximo affectæ, Carpenta cum mimis, & omni genere Hiſtrionum, quorum ſtrepitu, ludis, & plauſu viæ omnes perſonabant. Ibant præterea gentes ſimulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Perſæ, itaut non minus quam ducenti ſingulis globis ducerentur. Inter hæc accidit, ut quidam ſcurræ inter fictos

Per-

Jesu Chr. an. 262.

Perſas diligentiſſime aliquid ſe inquirere ſimularent : interrogati vero, quid quærerent, reſponderunt : Patrem Imperatoris ; quare in tragœdiam ſcena repente converſa eſt, nam eos Gallienus, igni traditos, morte multavit. Sed de his, aliiſque ab eodem vel in Decennalium celebritate, vel hoc labente anno geſtis conſulantur Auguſteæ hiſtoriæ ſcriptores.

JESU CHRISTI AN. 263. DIONYSII PAPÆ 5.
GALLIENI IMP. 2.
COSS. M. NUMMIO ALBINO 2., ET MAXIMO DEXTERO.
OLYMPIAD. 260. AN. 3. URBIS AN. 1016.

Chriſtianorum ſcelera tempore incurſionis Barbarorum.

1. Cum innumeras ſtrages Schytæ, & Gothi Aſiam, Pontique provincias pervagantes, hoc tempore ediderint, illud præ ceteris luctuoſum Chriſtianis accidit, quod quamplurimæ puellæ ingenuæ, nobileſve Matronæ in captivitatem ductæ, ac Barbarorum ludibrio traditæ, virginitatis, pudoriſque jacturam fecerunt. Deteſtabilia autem hæc inde evenerunt, quod Chriſtianorum nonnulli Scithis, Gothiſque ſociati, eorum cædibus, ac direptionibus participarunt. Quamobrem cum Epiſcopus quidam, cujus nomen, & ſedem ignoramus, Gregorium Thaumaturgum conſuluiſſet, qua ratione agendum cum iis eſſet, quæ jacturam pudoris fecerant, vel qui Scytharum more res alienas invaſerant ; ut eidem ſatisfaceret Gregorius, epiſtolam dedit, qua, pro criminum varietate, varias quoque pœnitentiæ regulas ſervandas eſſe præſcribit. Atque illud imprimis admonet, nulla culpa teneri, qui in captivitate conſtituti ea comediſſent, quæ ipſis eſſent a domino appoſita ad veſcendum, cum ſcribat Apoſtolus : *Eſcæ ventri, & venter eſcis ; Deus autem & hunc, & has deſtruet*. Porro feminas, quæ ante injurias ſibi a Barbaris illatas in continentia vixiſſent, a communione nequaquam rejiciendas judicat, quod veroſimile ſit vim paſſas fuiſſe : ſecus vero, cum iis agendum, neque ita facile cum ipſis communicandum, quæ ante captivitatem incontinenter ſeſe geſſiſſe conſtaret. Qui autem incurſionis tempore, lucri occaſionem adventaſſe exiſtimantes, alienarum rerum raptores, detentoreſque probabantur, excommunicatione plectendos omnino cenſet : parique pœna multandos, qui ſe ipſos decipientes, pro rebus ſuis, quæ perierant, aliena rapuerunt ; *ut quoniam Boradi, & Go-*

Biblioth. PP. to. 3. pag. 316.

Gregorii Thaumat. epiſt Canonica.

1. Cor. 6.

Raptores, detentoreſque rei alienæ excommunicatione plectendi.

& Gothi eis hoſtilia fecerunt, ipſi ſint aliis Boradi, & Gothi. Præterea Euphroſynum ad eos miſit, ut pro criminum diverſitate, quid ſingulis expediret, ſtatueret. Severiori tamen præceteris animadverſione eos plectendos juſſit, qui eo inhumanitatis pervenerant, ut captivos aliquos, qui fugerant, vi retinuerant, vel qui Barbaris viam neſcientibus oſtenderant. Neque iſtos audire præcepit, donec congregatis in unum Epiſcopis, aliquid de eorumdem reconciliatione communiter decerneretur. Qui alienas domos invaſerant, ſi delati convicti fuiſſent, nec auditione dignos decrevit; ſin autem ſe ipſos ſponte accuſarent, & ablata reddidiſſent, ad Subſtratorum ordinem delegari. Qui vero in campo aliquid invenerant, vel in ſuis ædibus a Barbaris relictum retinerent, de eo accuſati pariter, & convicti, ipſi quoque ſubſternerentur; ſecus ſi ſponte res alienas reddiderant, nam tunc precibus, & communione dignos cenſet; ita tamen, ut nil pro cuſtodia, vel inventione peterent, aut quacumque ratione exigerent.

Pœnitentium varii ordines.

2. Ad hæc de pœnitentium ordine, variiſque gradibus ita mandavit: *Fletus, ſeu luctus eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam, ubi oportet, eum, qui peccavit, ſtare poſt Catechumenos, & cum Catechumenis etiam illinc egredi. Subjectio autem, ſeu ſubſtratio eſt, ut intra Templi portam ſtans, cum Catechumenis ingrediatur. Congregatio, ſeu conſiſtentia eſt, ut cum Fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio Sacramentorum*. Hucuſque Gregorii Thaumaturgi epiſtola canonica, qua, pro peccatorum diverſitate, diverſos pœnitentiæ gradus diſtinguit, ac in quatuor claſſes diſtribuit, Flentium ſcilicet, Audientium, Subſtratorum, & Conſiſtentium. Eadem prorſus habet Baſilius: *Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ: ſecundo autem ad auditionem admitti; tertio admitti ad pœnitentiam; quarto ad congregationem, ſeu conſiſtentiam cum populo abſtinentes ab oblatione*. Ceterum his quatuor nonnulli quintum pœnitentium genus addidere, eorum nempe, qui exacto pœnitentiæ curriculo reconciliationis tempus expectabant, quem gradum *Impletionem* dictum fuiſſe Cavens ſcribit. Nulla tamen occurrit ratio, aut veterum auctoritas, cur hunc quintum gradum admittamus, aut cur ii, qui reconciliationis tempus expectabant, a Conſiſtentibus diſtin-

Baſil. epiſt. Ad Amphyl. 199.

Bellarm. de pœnit. lib. 1. cap. 22.

Caveus prim. Chriſt. lib. 1. cap. 8.

JESU CHR. AN. 263.

ſtinguamus; cum præcipue quintum pœnitentiæ gradum Gregorius Thaumaturgus, Baſilius, ceterique Patres ignoraverint.

De quatuor pœnitentiæ gradibus.

3. Extra portam Oratorii ſub dio, vel ſub porticu ſtabant flentes, lugubri veſte induti, cinere, & cilicio ſordidati, ingredientiumque orationibus ſe ipſos commendantes, quos propterea Tertullianus Fidelibus adgeniculari ajebat. De tempore vero inquit Baſilius: *Debet quatuor annis deflere, ſtans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes orans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuncians.* Horum illuſtre exemplum exhibet Hieronymus in Fabiola, quæ, proprio viro ob adulterium dimiſſo, cum alteri nupſiſſet, poſt ſecundi mariti obitum publicam pœnitentiam egit: *Quis hoc crederet, ut, poſt mortem ſecundi viri, in ſemetipſam reverſa ...: ſaccum indueret, & errorem publice fateretur, &, tota Urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani ſtaret in ordine pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? Quæ peccata fletus iſte non purget? ...... diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os, non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra Caſtra cum Maria ſorore Moiſi ſeparata conſedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret. Faciem, per quam ſecundo viro placuerat, verberabat &c.* Huic ſimile eſt Natalis aliud, qui poſt præclaram fidei confeſſionem, cum ad Theodoſianos hæreticos, lucri ſpe illectus, tranſiiſſet, tandem facti pœnitens ad Eccleſiam rediit, & diluculo conſurgens, ut refert Euſebius, ſaccum induit, ac cinere conſperſus cum lacrymis, & precibus ad pedes Zephyrini Pontificis ſeſe objecit, non ſolum Cleri, verum etiam ſecularium veſtigiis advolutus, oſtenſis etiam plagarum vibicibus, quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, uſquedum ad communionem admitteretur.

Baſil. epiſt. ad Amphil. can. 56. DeFlentibus. *Hieron. de Occan. epiſt. 77.* *Euſeb. lib. 5. 28.*

De Audientibus.

4. Audientes intra Templum quidem, ſed in extrema parte, ſeu veſtibulo ſtantes, Scripturarum lectionibus, aut concionibus adſtabant, quo loco cuique Eccleſia patebat: *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam*, ait Carthaginenſe Concilium, *& audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum.* Eadem itaque erat conditio Audientium, ac eorum, qui fidei rudimenta ignorabant; etenim qui poſt baptiſmum flagitiis ſeſe mortiferis obſtrinxiſſent, divinorum præceptorum, atque myſte-

Euſeb. lib. 5. 28. *Conc. Carthag. 4. can. 84.*

Digitized by Google

myſteriorum cognitione inſtructos ſatis non fuiſſe, judicabat Eccleſia; quos ideo lectionibus, concionibuſque adeſſe jubebat, ut iterum evangelica præcepta ediſcerent; ac poſt Scripturarum lectiones, aut Epiſcopi homiliam, eccleſia pellebantur: *Tot annos in auditione permaneant, ſola Doctorum, & Scripturarum auditione digni*, ait Niſſenus. Baſilius vero: *Alio triennio ad ſolam audientiam admittatur, & Scripturam, & doctrinam audiens, ejiciatur, precatione indignus cenſeatur.*

Nyſſ. epiſt. ad Epiſcopum Melitenſem. Baſil. ad Amphil. epiſt. can. 75.

5. Tertius pœnitentiæ gradus ſubſtratorum erat: *Subjectio autem, ſive ſubſtratio eſt, ut intra templi portam ſtans cum catechumenis ingrediatur.* Subſtrati ideo dicti, quia Epiſcoporum manibus ſæpe ſubmittebantur, ut manuum impoſitione, & orationibus pœnitentiam acciperent, manuum quippe impoſitioni oratio ſemper adjungebatur: *Quid eſt aliud impoſitio manuum*, ajebat Auguſtinus, *quam oratio ſuper hominem?* Toto ſubſtrationis tempore, quod plurium annorum utplurimum erat, pœnitentibus manus imponebantur: *ut omni tempore jejunii manus pœnitentibus a ſacerdotibus imponatur*, ait Carthaginenſe Concilium IV. canone 80. Et Felix III. Romanus Pontifex de laicis, qui ſe rebaptizari paſſi fuerant: *Tribus annis, inter audientes ſint; ſeptem autem anni ſubjaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum*; & infra: *Quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione detentis, reddenda communio eſt.* Subſtratorum locus in eccleſia inter Audientes, & Fideles medius erat, uſque ad ambonem, iique poſt lectiones Scripturarum, manuumque impoſitionem, eccleſia quoque ejiciebantur. *Poſtquam exierint catechumeni*, inquit Laodicena Synodus can. 19., *eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem, & cum ii ſub manum acceſſerint, & receſſerint; fidelium preces ſic ter fieri &c.* Quamdiu autem ſubſtratorum numero detinebantur, variis pœnitentiæ operibus exercebantur; cinere namque non ſolum aſperſi, ac cilicio induti incedebant, ſed & a corporis cura abſtinebant, a balneis ſcilicet, conviviis, ludis, aliiſque oblectationibus. Nuptias etiam eo tempore celebrare vetitum erat, quin & conjugali fungi licentia, ut orationibus, piiſque operibus vacare poſſent.

De Subſtratis.

Aug. de baptiſm. contra Donat. lib. 3. 16.

Concil. tom. 2. p. 1206. epiſt. 7. tom. 4. pag. 1076.

6. Quartus, & ultimus pœnitentium gradus Conſiſtentium, ſeu ſtantium erat, qui propterea ita dicebantur; quia *Congregatio, ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum*

De Stantibus, ſeu Conſiſtentibus.

JESU CHR. AN. 263. *cum catechumenis non egrediatur*, teſte Gregorio Thaumaturgo. Precibus itaque & ſacrificio una cum Fidelibus in eccleſia ſupra ambonem, ad Sanctuarium propius, adſtabant, precum tantum ſocietate participes; ab oblatione tamen, & Euchariſtia abſtinebant: quo ſenſu illud Concilii Ancyrani intelligendum eſt: *Tertio anno communicent ſine oblatione*. Nicenus vero canon 11. *duobus annis*, ait, *ſine oblatione populo in oratione communicent*. Et Felix Romanus Pontifex *duobus annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſæcularibus in oratione communicent*. Variis porro de cauſis in ejuſmodi claſſem detrudebantur Fideles, ii ſcilicet, qui peractis jam aliis tribus, vel duobus pœnitentiæ gradibus ad conſiſtentiam tranſibant, tum ii, qui in levioribus peccaverant, de quibus Illiberitano canone legitur: *Si quis in civitate poſitus tres dominicas ad eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat*. Et canone 79. eadem ſtatione ii expiari jubentur, qui alea luſerint; idemque aliis de culpis levioribus alibi ſtatuitur. Aliquando etiam ſtatim inter Conſiſtentes admittebantur graviorum criminum rei, qui ea ſponte confeſſi, ſe quammaxime dolere, non dubia præferebant indicia: *Si ſe ipſos enunciaverint*, ait Gregorius Thaumaturgus in ſupracitata epiſtola, *& reddiderint, etiam precibus digni habeantur*. Idem conſtat ex Baſilii epiſtola: *Qui furatus eſt*, inquit, *ſi ſponte pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, per annum a ſola Sacramentorum communione arcebitur*, id eſt, inter Conſiſtentes ſtabit: de quibus & alia extant exempla. Sed & nuptæ mulieres adulterio pollutæ Conſiſtentibus accenſebantur, ne fletibus, aut ſubſtrationi addictæ in adulterii ſuſpicionem venirent; eaque de cauſa a maritis plus juſto vexarentur, aut in vitæ diſcrimen adducerentur. *Adulterio pollutas mulieres*, ait Baſilius, *& confitentes, ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*. Tandem in Conſiſtentium claſſem ii rejiciebantur, qui poſt peractam publicam pœnitentiam rurſus in peccata delabebantur, non quidem graviora, ſeu canonica, quibus ad agendam publice pœnitentiam ultra locus non erat, ſed in peccata leviora: de quibus hæc Siricius Pontifex ad Himerium Tarraconenſem ſcribens: *De his vero non incongrue dilectio tua Apoſtolicam Sedem credi-*

Can. Ancyr. 4. 5.
Can. Nicen. 11. 12.
Can. 21. 79.
Siric. epiſt. apud Coutan. pag.

credidit conſulendum, qui acta pœnitentia, tamquam canes, ac ſues, ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt, de quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; ac Dominicæ menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtinctione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Hæc Siricius obſcœnarum voluptatum reos dicens eos, qui peracta pœnitentia, aut nova conjugia inierant, aut procreandis liberis cum uxore operam dederant, quibus ob ſuſceptam pœnitentiam renunciaverant, ſicuti & militiæ cingulo. At de publicæ pœnitentiæ gradibus jam ſatis.

7. Omni quidem tempore nonniſi per pœnitentiam peccatores Deo reconciliatos fuiſſe, vel ipſa naturalis ratio demonſtrat, ac utriuſque Teſtamenti Scripturæ confirmant. Hinc ajebat Chriſtus: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Et iterum: *Pœnitentiam agite: Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Verum tempus, & ratio, qua id a quoque peragi oporteret, Epiſcoporum prudentiæ, & arbitrio relictum hactenus fuerat. Hoc tempore tamen, & poſt Novatiani ſchiſma, ut a viris doctis adnotatum eſt, ordo quidam ab iis, qui ad agendam pœnitentiam admittebantur, ſervandus inventus eſt, ac quatuor Pœnitentium claſſes conſtitutæ, quarum Gregorius Thaumaturgus omnium primus meminit, ut ſupra diximus. Ex Apoſtolica vero traditione luctuoſam, laborioſamque pœnitentiam deſcendiſſe, vix dubitari poteſt; in antiquiſſimis enim Scriptoribus, Apoſtolorum ætati proximis, veſtigia occurrunt. Ac in primis aliqualem publicæ pœnitentiæ imaginem in Apoſtolo Paulo nonnulli agnoſcunt, dum inceſtuoſum Corinthium Satanæ tradidit in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret: poſt annum vero liberavit, *ne abundantiori triſtitia abſorberetur*; *quapropter*, ait Apoſtolus, *obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem*. Hæc tamen pœna, Corinthio ab Apoſtolo inflicta, extraordinaria potius fuit, neque ad ceteros Eccleſiæ miniſtros permanavit. Ad rem propius eſt Joannis Apoſtoli exemplum, qui, ut refert Euſebius, juvenem quemdam cædi-

De publicæ pœnitentiæ origine.

Bona rerum Liturg. lib. 1. 17.

Morin. de pœnit. lib. 6. 4.

Ad Corinth. 2. 2.

Euſeb. lib. 3. 23.

JESU CHR. AN. 263. cædibus, rapinis, aliiſque criminibus irretitum, Chriſto, & Eccleſiæ reconciliavit: *exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum juvene jejuniis, ſimul decertans, non prius abſceſſit, quam illum Eccleſiæ reſtituiſſet.*

Illuſtria pœnitentiæ exempla. *Tertull. de pud. cap. 1.* 8. Illuſtriora publicæ pœnitentiæ exempla ſeculo ſecundo, & tertio occurrunt. In horum numero Zephyrini Romani Pontificis edictum, quod dicacitate ſua ſugillat Tertullianus Montaniſta, eo quod mœchos, & fornicatores poſt peractam pœnitentiam ad pacem, & communionem admittendos eſſe ſanxiſſet: *Audio etiam edictum propoſitum eſſe, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego mœchiæ, & fornicationis pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui aſcribi non poterit bonum factum!* His verbis Zephyrinum notaſſe, alia ejuſdem libri verba indicant, quibus eam dimittendi peccata poteſtatem nequidem *Cap. 21.* Petro datam fuiſſe ſcribit: *Exhibe igitur & nunc mihi, Apoſtolice, prophetica exempla. Si quia dixerit Petro Dominus ſuper hanc petram .... idcirco præſumis ad te derivare ſolvendi, & alligandi poteſtatem.* Zephyrini itaque ætate mœchis, & fornicatoribus publicam, ſeverioremque pœnitentiam impoſitam fuiſſe, conſtat, ut cum Eccleſia reconciliari poſſent, quam indulgentiam Idololatris, aut homicidis negabat Eccle- *Tertull. de pud. cap. 5.* ſia Romana, ſi vera Tertullianus refert, dum addit: *Quid agis molliſſima, & humaniſſima diſciplina? Idololatram quidem, & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio* *Cap. 9.* *excipis?* Hæc Tertullianus, qui mœchos, æque ac idololatras, aut homicidas ad pœnitentiam admittendos non eſſe, ex Montaniſtarum canone cenſebat; unde ajebat: *Hinc eſt, quod neque idololatriæ, neque ſanguinis pax ab Eccleſia redditur.* Aliud publicæ pœnitentiæ exemplum, & quidem ad mortem uſque *Iren. de hær. lib. 1. 9.* peractæ nobis exhibet Irenæus in quibuſdam mulieribus, a Marco hæretico, & mago ſeductis, *quæ ſæpiſſime converſæ*, ut ait, *ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo velut cupidine, & inflammatas*; uti Diaconi cujuſdam uxori præcipue accidit, quæ *cum & ſententia, & corpore corrupta eſſet a mago iſto, & ſequuta eum eſſet multo tempore*; tandem converſa, *omne tempus in exomologeſi conſumavit*, ideſt, uſque ad mortem in publica pœnitentia perſeveravit.

De peccatis, quibus publica pœnitentia imponebatur. 9. Cum multifarie peccata diſtinguantur, in publica ſcili-

ſcilicet, & occulta, in lethalia ſeu gravia, & levia vel venialia, quænam publica expiarentur pœnitentia, nunc eſt inquirendum. Ac primo pro levibus ſeu venialibus, ſine quibus humana vita, tot tentationibus obnoxia, eſſe non poteſt, certum exploratumque eſt, publicam pœnitentiam nunquam fuiſſe impoſitam; quod piis operibus, orationibus ſcilicet, & eleemoſynis facile expientur. Pro lethalibus itaque tantum, quæ & mortalia dicimus, publica, & luctuoſa pœnitentia ſubeunda. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici*, ait Baſilius, *de gradu dejiciantur*. Et Pacianus in Paræneſi, *iſta*, inquit, *ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia*. Inter mortalia vero idololatria, homicidium, & fornicatio præcipue numerata ſunt, utpote Apoſtolorum præcepto adverſantia, de quibus hæc in Actibus habentur: *Placuit Spiritui ſancto, & nobis, nil aliud vobis oneris imponere, quam ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum, a ſanguine, & fornicatione*. Unde Tertullianus: *Cum primum innotuit Evangelium, & vetera concuſſit, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus ſancti Apoſtoli emittunt ... viſum eſt &c. ... ſufficit & hic ſervatum eſſe mœchiæ, & fornicationi locum honoris ſui, inter idololatriam, & homicidium; interdictum enim ſanguinis multo magis humani intelligemus. Porro qualia videri volunt Apoſtoli crimina, quæ ſola in obſervatione de lege priſtina excerpunt*. Et capite quinto: *Adſiſtit Idololatres, adſiſtit homicida in medio, in medio eorum adſiſtit & mœchus, pariter de pœnitentiæ officio ſedent, in ſacco, & cinere inhorreſcunt, eodem fletu gemiſcunt, iiſdem precibus ambiunt, iiſdem genibus exorant, eamdem invocant matrem*. Pacianus vero: *Quid vero faciet contemptor Dei?* ideſt idololatra; *quid aget ſanguinarius?* homicida ſcilicet; *quod remedium capiet fornicator? iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia*. Id tandem, ut ſtylo parcamus, ubique confirmant tum Eccleſiæ canones, cum Sancti Patres Gregorius Thaumaturgus, & Niſſenus, Baſilius, aliique.

JESU CHR. AN. 263.

Baſil. epiſt. canon. cap. 32.

10. Tanta ſeveritate adverſus horum criminum reos actum eſt, ut aliquando, vel uſque ad obitum pœnitentia prorogaretur, vel etiam in vitæ exitu pax & communio denegaretur. Eliberitani Patres audiantur: *Placuit, ut quicumque poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum Idoli idololatrurus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale, nec in fine eum communionem accipere*. In homicidas pariter, & adul-

Graviorum criminum reis communio in obitu etiam negata.

Concil. Eliberit. can. 1. 6. & 7.

Jesu Chr. An. 263. adulteros eadem ſtatuunt canone ſexto, & ſeptimo. In Africanis vero Eccleſiis ante Cypriani ætatem, eumdem diſciplinæ rigorem ſervatum fuiſſe, teſtis eſt Cyprianus: *Apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*. Cenſuræ rigorem aliquatenus Cyprianus temperavit, atque iis tantum in finem negandam eſſe communionem juſſit, qui dum viverent pœnitentiam agere recuſaverant: *Idcirco*, inquit eadem epiſtola, *frater cariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos, non delicti pœnitentiæ, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. Nec mollior Ambroſius fuit, qui virginem lapſam ſic compellat: *Inhære pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari; decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit*. Eadem Ancyrani canones confirmant. Canon vero ultimus Arelatenſis Concilii an. 314. habiti, hæc continet de iis, qui Fidem chriſtianam ejuraverant: *Si infirmitate correpti petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ*. Id tandem ex epiſtola Innocentii I. Romani Pontificis ad Exuperium Toloſanum conſtat, qua interrogatus: *Quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt*; hæc adnotat: *De his obſervatio prior durior, poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur*. Durioris iſtius diſciplinæ ſubjungit rationem: *nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporatio*. De poſteriori, & inclinatiori diſciplina ſubdit: *Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini miſericor-*

Cypr. epiſt. 55.

Ambroſ. ad Virgin. lapſ. cap. 8.

Innoc. epiſt. 3. cap. 2. Apud Coutan. pag. 792.

cordiam, quaſi viaticum profecturis; & ne Novatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tandem quæſtionem his verbis definit: *Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur*.

11. An autem iis, quibus pax, & communio, inſtante morte, negabatur, iiſdem & abſolutio a peccatis denegaretur, in obſcuro eſt, ac inter ſe diſſident eruditi. Ea nihilominus veroſimilior ſententia nobis videtur, quam Natalis Alexander, aliique propugnant; ut qui ſcilicet pacem, & communionem non promerebantur, nec abſolutionem a peccatis conſequerentur: quod pluribus argumentis, rationibuſque idem Alexander confirmat. Nec tamen hujuſcemodi diſciplinæ ſectatores Montaniſtis, aut Novatianis accenſendi ſunt; cum *non deſperatione indulgentiæ*, ut ait Auguſtinus, *ſed rigore diſciplinæ*, in exitu etiam pacem, & communionem negarent: de quibus plura apud Albaſpinæum, Bonam, & Beveregium videri poſſunt.

An & abſolutio a peccatis aliquando denegaretur.

Nat. Alex. ſecul. 3. diſſert. 6.
Auguſt. epiſt. 50.
Albaſpin. obſervat. lib. 2. cap. 21.
Bon. Liturg. lib. 1. cap. 12. num. 3.
Bevereg. In can. 8. Concil. Nicen.

12. Ceterum hic diſciplinæ rigor, qui Montaniſmum pene, aut Novatianiſmum redolebat, neque ſemper, neque ubique ſervatus fuit: quin, niſi noſtra nos fallit opinio, in præcipuis, & Apoſtolicis Eccleſiis, Romana ſcilicet, Alexandrina, & Antiochena, mitior ut plurimum diſciplina viguit. De Romana certe id ex Zephyrini Pontificis geſtis patet, qui Natalem ex Theodoſiana hæreſi reverſum Eccleſiæ reconciliaverat: qui Moechos, & Fornicatores, poſt peractam pœnitentiam, ad communionem admittebat: & cujus propterea indulgentiam Tertullianus Montaniſta carpebat his verbis: *Audio, edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego moechiæ, & fornicationi pœnitentia functis dimitto*. Eamdem indulgentiam morituris tribuendam eſſe Romanus Clerus, Sede poſt Fabianum vacante, ſtatuit, prout ex epiſtola ad Cyprianum de pace in exitu non deneganda iis, qui perſecutionis cauſâ lapſi fuerant, data fuſius patet: quam quidem opinionem, Romanæ Eccleſiæ exemplo, Cyprianus ipſe retinendam cenſuit. Irenæus quoque, mulieres non ſolum hæreſi, ſed & adulteriis, fornicationibuſque diu, multumque pollutas, poſt pœnitentiam, & in exitu vitæ reconciliatas fuiſſe, ac communio-

Apoſtolicæ Eccleſiæ lapſis pœnitentiam nunquam denegarunt.

Euſeb. lib. 3. 28.
Tertull. de pudic. cap. 1.
Cypr. epiſt. 8. & 30.
Iren. lib. 1. cap. 9.

Jesu Chr. an. 263.

Euſeb. lib. 6. 36.

munioni receptas, prodit. In Alexandrina etiam Eccleſia non abſimilem viguiſſe diſciplinam, teſtis eſt Dionyſius in epiſtola ad Fabium, qua Serapionis hiſtoriam inſerens addit: *Quoniam a me mandatum dabatur, ut qui jam eſſent vita migraturi, ſanctorum Myſteriorum, dummodo peterent, & vel maxime ſi antea, dum integra valetudine erant, ſupplices petiviſſent, participes fierent; ſicque cum pace dimiſſi, & bona ſpe confirmati, ex hac vita decederent.* Hæc Dionyſius: quibus teſtatur, Idololatras etiam, pœnitentia peracta, vel inſtante morte, cum Eccleſia reconciliatos fuiſſe.

Alia delicta pœnitentia publica expiata.

Morin. de pœnit. lib. 5. cap. 4. & ſeq.
Greg. Thaumat. epiſt. canon.
Baſil. cap. 61.
Elibers. can. 73. 74.
Aug. de fide, & Sym. ad Catbec. cap. 6. 7. hom. 27. hom. 50.

13. Etſi porro tria peccatorum genera, Idololatria ſcilicet, homicidium, & moechia luctuoſæ pœnitentiæ operibus potiſſimum expiarentur; non raro tamen contingebat, ut pro aliis quoque criminibus publica imponeretur pœnitentia. Hinc Gregorius Thaumaturgus ab Eccleſia Dei eos ejiciendos cenſet, *qui aliena propter turpe lucrum attingunt*. Baſilius vero fures, ſponte confeſſos, per annum a Sacramentorum communione, vel convictos biennio repellit. Sic Eliberitani Patres falſos teſtes, & delatores publicæ pœnitentiæ addicunt. Quin Auguſtinus peccata, quæ, Apoſtolo teſte, a Regno Dei excludunt, eiſdem legibus expianda cenſet; hortaturque populum, ut quocumque crimine quiſquis ſe reum eſſe noverit, pœnitentiam peragat: quod & aliis locis inculcat, dum pœnitentiam ſæpe trifariam diſtinguit; in eam ſcilicet ante baptiſmum, in quotidianam pro levioribus, & quotidianis peccatis, & in publicam, quæ pro gravioribus peragebatur: *Tres ſunt*, inquit Auguſtinus homilia quinquageſima, *actiones pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recognoſcet. Sunt enim uſitatæ in Eccleſia Dei, & diligenter attendentibus notæ. Una eſt, quæ novum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum. Altera vero pœnitentia eſt, cujus actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt. Tertia actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt.* Itaque, teſte Auguſtino, non ſolum idololatris, homicidis, aut adulteris publica perſolvenda pœnitentia erat; ſed & aliis graviorum criminum reis. Unde cum opera carnis, quorum Apoſtolus meminit, recenſuiſſet, ſubdit: *Judicet*

Ad Galat. cap. 5.

cet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur, & cum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur..., & a Præpoſitis accipiat ſatisfactionis ſuæ modum; ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat; non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Hæc Auguſtinus: quibus conſtat, graviorum reos ſcelerum publicæ pœnitentiæ legibus ut plurimum fuiſſe obligatos. Et licet Natalis Alexander capitalia tantum crimina, idololatriam ſcilicet, homicidium, & moechiam publicæ pœnitentiæ ſubjecta eſſe ſcribat; cetera nihilominus ex his tribus, tamquam fontibus, profluxiſſe tradit.

Jesu Chr. an. 263.

Nat. Alex. ſec. 3. diſſer. 6.

14. An & occulta crimina ſponte confeſſa publica expiarentur pœnitentia, in controverſiam venit. Quamplurimi ſane in ea ſunt opinione, ut publica tantum publicæ pœnitentiæ legibus ſubjicerentur; occulta vero privatæ. Quin tamen eorum ſententiæ ſubſcribamus, multa quidem, eaque certiſſima antiquitatis monumenta, & exempla obſtant, ut a Morino, Natali Alexandro, Albaſpineo, aliiſque adnotatum eſt. Id porro inter manifeſta, & occulta flagitia diſcriminis erat, quod qui publice peccaverat, invitus etiam eccleſia pellebatur, uſquedum pœnitentiæ operibus ſatisfeciſſet: qui vero occultis criminibus ſeſe polluerat, nonniſi volens, pœnitentiæ publicæ addicebatur; cum nemo ad eam, niſi aut facti notorietate convictus, aut ſponte confeſſus, cogeretur. Hinc Auguſtinus occultos etiam reos hortatur, ut ſponte apud Antiſtites peccata ſua confeſſi, pro eorum gravitate, vel privatim, vel publice veniam poſtularent; neminem quippe a communione prohibere poſſumus, ajebat, niſi *aut ſponte confeſſum*, cum occultum eſſet crimen, *aut aliquo ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum*. Baſilius quoque mulieres occulto adulterio inquinatas, *aut pro pietate confitentes, aut quomodocumque convictas* ſine communione, donec impleretur tempus pœnitentiæ, ſtare ad Conſiſtentium claſſem delegat. Idem denique de occultis peccatoribus, deque virgini-

An peccatis occultis pœnitentia publica imponeretur.

Baren an. 56. Bellarm. de pœnit. lib. 1. 21. Morin. de pœnit. lib. 2. c. 9. & ſeq. lib. 5. 8. 9. Nat. Alex. ut ſup. Albaſpin. de antiq. Eccleſ. diſcipl. lib. 2. obſerv. 5., & 19.

JESU CHR. AN. 263.

ginibus fornicatione pollutis decernunt, Ambroſius, Innocentius Papa primus, S. Leo M., aliique Eccleſiæ Doctores.

Ambroſ. de pœnit. lib. 1. 16.
Innoc. epiſt. 2. cap. 12.
Leo epiſt. ad Ruſticum & ad Epiſc. Campaniæ.
Clerici publicæ pœnitentiæ uſque ad ſeculum quartum addicti.
Can. 76.

15. Clericos etiam publicæ pœnitentiæ, uſque ad ſeculum Eccleſiæ quartum fuiſſe ſubjectos, veterum teſtimonia confirmant. Hæc enim ab Illiberitana Synodo ſtatuta leguntur: *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit*, antequam ordinaretur, quod tunc occultum erat; *ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere communionem. Quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere*, ideſt, a Diaconatus officio perpetuo abjiciatur, &, peracta pœnitentia, cum laicis communicet: quo canone probatur in occulta etiam crimina, ſive ſponte confeſſa, ſive ab aliis detecta, fuiſſe animadverſum. Neoceſarienſis vero Concilii canonibus hic prior ordine occurrit: *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur; ſi autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur*, Presbyter quidem erat Natalis, qui ad Zephyrini Pontificis pedes advolutus, pœnitentiam petiit, ut narrat Euſebius. Presbyter erat Trophimus, quem Cyprianus in epiſtola ad Antonianum meminit, & Cornelius Romanus Pontifex poſt pœnitentiam ad laicam communionem relegaverat. Presbyter & Victor, cui, nondum plena pœnitentia peracta, præpoſteram communionem, & pacem reddiderat Therapius Epiſcopus, ut Cyprianus teſtatur. Idem conſtat ex altera Cypriani epiſtola, qua de Baſilidis, & Martialis Epiſcoporum pœnitentia agit. Epiſcopus tandem erat is, qui Novatianum ordinaverat, quique, ut refert Cornelius Papa, *ad Eccleſiam rediit, delictum cum lamentis, ac fletibus confitens*. Presbyter erat Apollinaris, quem una cum filio clerico ejectum, teſte Sozomeno, *aliquanto poſt tempore, cum in lacrymis pœnitentiam egiſſent, Theodotus eos denuo recepit*. Epiſcopus erat Potamius Bracharenſis Eccleſiæ præpoſitus, qui coram Synodo Toletana occultam fornicationem confeſſus, perpetuæ pœnitentiæ addictus fuit, ſervato tamen honoris gradu: *Tunc per fidelem confeſſionem ejus agnito, quod tactu fœmineo ſorduiſſet, & declarato, licet hunc paterna antiquitas ſacris regulis dejicere ab honore decernat; nos tamen miſerationis jura ſervantes, non abſtulimus nomen honoris, ſed valida auctoritate decrevimus,*

Euſeb. lib. 5. 28.
Cypr. epiſt. 65.
Cypr. epiſt. 64.
Epiſt. 67.
Apud Euſeb. lib. 6. 43.
Sozom. hiſt. lib. 6. 15.
Synod. Tolet. 10.
Concil. tom. 6. pag. 468.

mus, perpetuæ pœnitentiâ hunc inſervire officiis, & ærumnis. Hactenus de Epiſcoporum, Presbyterorum, ceterorumque Clericorum pœnitentia antiquitus ſervata.

Jesu Chr. An. 263.

Poſt ſeculum IV. Clerici a publicæ pœnitentiæ operibus immunes redditi.

16. Ineunte tamen ſeculo quarto ſeveriorem de Clericorum pœnitentia diſciplinam mitigatam fuiſſe conſtat: ac ne duplici pœna Clericorum crimina plecterentur, ideſt dejectione gradus, & excommunicatione, mos invaluit, ſed ut officio tantum dejicerentur; ita tamen, ut pro criminis gravitate privatim pœnitentiam agerent, & aliquanto tempore a communione abſtinerent. Hinc ad Sabinianum diaconum, ſtupri reum, ſcribit Hieronymus, *ut ageret pœnitentiam, & in cilicio, & cinere volutaretur, ut ſolitudinem peteret, ut viveret in monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lacrymis imploraret*. Notiſſima quoque eſt Baſilii regula, qua Clericos a peragenda publica pœnitentia immunes facit: *Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de gradu quidem dejiciuntur, a laicorum autem communione non arcentur; non enim vindicabis bis in ipſum*. Baſilii ſententiæ Africani Patres in Concilio Carthaginenſi quinto ſubſcripſere: *Si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur*. Idemque Siricius Papa confirmat his verbis: *Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus aſſumere*. Hujuſmodi autem diſciplinam ab Apoſtolica traditione manaſſe, S. Leo in hæc verba teſtatur: *Sine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, quod Presbyteri, Diaconive inter pœnitentes non cenſeantur*.

Hier. epiſt. 48

Baſil. epiſt. ad Amphiloch.

Concil. tom. 2. can. 2.

Siric. epiſt. 1. cap. 14.

S. Leo ad Ruſt. epiſt. 167. edit. Baller.

An pluries pœnitentia publica ageretur.

17. Semel tantum Chriſtianos ad pœnitentiam publice peragendam admiſſos fuiſſe, multa ſuadent, multiſque argumentis Natalis Alexander confirmat. De unica pœnitentia clariſſima eſt Tertulliani ſententia: *Piget*, inquit, *ſecundæ*, poſt baptiſmum ſcilicet, quæ prima erat; *immo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem*. Et iterum: *Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat; ſed jam ſemel, quia jam ſecundo, ſed amplius nunquam, quia proxime fruſtra. Non enim & hoc ſemel ſatis eſt*: cujus diſciplinæ præclaras ibidem rationes affert. Auguſtinus vero in epi-

Natal. Alex. diſſ. 10. ſec. III.

Auguſt. epiſt. 153.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 263. ſtola ad Macedonium, inter plura: *Quamvis ergo caute, ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis; quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit*. Quia tamen peccatores in peccata relapſi ad pœnitentiam hortabantur, ut a Deo veniam promereri poſſent, hinc ſubdit: *Quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtrinxit, adhuc iterum parcis*. Denique de hujuſmodi pœnitentia non reiteranda inſpiciatur canon undecimus Toletanæ Synodi tertiæ, ut alia plurima prætereamus.

Hæretici ad pœnitentiam pluries admiſſi.

18. Quamvis ea, quæ hactenus diximus, vera ſint; contingebat tamen non ſemel, ut ad agendam pœnitentiam pluries quis reciperetur: quod præcipue in Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus accidiſſe novimus. Hinc de Cerdone ex Irenæo narrat Euſebius: *Cum ad Eccleſiam veniſſet*, Romanam ſcilicet, *& errorem ſuum confeſſus eſſet, ita deinceps perſeveravit, interdum occulte docens, interdum rurſus confitens errorem ſuum*. Idem de Marcione inquit Tertullianus: *conſtat illos, Antonini fere tempore, in Catholicam primo doctrinam credidiſſe, apud Eccleſiam Romanam, donec ſub epiſcopatu Eleutherii benedicti, ob inquietam eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum ejecti*. Semel itaque, & iterum ab Eccleſia ejecti æque ac recepti ſunt. Secundæ etiam pœnitentiæ meminit Siricius Pontifex ad Himerium ſcribens; ea tamen lege, ut uſque ad mortem inter Conſiſtentes perſeverarent, ad communionem in exitu tantum admittendi: *De iis*, inquit, *qui in capitale crimen iterum delabuntur, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut ſola intra eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, a Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſublevari. Quam formam & circa mulieres, qui ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus*. Ad eam quoque pœnitentium claſſem eos relegari jubet, qui poſt peractam pro gravioribus delictis pœnitentiam, ad ſeculi militiam, aut ad voluptates redibant, ideſt nova connubia inibant; quibus in exitu vitæ communionem dari permittit.

Euſeb. lib. 4. 11.

Tertull. de præſcrip. 30.

Siricii epiſt. ad Himer. apud Coutan. pag. 623.

19. Quan-

19. Quantalibet autem eſſet pœnitentiæ ſeveritas, in Epiſcoporum tamen arbitrio ſemper & ubique fuit, ut pro pœnitentium fervore, vel circumſtantiarum varietate rigorem temperarent, tempus minuerent, aut eos de inferiori gradu ad ſuperiorem, medio prætermiſſo; ex Flentium, exempli gratia, ad Conſiſtentium claſſem delegarent: *Quot quot metu, & lacrymis*, ait Nicæna Synodus canone 12., *atque patientia, & bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam non ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent; poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare*, ideſt, citius ad communionem admittere. Eamdem poteſtatem Epiſcopis tribuunt Ancirani Patres canone ſexto, Baſilius epiſtola ad Amphilochium, & Gregorius Nyſſenus ad Letojum Melitenſem Epiſcopum. Imminente etiam perſecutione lapſis, ante impletam ſatisfactionem, communionem datam fuiſſe, teſtis eſt Cyprianus in epiſtola ad Cornelium. Ob Martyrum vero preces, & libellos, indulgentiam quandoque pœnitentibus conceſſam fuiſſe compertum eſt. Tum etiam iis, qui poſt lapſum, iterum a perſecutoribus tentati, aut Chriſtum libere confeſſi fuerant, aut pro Chriſto extorres fiebant, de quibus agit Cyprianus, in epiſtola ad Caldonium. Diſciplinæ vero ſeveritas erga lapſos quandoque relaxabatur; cum ex eorum ſcilicet reconciliatione, aut imminens Eccleſiæ damnum, aut ſcandalum vitabatur, quæ ſchiſmata, aut hæreſes afferebant; aut ſpes erat, ut una cum lapſis alii plurimi ad Eccleſiam redirent. Hujus indulgentiæ rationes, & exempla refert Auguſtinus, & meminit etiam Cyprianus. His itaque, aliiſque de cauſis, quoties vel Eccleſiæ, vel lapſorum utilitas poſtularet, diſciplinæ rigor Epiſcoporum arbitrio temperabatur.

Epiſcopi quandoque ſeveritatem pœnitentiæ moderabantur.

Cypr. epiſt. 57.

Cypr. epiſt. 24. 25.

Cypr. epiſt. 49. & 55.

20. Quæri ſolet quo tempore, rituque pœnitentes abſolverentur pœnitentiæ curſu emenſo; num ſcilicet manuum impoſitione, cui frequenter ſubmittebantur, vel ſpeciali aliqua abſolutione. Petavius abſolutionem tunc iis datam fuiſſe tradit, cum ſubſtrationis tempore manus iiſdem ſæpe imponerentur. Morinus contra, & Natalis Alexander, nonniſi expleto pœnitentiæ curriculo, media tamen manuum impoſitione, probabilius cenſent. Certe Cyprianus: *Ad exomologeſim*, inquit, *veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri, jus communicationis accipiant*. Paria habet Optatus: *Dum manus impo-*

De pœnitentium reconciliatione, & abſolutione.

Petav. in Epiph. in hær. 252.

Morin. de pœnit. lib. 9. c. 2; Natal. Alex. ſec. 3. differt. 9.

Cypr. epiſt. 16.

Optatus contra Parmen. lib. 2.

Jesu Chr. an. 263.

impoſitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi Dominicam orationem prætermittere non poteſtis. Concinunt quoque canon 76. Concil. Carth. IV., 44. Agathenſis, & tertius Arauſicanæ Synodi. Cetera, quæ ad publicæ pœnitentiæ diſciplinam ſpectant, ne in immenſum Annales creſcant, eruditorum diſputationi relinquimus: pluraque de iis videri poterunt apud Mabillonium, Martenium, Albaſpineum, Natalem Alex., Morinum, & alios qui fuſe docteque in hoc argumento verſati ſunt.

Ord. Rom. apud Mabill. Marten. de antiq. Eccleſ. Diſcipl. Albaſpin. antiq. Eccl. diſcipl. Natal. Alex. ſec. III.

JESU CHRISTI AN. 264. DIONYSII PAPÆ 6.
GALLIENI IMPERATORIS 12.
COSS. GALLIENO AUG. VI., ET SATURNINO.
OLYMPIAD. 260. AN. 4. URBIS AN. 1017.

Odenatis victoria de Perſis: a Gallieno Imperio ſociatur. *Trebell. Pol. in duob. Gallienis cap. 10. & ſeq.*

1. *Gallieno, & Saturnino Conſulibus*, hocce nimirum anno, *Odenatus Rex Palmyrorum*, Trebellio teſte, *obtinuit totius Orientis Imperium: Niſibin, & Carras ſtatim occupat. Non defuit tamen reverentia Odenati circa Gallienum; nam captos Satrapas, inſultandi prope gratia, & oſtentandi ſui, ad eum miſit; qui cum Romam deducti eſſent, vincente Odenato, triumphavit Gallienus*. Qui, ut aliqualem gratiam referret, Valeriani fratris, Lucillique propinqui conſilio, *Odenatum, participato Imperio, Auguſtum vocavit, ejuſque monetam, qua Perſas captos traheret, cudi juſſit; quod & Senatus, & Urbs, & omnis ætas gratanter accepit*. Dignior quidem Imperio erat Odenatus, qui multis victoriis majeſtatem Imperii a Perſarum injuriis vindicaverat, & Valerianum a captivitate liberare tentaverat. Etenim cum Sapor, capto Valeriano Imperatore, extrema Romano Imperio minitaretur, nulluſque Romanorum ducum Sapori renitere auderet, Odenatus Palmyrenorum Princeps, ſi Pallioni fides, ſeu inter Palmyrenos primus, vel forte, quod Agathias tradit, Palmyrenorum obſcurus homo, *Saporis calamitatibus, & præclaris adverſus eum facinoribus, magnam ſibi gloriam comparavit*. Is, cum a primæva ætate belli tyrocinium venando feciſſet, poſt Valeriani captivitatem Legatos ad Saporem cum muneribus pro ejuſdem libertate obtinenda deſtinaverat. Sapor tamen, rebus proſpere geſtis elatus, lacerata Odenati epiſtola, munera in flumen projecit, Legatiſque mandavit Principi ſuo nunciare, ut, vinctis retro mani-

Agath. lib. 4. pag. 134.

manibus, ad ſe veniret. Qua injuria vehementer commotus, Perſis bellum intulit Odenatus, coactiſque ſuæ regionis hominibus, & Romanorum reliquiis, tanta felicitate uſus eſt, ut ſæpius Perſas fugaverit. Meſopotamia deinde, Niſibi, & Carras occupatis, Saporem inde exturbavit, denique Cteſiphontem progreſſus Saporis opes, & concubinas cum immenſa præda abduxit: quam Herodi filiorum maximo conceſſit, *paternæ indulgentiæ affectione permotus*. Poſt hæc, *aſſumpto nomine regali, cum uxore Zenobia, & filio majore, cui nomen erat Herodes, minoribus Herenniano, & Timolao, collecto exercitu contra Perſas profectus eſt*. Quæ cum Romam tum fama, cum Odenati epiſtola perlata eſſent, de Perſis hoc anno Gallienus triumphavit; ac Odenatum tot victoriis illuſtrem, deque Romano Imperio adeo benemeritum Imperio ſociavit.

Trebell. Poll. de 30. Tyran. 15.

De Zenobia Odenatis uxore, ejuſque religione.

2. Zenobiæ etiam Odenati uxoris, non minus venuſtate corporis, quam rerum agendarum peritia celeberrimæ, maxima cum laude meminit Trebellius, quam & Græcis litteris inſtructam fuiſſe ſcimus. Religione vero Judæam fuiſſe, indicat Athanaſius: *Zenobia Judæa erat, & protetrix Pauli Samoſateni, & tamen Judæis in Synagogas Eccleſias non tradidit*: ſed cum Chriſtianæ fidei addiſcendæ cauſa Paulum Samoſatenum Antiochenum Epiſcopum, de Chriſto abjecte nimis ſentientem, ac penitus judaizantem adſciviſſet; ejuſdem opera hæreſim didicit Samoſatenam. *Hic Chriſtum hominem*, ait Philaſtrius, *juſtum, non Deum verum prædicabat; Judaizans potius, qui & circumciſionem docebat. Unde & Zenobiam quondam Reginam in Oriente tunc temporis ipſe docuit judaizare*. Alii tamen, Artemonis hæreſim Paulum docuiſſe, tradunt, ut Zenobiæ judaizanti gratificaretur: *Paulus in Artemonis impegit hæreſim*, inquit Theodoritus, *ſe ea ratione Zenobiam ſibi conciliaturum exiſtimans, quæ idem cum Judæis ſentiebat, & illis favebat*. Sed ſive Paulus hæreſim Zenobiæ inſtillaverit, ſive contra Zenobia Pauli fidem corruperit; id ſane certum eſt, Paulum Samoſatenum, Antiochenum Epiſcopum, Artemonis hæreſim docuiſſe, ejuſque cauſa hoc anno Antiochenam Synodum celebratam fuiſſe: de qua antequam agamus, Pauli doctrinam, moreſque oportet paucis referre.

Porphy. in Vita Plotini.
Athan. epiſtol. ad Solit. tom. 1.
Philaſtr. hær. 17.
Theodorit. hæref. Fab. lib. 2.
Niceph. lib. 7.

De Pauli Samoſateni moribus.

3. Is itaque Samoſata ortus, antequam Antiochenus Epiſcopus circa annum 260. in Demetriani locum ordinaretur, *tum pauper, & mendicus eſſet*, verba ſunt Patrum Antiochenæ

Euſeb. lib. 7. 30.

JESU CHR. AN. 264.

næ Synodi, *nec ullas omnino facultates, aut a parentibus relictas accepiſſet, aut artis ullius exercitio comparaſſet, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit per ſcelera, ac ſacrilegia, fratrumque concuſſiones, lucrum inaniter captans, & pietatem quæſtum eſſe exiſtimans*. Superbia quoque inflatus, *Seculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari, quam Epiſcopus mavult; per forum magnifice incedens, epiſtolas legens, ac dictans inter ambulandum palam, & publice, ſtipatuſque hominum multitudine, partim præeuntium, partim ſubſequentium, adeo ut ex illius faſtu, & arrogantia incredibilis invidia, odiumque multorum adverſus fidem noſtram conflatum ſit*. Ducenarii vero dignitas, qua Paulus magis quam Epiſcopi gloriabatur, militaris æque, ac civilis erat; nam qui ducenos in acie milites ducebat, Ducenarius dicebatur: qui vero res publicas adminiſtrabant, procuratores. Ducenarii a numero pecuniæ nominabantur, quam eo munere accipiebant, ducentos ſcilicet denarios. Horum meminit Suetonius in Claudio: *Ornamenta conſularia etiam procuratoribus Ducenariis conceſſit*. Cyprianus etiam Martialem Epiſcopum accuſans, *de actis publice apud Procuratorem Ducenalem*. Non immerito igitur ab Antiochenis Patribus Paulo crimini datum eſt, quod ſeculares dignitates ambiret.

Veget. de re milit. lib. 2. 8.

Dio lib. 53.

Cypr. epiſt. 67.

Pauli Samoſateni faſtus, & ſuperbia. *Euſeb. ut ſup.*

4. Non itaque mirandum, Synodum Antiochenam hæc homini ſui adeo muneris oblito exprobraſſe: *Tribunal, & ſublimem thronum, non ut Chriſti diſcipulus ſibi ipſi conſtruxit, & ſecretum perinde ac ſeculares Magiſtratus. Ad hæc femur manu percutere, & tribunal pedibus pulſare ſolitus*. Qui vero, pergit eadem Synodus, una cum fautoribus ipſius, viris, ac mulierculis, indecore auſcultantibus, non exclamarent, atque exilirent, quemadmodum in theatris fieri ſolet, ſed cum gravitate, ac modeſtia, ſicut in domo Dei decet, audirent, increpabat, & contumeliis afficiebat. Evangelicæ legis doctores jam vita functos petulanter in concione lacerabat, dum de ſe ipſe magnifice loquebatur, non ut Epiſcopus, ſed ut ſophiſta quidam, & impoſtor. *Quin etiam pſalmos in honorem Domini Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos, & a recentioribus hominibus compoſitos abolevit. Mulieres autem magnæ Paſchæ die, in media Eccleſia pſalmos quoſdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit, quod quidem audientibus horrorem merito incuſſerit*. Indigna hæc quidem, ſed turpiora adhuc de ejus libidine

Illius impietas notatur.

Jesu Chr. an. 264.

Ejuſdem libido.

Euſeb. ut ſup.

ne memorant Patres, qui & illud præterea teſtantur, ejus nimirum exemplo presbyteros quoque, ac diaconos eodem hæſiſſe luto: *Quid hic referre attinet, ſubintroductas, ut Antiocheni vocant mulieres, tam ipſius, quam presbyterorum ejus, ac diaconorum?* Quibus non hoc ſolum, ſed alia etiam inſanabilia crimina, quorum conſcius erat, tegebat, & diſſimulabat; ut illos ſibi obnoxios haberet. *Quo enim modo increpabit alium; & admonebit, ut a frequentiori mulieris conſuetudine abſtineat, ne forte corruat, ſicut ſcriptum eſt, is, qui unam quidem jam dimiſit, duas vero ætate florentes, & forma conſpicuas ſecum habet, & quocumque proficiſcitur, circumducit; idque deliciis diffluens, & epulis ſeſe ingurgitans.* Hactenus Antiocheni Patres de improbis Pauli Samoſateni moribus, in epiſtola Synodica ad Dionyſium Romanum Pontificem, ad Maximum Alexandrinum, ceteroſque Orbis Epiſcopos, qua eum Epiſcopatu dejectum fuiſſe admonent.

Clericorum, & mulierum cohabitatio prohibita.

Ad Corinth. 1. 9. 5.

Epiph. hær. 78. 11.

Hier. ad Euſtochium epiſt. 22. 14.

5. Hujuſmodi porro cum ſubintroductis mulieribus habitatio, utpote clericalis continentiæ funus, Eccleſiæ canonibus ſæpiſſime repreſſa, iterum iterumque repullulavit. Earum quippe conſuetudinem vel Apoſtolorum exemplo, quos piæ quandoque comitabantur feminæ; vel Joannis Apoſtoli, apud quem Beata Virgo Mater diu vixiſſe creditur; vel pietatis, charitatiſque prætextu, ad excuſandas excuſationes in peccatis, ac turpitudines tegendas omni tempore tueri conati ſunt clericorum nonnulli, de quibus ita Epiphanius: *Vereor, ne hoc ipſum, quod dicimus, fraudi ſit aliquibus, ut ad contubernales, & dilectas, quas vocant fæminas retinendas, quod genus peſſimo ſibi animi errore machinati ſunt, fucum inde aliquem, & colorem arceſſiſſe videantur.* Hiſce mulieribus mollia, ac tenera nomina imponebantur; & Agapetæ, Sorores, Subintroductæ, Dilectæ dicebantur: quam merito corruptelam his verbis increpat Hieronymus: *Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introivit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? plus inferam! unde meretrices univiræ, eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & lectulo?* Neque præter verum quidquam Hieronymus exageravit; ſiquidem Pomponius Epiſcopus Cyprianum inter cetera conſulendum cenſuit *de virginibus, quæ detectæ fuerant in eodem lectulo permanſiſſe cum maſculis, quorum unus erat Diaconus.* Sapienter itaque Antiocheni Patres de ſubin-

Jesu Chr. an. 264.

troductis mulieribus animadvertunt, non illud ignorari quot ex hujuſmodi mulierum contubernio, partim in præceps lapſi eſſent, partim in ſuſpicionem veniſſent. Itaque etiamſi quis concederet, nihil ab eo turpe committi, ſuſpicionem tamen, quæ inde naſceretur, vitari oportuiſſe, ne quemquam offenderet, neve aliquem ad imitationem ſui provocaret. Qua de cauſa Nicœna Synodus canone tertio: *Interdixit per omnia, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui ex Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum, quæ omnem ſuſpicionem effugiant*. Paria ſanxere alia ſequentium ſeculorum Concilia; quin tamen turpis Agapetarum uſus aboleri potuerit. Immo Joannes Chryſoſtomus cum corruptelam hanc acerrime redarguendam exiſtimaſſet, Cleri ſui odia adverſum ſe concitavit, uti in ejus vita refert Palladius. Eccleſiæ canonibus acceſſit etiam Imperialis auctoritas; in eamque rem ita Arcadius, & Honorius Auguſti ad Palladium præfectum Urbis ſcripſere. *Eum, qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cujuſcumque gradus Sacerdotio fulciantur, vel Clericatus honore cenſentur, extranearum mulierum ſibi interdicta conſortia agnoſcant*. Hactenus de vetita Clericorum, & mulierum cohabitatione, cujus cauſa Samoſatenum Antiocheni Patres cenſura ſua notarunt.

Pallad. in vita Chryſoſt.

Cod. Theod. lib. 46. tit. 2. leg. 44.

Pauli Samoſateni errores

6. Sed enim non turpiſſimis tantum moribus Antiochenam ſedem fœdavit Samoſatenus, ſed & Artemonis hæreſi, qua Trinitatis, & Incarnationis myſteria, quibus tota Chriſtianæ Religionis ſumma continentur, penitus evertenda ſuſcepit. Docebat enim, *Filium Dei ante Mariam non fuiſſe, ſed ab ea initium ſuæ eſſentiæ accepiſſe*; quapropter Deum factum adfirmabat; & ſola prædeſtinatione, ac virtute Deum fuiſſe effutiebat. Præſtat rem ex Athanaſio cognoſcere: *Paulus Samoſatenus*, inquit, *Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi conſpectum; inde ſuæ naturæ, ſubſtantiæque initium habuiſſe, & initium regni accepiſſe. Verbum tamen efficax e cælo, & ſapientiam in eodem agnoſcit; ac prædeſtinatione quidem ante ſæcula fuiſſe putat; ſed Nazareth primum exiſtentiam adeptum*. Deum quidem unum agnoſcebat, ſed unam dumtaxat perſonam confitebatur, Unigenitum Patris, & Spiritum Sanctum Dei proprietates, non diſtinctas perſonas, ſub-

Athan. de ſalutari Adventu Jeſu Chriſti Orat. tom. 1.

Digitized by Google

ſubſiſtentiaſque prædicabat. *Eſt autem Pauli hæc opinio*, ait Epiphanius, *Deum Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum unum eſſe Deum, Verbum Dei ejuſque Spiritum ineſſe Deo perpetuo, ſicut hominis in corde proprium verbum ineſſe cernimus. Filium Dei ſubſiſtentiam habere per ſe nullam; ſed in Deo ſubſiſtere.*

JESU CHR. AN. 264. *Epiph. hær. 65. num. 2.*

7. *Itaque cum Paulus Samoſatenus*, Euſebio teſte, *adverſus Eccleſiæ doctrinam, nimis abjecte, & humiliter de Chriſto ſentire cœpiſſet, quaſi is nihil ſupra communem hominum naturam habuiſſet*, Dionyſius Alex. Eccleſiæ Epiſcopus rogatus, ut ad Concilium veniret, adventum quidem ſuum diſtulit, ſenectutem, & infirmitatem corporis cauſatus: ceterum quid ipſe de hac quæſtione ſentiret, per litteras indicavit. At reliqui Eccleſiarum Paſtores undique exciti, tanquam adverſus gregis Dominici vaſtatorem, Antiochiam convenerunt. Inter quos maxime eminebant Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus; Gregorius, & Athenodorus fratres, Eccleſiarum apud Pontum Epiſcopi; Helenus quoque Tarſi, & Nicomus Iconii Antiſtites; ſed & Hymenæus, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam regebat, & Theotecnus, qui Cæſarienſem illi finitimam adminiſtrabat; Maximus prætera, qui Boſtrenſem Eccleſiam ſumma cum laude gubernavit; unaque cum iis alii plurimi cujuſque ordinis confluxerunt. Iſtis ergo omnibus in unum coeuntibus, poſtquam pluribus diſputatum eſt, & quas callide occultare nitebatur, Pauli adverſus Chriſtum blaſphemiæ a Patribus demonſtratæ ſunt; eas ſibi falſo tribui, ſeque Apoſtolicam fidem amplecti publice palamque adfirmavit. Quare: *Laudato pro concordia, atque conſenſione Chriſto*, inquit Theodoretus, *Epiſcopi re infecta ad ſua redierunt*. Neque ſpernenda Baronii conjectura videtur; mitius ideo cum ſceleſtiſſimo homine tunc actum fuiſſe, quod apud Zenobiam, totius Orientis Reginam, multum gratia valeret. Diu tamen ipſius perfidia latere non potuit; cum enim hæreſis ſuæ venena diſſeminare pergeret, Firmilianus, aliique Epiſcopi, poſt annos aliquot iterum Antiochiæ congregati, Paulum Epiſcopali honore, Eccleſiæque communione dejecerunt, quemadmodum ex ſynodica ipſorum epiſtola intelligitur.

Paulus Samoſatenus in Antiochena Synodo accuſatus. *Euſeb. lib. 7. 27. 28.*

Samoſatenus, ſimulata fide catholica, abſolvitur. *Theod. hær. fab. lib. 2.*

8. Hujus epiſtolæ genuitatem nonnulli inficiantur: Baronius tamen eam veluti glorioſam Patrum de Trinitatis myſterio, & Chriſti Divinitate confeſſionem, ac præclariſſimum

De epiſtola Antiochenæ Synodo inſcribenda. *Bar. an. 266. 4.*

P 2

JESU CHR. AN.264.

Labb. tom. 1. Concil. Baſnag. annal. 264. 7. Dupin. Bibl. pag. 644. to. 1.

mum Catholicæ Fidei monumentum, a Turiano latine ex græco redditam in Annales intulit. Ita vero Theotecnus, Maximus, Proculus, Balenus Epiſcopi, a quibus data legitur, Paulum initio adloquuntur: *Paulo in Chriſto ſalutem. Jam quidem in congreſſum, & colloquium inter nos novimus, ac fidem noſtram oſtendimus. Ut vero manifeſtius fiat, quid quiſque ſentiat, & ea, quæ in quæſtionem, ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem ſcripto edere, & exponere.* Expoſita deinde fide catholica de Unitate Dei, & Perſonarum Trinitate, deque Filii Dei Incarnatione, tandem Samoſatenum his circa finem interpellant: *Scire volumus, an eadem nobiſcum ſentias, & doceas, & nobis ſignifices, an iis, quæ ſuperius ſcripſimus, aſſentiaris, an non.* Hujuſmodi porro epiſtolam, etiamſi pro genuina habeamus, quod in quæſtionem ab aliquibus adduci prænotavimus, non priori Antiochenæ Synodo hoc anno habitæ tribuendam putamus; ſed potius ſecundæ, aut tertiæ, anni ſcilicet 269., ex ea potiſſimum ratione, quod Firmiliani nomen, qui primæ Synodo præfuit, ac principem locum inter Epiſcopos debuit obtinere, in ipſa minime occurrat. Altera etiam extat Dionyſii Alex. epiſtola, quam ad Samoſatenum quidem datam fuiſſe Baronius ſcribit, ſynodo tamen Antiochenæ inſcriptam a Dionyſio fuiſſe Euſebius prodit, ut quid de ea quæſtione ſentiret, Patribus ſignificaret. Quod iidem Patres confirmare videntur, ubi de Dionyſio hæc in Synodica ſcribunt: *Erroris ducem*, ideſt Paulum, *ne ſalutatione quidem dignatus eſt, neque ad eum nominatim litteras dedit.*

Valeſ. in Euſeb. lib. 7. 30. Pag. ad ann. 266. num. 3.

Epiſtola Dionyſii Alex. ad Paulum Samoſatenum ſubdita.

Bar. an. 265. 5. Concil. tom. 1. pag. 894. Euſeb. lib. 7. 30.

Dionyſii Alex. Epiſcopi obitus, cui Maximus ſuccedit.

9. *Dum hæc agerentur*, ait Euſebius, ideſt dum adverſus Samoſatenum Antiochiæ Synodus hoc anno haberetur, *Dionyſius extremum diem obiit, anno principatus Gallieni duodecimo, cum Alexandriæ Epiſcopatum per annos ſeptendecim obtinuiſſet. In ejus locum ſubrogatus eſt Maximus.* Inter ejuſdem opera, quorum Catalogum Euſebius, & Hieronymus exhibent, epiſtolæ plurimæ recenſentur, quarum præcipuæ ad Ammonem Berenicenſem Epiſcopum contra Sabellium ſcriptæ ſunt, ad Teleſphorum vero, & Euphranonem duæ, necnon ad Ammonem, & Euporum altera, cum quatuor libris, quos gentili ſuo Dionyſio Romanorum Epiſcopo nuncupavit. *Sed & aliæ plures ſunt apud nos illius epiſtolæ, & prolixiores libri, epiſtolari forma, ac ſtilo conſcripti*; nempe de natura Timotheo puero dedicati, atque de tentationibus alter, quem

Euſeb. lib. 7. cap. 20. ad 26. Hier. de Vir. ill. cap. 69.

De Scriptis Dionyſii Alexandrini.

Digitized by Google

quem etiam Euphranori nuncupavit. Inſuper Dionyſius ipſe in epiſtola ad Baſilidem Pentapolitanum Epiſcopum ſcripta, ad quem plures eum dediſſe Euſebius teſtatur, commentarium ſe compoſuiſſe innuit in principium Libri Eccleſiaſtes. Ad Baſilidem altera extat, quam Græci inter canonicas, ſeu pœnitentiales numerant, quæque quatuor conſtat capitibus. De antepaſchali Chriſtianorum jejunio agens, in primo diſciplinæ diverſitatem adnotat, ac quoſdam ſex dies, alios tres, aut duos jejunos perſeveraſſe tradit. Secundo capite mulieres menſtrua patientes a participatione Corporis Chriſti, quin & ab Eccleſiæ ingreſſu arcebat, quam diſciplinam Græcorum plurimi, tamquam Apoſtolicam, mordicus retinendam cenſuerunt, ut apud Theodorum Balſamonem videre eſt. Gregorius tamen Papa Auguſtino Anglorum Apoſtolo ſcribens, eas ſuo arbitrio relinquendas cenſuit: *Sanctæ communionis myſterium in iis diebus percipere non debet prohiberi; multo minus eccleſiam ingredi. Si autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt; ſed ſi percipiat, non judicanda*. Tertio capite conjugatis Apoſtoli conſilium inculcat, ut ad tempus ſeparati orationibus vacent. Quarto demum eos, ut ſuam conſcientiam conſulant, hortatur, veluti qui in ſomno pollutionem paſſi fuerant, ita ut eadem die, pro devotionis affectu, vel communionem acciperent, vel pro arbitrio abſtinerent; ſe enim tota ea epiſtola, aut Baſilidi, aut Eccleſiæ leges præſcribere minime velle teſtatur. Jo: Philippus Baraterius Diſquiſitioni de ſucceſſione antiquiſſima Epiſcoporum Romanorum p. 285. ſubjecit diſſertationem de Dionyſii pſeudo-areopagitæ ſcriptis, qua contendit ea tribuenda eſſe Dionyſio Alexandrino. Ingenioſe quidem rem auctor Heterodoxus perſequitur; ſed quam perperam, is facile judicabit, qui animadverterit Euſebium, Hieronymum, alioſque veteres, qui Alexandrini Epiſcopi ſcripta recenſent, ne verbulo quidem hoc indicare. Quis enim ſibi perſuaſerit rem hujuſmodi omnes ignorare potuiſſe, ſcientes autem omnino ſiluiſſe, ubi ejus meminiſſe quammaxime oporteret? Atque de Dionyſii Alexandrini geſtis, & ſcriptis hactenus; cujus memoriam decimoquinto Kalendas Decembris Occidentalis, & Orientalis Eccleſia celebrat.

JESU CHR. AN. 264.

De Dionyſii epiſtola canonica ad Baſilidem.

Biblioth. PP. tom. 3.

S. Gregor. lib. 11. epiſt. 64.

JESU

Jesu Chr. an. 265.

JESU CHRISTI an. 265. Dionysii Papæ 7.
Gallieni Imperatoris 13.
Coss. P. Licinio Valeriano II., et Licinio Rufiniano.
Olympiad. 261. an. 1. Urbis an. 1018.

De Valeriano Conſule, Gallieni fratre. *Trebell. Poll. in Valer.*

1. Valerianum hujus anni Conſulem, Gallieni fratrem, non filium fuiſſe, Trebellii auctoritate adverſus Baronium eruditi paſſim demonſtrant; cum præſertim, eodem Trebellio, & Vopiſco teſtibus, conſtet, Valerianum Gallieni Imp. filium aliquot ante annos a Poſthumio Galliarum tyranno interfectum fuiſſe.

Gregorii Thaumaturgi obitus. *Euſeb. lib. 7. 28. Nyſſen. In vita Gregor. Thaumat.*

2. Gregorium Thaumaturgum Antiochenæ Synodo, adverſus Samoſatenum anno ſuperiore congregatæ, adfuiſſe, teſtatur Euſebius. Quid autem poſt hæc geſſerit, aut quouſque vitam tenuerit, nullibi memoratur: ejuſdem tamen obitum ita narrat Nyſſenus. Cum extremum ſibi diem adeſſe prænoſceret, totamque regionem, & civitatem perſcrutatus quæſiiſſet, quot adhuc Gentiles in ſua Diœceſi reperirentur, ubi ſeptendecim ſupereſſe audivit, multas agendas eſſe gratias, dixit, quod ſucceſſori tot relinqueret ſimulacrorum cultores, quot ipſe Chriſtianos acceperat. Deum ſubinde precatus, ut & qui jam crediderant, creſcerent in perfectionem, & infideles converterentur, ad eum meritis plenus ex humana vita migravit, neceſſariis ſuis præcipiens, ut nullum proprium locum ad ſepulturam ſibi compararent; indecens quippe exiſtimavit, ut qui pauper & inquilinus vixerat, non in alieno, ſed proprio ſepulcro reconderetur. Dies vero ipſius natalis quintodecimo Kal. Decembris, una cum Dionyſio Alexandrino recolitur.

Gregorii Sepulcrum illæſum ſervatur.

3. Ejus porro ſepulcrum, ob tanti viri memoriam, miraculorumque frequentiam Neoceſarienſibus, ceteriſque Ponti incolis illuſtre fuit, itaut, cadente etiam Neoceſarea, intactum, ac illæſum, uſque ad Anaſtaſii Imperatoris tempora permanſerit: *Noſtris temporibus*, ait Nyſſenus, *cum graviſſimus aliquando terræmotus civitatem labefactaſſet, & omnia propemodum funditus periiſſent, & publica, & privata ædificia corruiſſent, ſolum illud templum manſit infractum, & inconcuſſum*, quod Gregorio Thaumaturgo dicatum erat. De altero autem terræmotu, Anaſtaſii Imperatoris tempore, hæc narrat

JESU CHR. AN. 265.

Theod. hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 54.

Thaumaturgi elogium.

Baſil. Orat. in laudem Greg. Thaum.

rat Theodorus Lector: *Per idem tempus, cum terræmotus futurus eſſet in urbe Neoceſareæ, miles quidam, ad urbem illam proficiſcens, duos milites eo pergentes vidit, & alium pene ſequentem, qui ita clamabat: ſervate ædem, in qua eſt Arca Gregorii. Statimque terra moveri cœpit, & urbis quidem maxima pars collapſa eſt; Ædes vero Gregorii manſit incolumis.* Quantis præconiis ejus memoriam idem Nyſſenus, Baſilius, aliique Patres celebraverint, longum eſſet referre. Ut omnia tamen paucis complectamur, hic adnotare ſufficiet, Baſilium Apoſtolis & Prophetis ipſum æquiparare: inter ejus prodigia recenſere, fluminum curſus in diverſum converſos, paludemque fratribus avaris diſſidii cauſam præbentem exſiccatam: præterea in epiſtola ad Noeceſarienſes data, quo tempore Muſonius eam Eccleſiam regeret, adfirmare ſolis Gregorii meritis factum, ut integra in ipſa fides conſervaretur. Nonnulla ingenii ſui monumenta poſteris reliquit, de quibus Hieronymus: *Panegyricum encomiaſticum ſcripſit Origeni, & convocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente, recitavit, qui uſque hodie extat: ſcripſit & metaphraſim in Eccleſiaſtem, brevem quidem, ſed valde utilem, & aliæ hujus vulgo feruntur epiſtolæ, & de fide; ſed præcipue ſigna, atque miracula, quæ jam Epiſcopus cum multa Eccleſiarum gloria perpetravit &c.*

Baſil. epiſt. 64.

Gregorii Thaumaturgi ſcripta.

Hier. de vir. Ill. cap. 65.

JESU CHRISTI AN. 266. DIONYSII PAPÆ 8.
GALLIENI IMPERATORIS 14.
COSS. GALLIENO AUG. VII., ET SABINILLO.
OLYMP. 261. AN. 2. URBIS AN. 1019.

Scytharum direptiones.

Trebell. Pol. in Gallien. cap. 12.

1. Hoc tempore Scythæ, direptionibus, cædibuſque aſſueti, gravioribus cladibus Romanum Imperium affecerunt. *Occupato Odenato*, ait Trebellius, *bello Perſico, & Gallieno rebus ineptiſſimis, ut ſolebat, incumbente, Scythæ, navibus factis, Heracleam pervenerunt, atque inde cum præda in ſolum proprium reverterunt, quamvis multi naufragio perierunt.* Hoc etiam anno Gallienus Valerianum fratrem Auguſtum nuncupavit, ut ex Pollione, aliiſque Scriptoribus conſtat, plureſque inſcriptiones, ac numiſmata confirmant.

JESU

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 267.

JESU CHRISTI AN. 267. DIONYSII PAPÆ 9.
GALLIENI IMPERATORIS 15.
COSS. PATERNO, ET ARCESILAO.
OLYMP. 261. AN. 3. URBIS AN. 1020.

Odenatus Imperator occiditur, cui Zenobia uxor ſuccedit. *Trebell. Poll. in Gall. c. 13.*

1. Cum a Perſarum injuriis Romanum Imperium vindicaſſet Odenatus, Imperator Auguſtus a Gallieno noncupatus fuerat. Interea dum Perſas victricibus armis adhuc vexaret, *irato in Rempublicam Deo*, teſte Trebellio, hoc anno miſerrime novercali gladio interiit, ideſt Zenobiæ inſtinctu, & juſſu, a Moenio conſobrino, una cum Herode Odenati primogenito, quem ex altera uxore ſuſceperat: *Odenatus inſidiis conſobrini ſui cum filio Herode, quem & ipſum Imperatorem appellaverat, interemptus eſt. Tum Zenobia uxor ejus, quod parvuli eſſent filii ejus, qui ſupererant Herennianus, & Timolaus, ipſa ſuſcepit Imperium, diuque rexit, nec muliebriter, neque more fœmineo*: quod uſque ad Aurelianum Imperatorem virilis animi mulier, prudentia, inque rebus agendis dexteritate ornata, retinuit, ut ſuo loco videbimus.

Gallieni geſta in Perſas.

2. Ubi Gallienus Odenatum obiiſſe novit, bellum & ipſe Perſis, illatam Patri, Romanoque Imperio injuriam vindicaturus, inferre ſtatuit, ac, Trebellio anctore, *ſolertis Principis rem geſſit*. Cum autem Heraclianus in Perſas arma moturus eſſet, civile bellum inter Romanos, & Palmyrenos exortum eſt, quo *Heraclianus a Palmyrenis victus, omnes, quos paraverat, milites amiſit*. Diſſidii cauſam etſi auctores non indicent, inde tamen manaſſe conjicitur, quod, ut ait Pollio, *Gallieno adhuc Rempublicam gerente, mulier ſuperba regale munus obtinuit*. Injurioſum quippe Romanæ Majeſtati, Romaniſque militibus videbatur, abſque Gallieni Imperatoris ſuffragio, fœminam Imperium in Oriente tenere, quod poſt Odenati obitum, in ſocietatem Imperii a Gallieno adſciti, ad Romanos redierat.

De aliis Imperii cladibus

3. Hoc etiam tempore Scythæ, & Gothi in Romanum ſolum iterum irruentes vaſtitatem attulerunt, de quibus Trebellius, & Sozomenus plura habent. In Galliis quoque armorum ſtrepitus fuere; nam adverſus Poſthumium, qui pluribus annis ibidem imperabat, Lollianus rebellavit, & adverſus Lollianum non multo poſt Victorinus; ſicque, ſuccedentibus ſibi invicem tyrannis, Romanæ provinciæ divexabantur. In his tamen

men quominus immoremur, & inſtituti noſtri ratio, & brevitatis ſtudium impediunt. Conſulat, qui velit, Tillemontium, Muratorium, Baſnagium.

Jesu Chr. an. 268. *Tillem. to. 3. hiſt. Imp. Murat., Baſnag. hiſce annis.*

JESU CHRISTI an. 268. Dionysii Papæ 10.
Claudii Imperatoris 1.
Coss. Paterno II., et Mariniano.
Olymp. 261. an. 4. Urbis an. 1021.

Gallieni Imp. interitus, cui Claudius ſuccedit.

1. Labente anno, Paterno II., & Mariniano Conſulibus, Gallienus Auguſtus, una cum Valeriano fratre, & filiis, Claudii inſidiis prope Mediolanum interemptus eſt: *Gallieno bellum Scythicum naviter urgenti nuncius adfertur, Aureolum ducem omnium copiarum equeſtrium, qui ad urbem Mediolanum Poſthumii tranſitum in Italiam obſervare juſſus fuerat, res novas moliri, & Imperii ſummam ſibi polliceri. Ad ejus rei famam conturbatus, ſtatim ad iter Italicum ſe accingit,* ait Zoſimus, ibidem ſubdens, eum, dum illuc pergeret, Aurelii inſidiis occubuiſſe: *Et, ut quidam ferunt, circa Mediolanum, ubi & frater ejus Valerianus, eſt interemptus.* Hæc Mediolani contigiſſe, uterque Victor, & Eutropius tradunt: & quidem ineunte Martio; nam, teſte Pollione, nono Kal. Aprilis Romæ nunciatum eſt, Claudium purpuram induiſſe. Poſt Gallieni interitum addit Victor: *Satellites ejus, Senatus decreto, propinquoſque per ſcalas Gemonias præcipites agendos, patronumque Fiſci in Curiam perductum, effoſſis oculis pependiſſe.* Claudius itaque Gallieno ſucceſſit, quem ſuis deinde precibus in Deorum cenſum inſcribi fecit. An vero illius cædis auctor etiam fuerit, Pollio in incerto relinquit: *Claudius Gallienum prodigioſum Imperatorem, etſi non auctor conſilii fuit, tamen ipſe imperaturus, bono generis humani, a gubernaculis publicis depulit,* ait Pollio.

Zoſim. lib. 1. Trebell. Poll. in Gall.

Trebell. Pol. in Claud. cap. 4.

De Claudii Imperatoris origine, & moribus.

2. Claudii origo eouſque obſcura fuit, ut patris, matriſque nomen ignoretur. In Dalmatia genitum fuiſſe circa annum 215., atque ex ejus ſtirpe Conſtantium Conſtantini Imperatoris patrem prodiiſſe narrat Trebellius. Natalis Claudii dies ſexto idus Maii in libello de Natalibus Cæſarum apud Bucherium recolitur. Obiit vero anno 270., cum triennium fere imperaſſet, ac annum quinquageſimum ſextum ageret: *Parcus vir, ac modeſtus, & juſti tenax, atque Reipublicæ geren-*

Trebell. in Claud. cap. 1. & ſeqq.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 268. Trebell. Poll. in Gall. cap. 15. in Claud. cap. 2.

dæ idoneus, ut ait Eutropius. Trebellius etiam, qui hiſtoriam ſuam Conſtantino Claudii conſanguineo dicavit, de eodem hæc adnotat: *Claudius vir ſanctus*, ait, *ac jure venerabilis, & bonis omnibus carus, amicus Patriæ, amicus legibus, acceptus Senatui, populo bene cognitus*. Et iterum: *Inſignis morum gravitate. Inſignis vita ſingulari, & unica caſtimonia, vini parcus, ad cibum promptus, ſtatura procerus, oculis ardentibus, lato, & pleno vultu, digitis uſque adeo fortis, ut ſæpe equis, & mulis ictu pugni dentes excuſſerit*. Hinc ut Romam perlatum eſt imperare Claudium, Senatus acclamavit: *Claudi Auguſte, Principem te, aut qualis tu es ſemper optavimus: Claudi Auguſte, te Reſpublica quærebat*. Tanti porro Claudium faciebat Gallienus, ut cum accepiſſet, ægre eum ferre, quod ipſe mollius, quam deceret, viveret, ad Venuſtum ſcripſerit, ut illum Grati, & Herenniani opera placatum redderet, ſibique reconciliaret; nihil enim ſibi gravius accidere poſſe exiſtimabat, quam iratum Claudium habere. Venuſto tamen curandum eſſe commendat, *ne ſe hoc ſcire* Claudius *intelligat, ac ſibi ſuccenſere judicet, & pro neceſſitate ultimum conſilium capiat*. Utque facilius in gratiam cum eo rediret, varia, multique pretii munera eidem miſit, nempe *pateras gemmatas trilibres duas, ſchyphos aureos gemmatos trilibres duos, diſcum corymbiatum argenteum librarum viginti, lancem argenteam pampinatam librarum triginta, pateram hideratam librarum viginti & trium, voleta ballienticum argenteum librarum viginti, urceos duos auro incluſos, argenteos librarum ſex, & in vaſis minoribus argenti libras viginti quinque, calices Ægyptios operiſque diverſi decem, clamydes veri luminis limbatas duas, veſtes diverſas ſexdecim, albam ſubſericam peraguadem triuncem unam, Zanchas de noſtris Parthicis paria tria, ſingiliones Dalmatenſes decem, clamydem Dardanicam mantuelem unam, penulam Illyricianam unam, bardocucullum unum, cucutia villoſa duo, oraria ſarabadena quatuor, aureos Valerianos centum quinquaginta, trientes ſaloninianos trecentos*. Hucuſque Trebellius: quæ nos recenſuiſſe non piguit, cum in iis nonnulla de vaſis, ac veſtibus horum temporum ſcitu digna occurrant.

Poll. in Claud. cap. ult.

Gallieni munera ad Claudium.

Aureoli interitus.

3. Ut Claudium imperare intellexit Aureolus, eruptione Mediolano facta, ubi hactenus a Gallieno obſeſſus fuerat, novum Imperatorem adortus eſt. At repulſam paſſus, pacem a Clau-

Digitized by Google

a Claudio petiit, a quo tamen reſponſum accepit, quod *hæc a Gallieno petenda fuerant, qui conſentire moribus poterat & timere*. Quapropter Aureoli milites, eo occiſo, in Claudii partes tranſierunt; unde his copiis auctus, Alemannos haud procul a lacu Benaco fudit, quorum vix pars dimidia fugiendo evaſit. JESU CHR. AN. 268.

4. Interea, quo in ſtatu Romanorum res eſſent, quantiſve malis affligerentur, his ad Senatum datis litteris Claudius narrat: *S. P. Q. R. Claudius Princeps P. C. militantes audite, quod verum eſt; trecenta viginti millia Barbarorum in Romanum ſolum armati venerunt. Hæc ſi vicero, vos vicem reddite meritis. Si non vicero, ſcitote, me poſt Gallienum velle pugnare. Fatigata eſt tota Reſpublica, pugnamus poſt Valerianum, poſt Ingenuum, poſt Regillianum, poſt Lollianum, poſt Poſthumum, poſt Celſum, poſt mille alios, qui contemptu Gallieni Principis a Republica defecerunt; non ſcuta, non ſpathæ, non pila jam ſuperſunt. Gallias, & Hiſpanias, vires Reipublicæ, Tetricus tenet, & omnes Sagittarios* (quod pudet dicere) *Zenobia poſſidet; quidquid fecerimus, ſatis grande eſt*. Hactenus Claudii epiſtola a Trebellio ſuæ Hiſtoriæ inſerta. Romani Imperii ſtatus infelix. *Claudii epiſt. ad Senatum.* *Trebell. Poll. in Claud.*

JESU CHRISTI AN. 269. FELICIS PAPÆ 1.
CLAUDII IMPERATORIS 2.
COSS. M. AURELIO CLAUDIO II., ET PATERNO.
OLYMP. 262. AN. 1. URBIS AN. 1022.

1. Cum Samoſatenus iterum fuſius diſſeminare, audaciuſque tueri cæpiſſet hæreſim, quam non multis ab hinc annis coram Patribus Antiochiæ congregatis per ſimulationem ejuraverat, innumerabilium fere Epiſcoporum ſententia, utpote falſi dogmatis propagator, currenti anno *ab univerſa quæ ſub cælo eſt Eccleſia* eliminatus eſt, ait Euſebius. De Antiochena Synodo, quæ Samoſatenum exauctoravit, adnotandum eſt, eam Aureliano imperante habitam fuiſſe; nam Euſebius, de ejuſdem Imperio agens, ſubdit: *Hujus temporibus &c.*, hoc videlicet, vel ad ſummum ſequenti anno, cum Dionyſii Romani Pontificis obitus nondum Antiochenis Patribus innotuiſſet: hinc factum, ut ſynodicam epiſtolam eidem inſcriberent, quem labente anno occubuiſſe die 26. Decembris, Catalogi omnes teſtantur. De Synodo Antiochena, qua Paulus exauctoratur. *Euſeb. lib. 7. 30.* *Coutan. pag. 270.*

Digitized by Google

tur. Ejuſdem ſynodi epocham certiorem reddit libellus Cleri C. P. Epheſinæ Synodo oblatus, Coſs. Theodoſio Aug. XIII., & Valentiniano III., hoc eſt anno 430.; hæc enim in eo habentur: *Quod Neſtorius ejuſdem ſententiæ ſit cum Paulo Samoſateno ante annos centum ſexaginta ab orthodoxis Epiſcopis condemnato*. Itaque ſi ab annis 430. ſubtrahas annos 160., ad labentem 269. pervenies, quo Paulus damnatus fuit, aut ſi labenti 269. addas annos 160., ad annum 430. pervenies, quo ea ſcribebat Clerus Conſtantinopolitanus. Ad id vero, quod Euſebius ſcribit, eam Synodum Aureliani temporibus habitam fuiſſe, facile reſpondetur: quod cum inſequens Chriſti annus Aureliani Imperatoris primus fuerit, idem quoque annus Synodi dici poteſt, quia & in eum prorogata; vel ea Euſebii verba, auctore Pagio, id tantum indicant, Paulum, Imperante quidem Claudio, ab Antiochenis Patribus ſede dejectum fuiſſe; inde tamen nonniſi Imperante Valeriano pulſum, ut infra ſuo loco dicturi ſumus.

Pag. not. 4. an. 271.

De numero Epiſcoporum

Euſeb. lib. 7. 29.
Athan. de Synod. Arimin., & Seluciæ.
Facund. lib. 10. 6.

2. Quot vero ii fuerint, qui Samoſateni condemnationi Antiochiæ ſubſcripſerunt, ignoratur. Septuaginta quidem eos fuiſſe, prodit Athanaſius: *Duo Dionyſii diu ſuere ante ſeptuaginta illos, qui Samoſatenum ſuſtulerunt*. Horum numerum auget Facundus: *Beatus Hilarius non unius hominis verba privatim dicta, ſed publica decreta concilii approbat, quibus octoginta noſtri Patres pro Paulo Samoſateno repudiaverunt*. Multo plures, ideſt centum & octoginta eos fuiſſe, narrant Baſilius Diaconus, & Monachi in libello ſupplici contra Neſtorium Epheſinæ Synodo oblato: *Sanctæ ſynodi centum octoginta Epiſcoporum apud Antiochiam congregatæ adverſus Paulum Samoſatenum*. In tanta opinionum varietate, illorum numerum in incerto relinquimus, quos quamplurimos fuiſſe, Euſebio auctore, ſcimus.

Paulus hæreſis convictus condemnatur.

3. Poſtquam in unum convenere Patres, ad detegendas impiiſſimi, ac vaferrimi hæretici fraudes, *Malchion quidam vir diſertiſſimus, quippe qui Sophiſticæ apud Antiochiam ſcholæ præfuerat, & qui ob Fidei Chriſtianæ ſinceritatem in ejus loci eccleſia presbyterii honorem erat conſequutus, illum coarguit, & latere cupientem confutavit*, ait Euſebius: *Hic igitur adverſus Paulum ſuſcepta diſputatione, excipientibus cuncta notariis, occultos hominis ſenſus, fraudeſque detegere ſolus omnium valuit*. Quæ quidem diſputatio etſi Euſebii, & Hieronymi ætate

Euſeb. ut ſupra.
Hier. de Vir. Illuſtr. in Malch. cap. 71.

ætate extaret, nunc tamen cum tot aliis deperditis veterum monumentis deſideratur. Eumdem Malchionem presbyterum Hieronymus tradit auctorem fuiſſe Synodicæ epiſtolæ, quam, Euſebio teſte, ex communi ſententia ad Dionyſium Romanæ Urbis Epiſcopum, ad Maximum Alexandrinum, & ad omnes deinde provincias Antiocheni Patres tranſmiſerunt; tum ut ſtudium ſuum, ac diligentiam omnibus declararent, tum ut perverſum Pauli dogma, diſputationes cum eodem habitas, cunctamque hominis vitam, ac mores exponerent. Epiſtolæ autem hic erat titulus: *Dionyſio, & Maximo, & omnibus per univerſum Orbem comminiſtris noſtris, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, & univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſub Cælo eſt, Helenus, & Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Paulus, Bolanus, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodorus, & Malchion, & Lucius, & reliqui omnes, qui nobiſcum, vicinarum urbium, & Provinciarum Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi, & Eccleſiæ Dei cariſſimis fratribus in Domino ſalutem.* Narrant itaque, de eodem Paulo alias ſcripſiſſe ad Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum, dum ſcilicet prima Synodus habita fuerat anno 264.; Dionyſium vero, ne Paulo quidem ſalutato, Synodo reſpondiſſe, quid de ea quæſtione ſentiret: deinde ea ſubdunt, quæ Firmilianus hactenus in hac cauſa peregerat, cum bis Antiochiam tranſiiſſet: tandem addunt, quod cum jam tertio Antiochiam properaret, Tarſumque perveniſſet, expectantibus eum Patribus congregatis, *abiit e vita*. Quibus autem moribus eſſet ornatus, ſeu fœdatus Samoſatenus, pluribus ibidem referunt: de quibus jam ſuperius nonnulla expoſuimus. Denique communi omnium ſententia, & ſuffragio Paulum exauctoratum fuiſſe, ac Domnum ejus loco ſuffectum, virum omnibus dotibus, quæ Epiſcopum decent, exornatum, certiores faciunt. *Quod quidem idcirco vobis*, inquiunt, *ſignificavimus, ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias litteras accipiatis. Hic vero ad Artemam ſcribat, ſi lubet, & qui Artemam ſectantur, cum eo communicent.*

Euſeb.lib.7. 30.

Domnus in Samoſateni locum Epiſcopus ordinatur

4. Hucuſque ex ſynodica epiſtola Euſebius, qui mox ſubdit, aliquanto poſt Aureliani Imperatoris decreto, Paulum Samoſatenum invitum Antiochena Eccleſia pulſum fuiſſe: *Igitur cum Paulus a recta fide ſimul, & Epiſcopatu excidiſſet, Domnus, ut dictum eſt, adminiſtrationem Antiochenſis Eccleſiæ ſuſcepit. Sed cum Paulus e domo Eccleſiæ nullatenus excedere*

Samoſatenus Aureliani Imperatoris juſſu Antiochena Eccleſia ejectus.

Euſeb.lib.7. 32.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 269.

dere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus, rectiſſime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici chriſtianæ Religionis Antiſtites, & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupramemoratus cum ſummo dedecore per ſecularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt. Quæ quidem elapſo fere triennio contigerunt, cum Aurelianus, Zenobia devicta, Orientali Imperio potitus eſt.

De Fidei profeſſione Antiochenæ Synodo inſcripta.

Baron. ann. 272. 16. 17.

5. Extat & fidei profeſſio Antiochenæ Synodo inſcripta, quam Arianorum gratia Euſebium ſuppreſſiſſe. Baronius ſcribit: *Ex his detegitur*, inquit, *conniventia Euſebii hiſtorici cum Arianis; quippequi hanc retexens hiſtoriam, atque Synodicam ad Dionyſium Papam ſcriptam recenſens, quæ in ea de Fide Catholica tractatio ſcripta erat, ſubducens, obvolutamque ſilentio relinquens, ex parte tantum epiſtolam recitavit, quod nimis Arianos illa perſtringeret.* Immerito tamen in Euſebium ſuccenſuiſſe Baronium, inde manifeſto patet, quod ea fidei profeſſio, quæ & in Actis Epheſini Concilii legitur, Nicænæ Synodo tribuatur, cujus hæc eſt inſcriptio: *De Incarnatione Verbi Dei Filii Patris definitio Epiſcoporum, qui Nicææ in Synodo convenerunt, & expoſitio ejuſdem Synodi adverſus Paulum Samoſatenum*; atque Nicænæ potius, quam Antiochenæ Synodo inſcribi debere uſus vocis *Conſubſtantialis* aperte ſatis demonſtrat. Exploratiſſimum quippe eſt, Antiochenis Patribus ingratum fuiſſe verbum *Omouſion*, ut diſerte Athanaſius teſtatur, cum ait: *Etſi amborum Conciliorum* (ideſt Antiocheni, & Nicæni) *Patres diverſimode de Conſubſtantiali mentionem fecere; non tamen ea de cauſa ab illis diffidere debemus, ſed illorum mentes ſcrutari; quod ſi fecerimus, omnino inveniemus ambas Synodos inter ſe conſentire. Qui enim Samoſatenum ſuſtulerunt, hanc vocem Conſubſtantialis corporaliter accepere; cum Paulus ſophiſticari vellet, & diceret: Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt; igitur Conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſario ſequitur, tres eſſe ſubſtantias; unam quidem quæ prior ſit, ut princeps; reliquas vero duas ex ea oriundas. Ideoque merito vitantes illud ſophiſma Pauli, dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem; non enim ita ſe habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Et Paulo poſt: *Nam utraque Synodus juſtam habet, & rationabilem cauſam, cur illa ad illum, iſta vero ad iſtum modum verba ſua temperaverit. Quandoquidem enim & Samoſatenus ſentiebat, Filium ante Mariam non fuiſſe, ſed*

Valeſ. not. in Euſeb. lib. 7. cap. 30.

Baſnag. an. 269.

Pag. an. 272.

Athan. de Synod. tom. 1.

Conſubſtantiale Verbum diverſimode uſurpatum.

ſed ab ea initium ſuæ eſſentiæ accepiſſe; ideo Epiſcopi tunc congregati hominem hæreſeos condemnatum abdicarunt, & de Filii divinitate ſimplicius ſcribentes non exquiſitam diligentiam in tractatu hujus vocis Conſubſtantialis adhibuerunt, ſed ut acceperant de conſubſtantiali, ita loquuti ſunt. Nicæni vero Patres, ut perfectam Filii cum Patre ſimilitudinem denotarent, *his de cauſis merito inducti ſunt, ut Filium Conſubſtantialem dicerent*. De repudiato ab Antiochenis Patribus *Omouſion* vocabulo eadem habet Facundus. Cumque ea fidei profeſſio conſubſtantialem *Omouſion* Filium Dei ſæpiſſime prædicet, & ſingulis fere lineis repetat, Nicænis Patribus magis, quam Antiochenis convenit.

Jesu Chr. an. 269.

Facund. Herm contra Mucian. lib. 10. 6.

6. In Romana etiam Synodo a Dionyſio Pontifice celebrata damnatum fuiſſe Samoſatenum, poſt Baronium Valeſius, & Petavius tradunt. Quam tamen uti ſuppoſititiam Pagius, aliique rejiciunt: *Exiſtimarunt enim*, ait Pagius, *Paulum Samoſatenum a duobus Dionyſiis Romano, & Alexandrino ſublatum fuiſſe, prout innuere videtur Athanaſius libro de Synodis; quod tamen non dicit Athanaſius*, uti Athanaſium legenti aperte conſtabit. Quidquid tamen de Synodo Romana ſit, id exploratum eſt, ſive in Synodo, ſive extra Synodum, Dionyſium Romanum æque, ac Alexandrinum, Paulum Samoſatenum, ejuſque impietatem damnaſſe. De Alexandrino narrat Euſebius, tum primæ Antiochenæ Synodo ſcripſiſſe, quid de ea quæſtione ſentiret; Paulumque eo uſque averſatum fuiſſe, ut ne ſalutatione quidem dignum judicaverit. De Romano vero Dionyſio, cui Synodica epiſtola inſcripta fuerat; cum eumdem adhuc vivere crederent Patres Antiocheni, licet fortaſſe jam obiiſſet; quid de ea ſentiret quæſtione ex iis, quæ contra Sabellium ſcripſerat, una cum Romana Synodo, notum erat. Ideoque una cum Sabelliana hæreſi, & Pauli impietatem damnaverat; cum in eo ambæ convenirent, quod diſtinctionem Perſonarum tollerent, unamque in Deo ſubſiſtentiam confiterentur. Quam impietatem Sociniani, & Anabaptiſtæ inſtaurarunt, ut libro de Trinitate oſtendit Petavius, qui & *libro de Incarnatione* Pauli Samoſateni hæreſim pluribus explicat.

Num Romana Synodo damnatus ſit Paulus.

Bar. 265. 10. 272. 18. Valeſ. in Euſeb. lib. 7. Petav. de doctr. temp. lib. 13. Pag. ad an. Bar. 265. n. 4. Baſ. 269. 7. Euſeb. lib. 7. 30.

Petav. de Trinit. lib. 3. De Incarnat. lib. 1. 5.

7. Firmilianum Tarſi obiiſſe, cum Antiochiam properaret, Antiochenæ Synodi epiſtola narrat; quem Patricium Cappadocem fuiſſe, Cæſareæ deinde in Cappadocia Epiſcopum, ac magnis viris, Gregorio ſcilicet Thaumaturgo, Origeni, Cypria-

De Firmiliani geſtis, & obitu.

Euſeb. lib. 7. 30.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 269.

Nyſſen. in vita Greg. Thaum. Euſeb. lib. 6. 26. 27.

priano, aliiſque amicitia, & familiaritate conjunctum, ex Nyſſeno, & Euſebio cognoſcimus. De Gregorio Neoceſarienſi audiatur Nyſſenus: *Poſteaquam omnibus diſciplinis externæ ſapientiæ percuſſis incidiſſet in Firmilianum quemdam Patricium Cappadocem, relicto omni ſtudio externæ philoſophiæ, accedit cum illo ad Origenem*. Et iterum: *incidit in Firmilianum ſimilem moribus, & ingenio*. Euſebius vero de Firmiliani cum Origene amicitia: *Florebat tunc temporis Firmilianus Cæſareæ apud Cappadoces Epiſcopus, qui tam propenſo erga Origenem animo fuit, ut modo illum in ſuam provinciam ad Eccleſiarum utilitatem evocaret, modo ad ipſum viſendum in Judæam uſque proficiſceretur*. Firmiliani tamen memoria, ob rebaptizantium errorem, cui impenſe favebat, ut ejuſdem epiſtola ad Cyprianum teſtatur, vel maxime celebrior perſeverat.

Cypr. epiſt. 75. Baſil. de Spirit. S. cap. 29.

Dionyſii Roman. Pontificis obitus.

8. Hoc anno Dionyſius Romanus Pontifex die 26. Decembris migravit e vita, cum Pontificatum tenuiſſet annos decem, menſes aliquot: *Fuit temporibus Gallieni*, ajunt Bucherii Catalogus, & Pontificale, *ex die XI. Kal. Aug. Æmiliano, & Baſſo Coſs. uſque in diem ſeptimum Kal. Januarii Coſs. Claudio, & Paterno*. Sed in iis Catalogis error eſt, qui ex ſignatis Conſulibus facile emendatur; a Conſulatu enim Æmiliani & Baſſi ad Conſulatum Claudii & Paterni cum anni decem excurrerint, vix octo ibidem numerantur. Adverſus Sabellianam hæreſim ſcripſiſſe, ac Romana Synodo condemnaſſe Dionyſium, jam ſupra diximus; de qua Dionyſio Alexandrino plura per litteras ſignificavit: *Cum etenim*, teſte Athanaſio, *quidam ad Romanum Pontificem de Alexandrino detuliſſent, quod filium rem factam, & Patri non conſubſtantialem affirmaret, Romana Synodus rem indigne tulit, & Romanus Epiſcopus, ſcriptis ad cognominem ſuum litteris, omnium ſententiam notam ei fecit*. Apud eumdem Athanaſium extant nonnulla Dionyſii Rom. fragmenta. Sed & epiſtolarum ejus Baſilius meminit: cui Iſidorus duas etiam inſcripſit, ad Urbanum Præfectum, & ad Severum Epiſcopum, tanto impoſtore dignas, ut apud Scheleſtratum, & Blondellum videri poteſt.

Coutan. p. 270 Pag. ad an. 272. Baron.

Athan. epiſt. de ſentent. Dionyſii Alexandrini, & de Synodis cap. 43. Athanaſ. de Synod. Nicen. num. 26., & alibi. Baſil. ad Damaſum epiſt. 2 Scheleſtr. antiq. illuſt. par. 2. Blondell. Iſid. vapul.

Felix Dionyſio ſuccedit.

9. Dionyſio ſublato, poſt dies quinque, ſi vera narrant Catalogi Romanorum Pontificum, Felix, natione Romanus ex patre Conſtantio, ejus ſucceſſor ordinatus eſt, qui *fuit*, ut habet Bucherii Catalogus, *a temporibus Claudii, & Aureliani, a Conſulatu Claudii, & Paterni*, hujus anni Conſulum, *uſque in*

Digitized by Google

in Conſulatum Aureliani, & Capitolini, ideſt, uſque ad annum 274. per annos quinque incompletos, cui tot annos Euſebius, & Bucherianus Catalogus adſignant.

JESU CHR. AN. 269. *Euſeb. lib. 7. 32.*

JESU CHRISTI AN. 270. FELICIS PAPÆ 2.
AURELIANI IMPERATORIS 1.
COSS. FLAVIO ANTIOCHENO, ET FURIO ORPHITO.
OLYMP. 262. AN. 2. URBIS AN. 1023.

1. Triennium cum exegiſſet in Imperio Claudius, hoc anno Sirmii lue tactus interiit: quæ ex barbaris gentibus ad ad Romanos tranſiens, maximam utrinque ſtragem importavit. De illius victoriis adnotat Trebellius: *Sic finitum eſt aſperrimum bellum, terroreſque Romani nominis ſunt depulſi*. De Barbarorum vero cædibus ex Claudii epiſtola ad Brochum hæc addit: *Delevimus tercenta viginti millia Gothorum, duo millia navium merſimus, tecta ſunt flumina ſcutis; ſpathis, & lanceolis omnia littora operiuntur. Tantum mulierum cepimus, ut binas, & ternas mulieres victor ſibi miles poſſit adjungere.* Erga Imperatorem de Republica tot titulis benemeritum officio ſuo nequaquam defuere Senatus, Populuſque; Gothici enim cognomen datum ei fuit, & triumphus deſignatus: inſuper clypeum aureum in Curia, & ſtatuam auream in Capitolio ejus nomini dedicandam Senatus decrevit.

Claudii Imper. obitus.

Trebell. Poll. in Claud. c. 9.

2. Claudio extincto, frater ejus Quintillus ſucceſſit. At ejus Imperium per dies ſeptemdecim, aut viginti duravit; unde inter Imperatores vix recenſetur. Cum enim Pannoniæ exercitus Aurelianum Imperatorem proclamaſſet, Quintillus, qui Aquilejæ eodem fere tempore Imperator dictus fuerat, ab exercitu interfectus eſt: aut, ut alii tradunt, deſectis ſibi venis vita, & Imperio ſponte ceſſit; unde ad Aurelianum tota Imperii majeſtas, nullo reſiſtente, tranſiit.

Quintillus Claudio ſuccedit: deinde Aurelianus.

3. Poſt Valerianum uſque ad Aureliani tempora de Chriſtianorum perſecutione neminem fuiſſe ſuſpectum, tradit Dodwellus. Quare ea, quæ Baronius ex Actis Sanctorum Cyrillæ, Marii, & Marthæ conjugis cum filiis Audiface, & Abachum, Quirini etiam, Callixti, Valentini, aliorumque plurimorum narrat, inter fabulas recenſenda eſſe, una cum Dowello, Baſnagius opinatur; atque iſta quidem ſuſpectæ fidei eſſe ultro concedimus, nulla tamen ſub Claudio martyria fuiſſe

An Claudius Imperator in Chriſtianos ſævierit.

Diſſert. 11. in Cypr. n. 64. *Bar. an. 269. 270.* *Baſnag. an. 270.*

Jesu Chr. an. 270.

ſe profecto negamus. Quis enim in hiſtoria tam hoſpes, ut ignoret, illuſtrioribus ſæpe Martyribus falſa inſcripta fuiſſe acta? Quapropter etſi de ſupradictis non aliter ſentiendum ſit, nil tamen obſtat, quin eos ſub Claudio Imperatore pro fide certaſſe, ac martyrio obiiſſe dicamus, quo imperante Martyres fuiſſe, pro comperto eſt. Et ne dubiis innitamur argumentis, ſcilicet Actis a Baronio recitatis, ex inſcriptione ſanctæ Severæ Martyris in Cœmeterio Thraſonis, & Saturnini via Salaria anno 1730. eruta, & latine, ſed græcis litteris ſcripta, quam erudito commentario illuſtravit Antonius Lupus, id apertiſſime probatur, eam ſiquidem Romæ, *Conſule Claudio, & Paterno*, ideſt, anno Claudii ſecundo, Chriſti 269., *nonis Novembribus die Veneris, luna xxiv.* obiiſſe. Si itaque regnante Claudio, Romæ Severa Martyr occubuit, martyria ſub Claudio fuiſſe, inter fabulas, uti Baſnagio placet, non eſt numerandum.

Aurelianus imperat, ejus origo, & mores. *Vopiſc. in Aurel.*

4. Sublatis Claudio Auguſto, & Quintillo fratre, Domitius Valerius Aurelianus obſcuris parentibus ortus, ſive in Dacia, ſive in Mœſia, aut Sirmii in Pannonia (in diverſas enim opiniones auctores, Vopiſco teſte, abiere), militum voluntate Imperium obtinuit, quem æqui bonique amantiſſimum fuiſſe, ejus epiſtola ad Vicarium ſuum, religioſiſſimi cujuſque Principis digna, teſtatur: *Si vis Tribunus eſſe, immo ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſegetem nemo detrabat; oleum, ſal, lignum nemo exigat, annona ſua contentus ſit, non de lacrymis provincialium babeat; arma terſa ſint, ferramenta ſamiata, calciamenta fortia, veſtis nova veſtem veterem excludat, ſtipendium in baltheo, non in popina habeat, torquem bracchialem, & annulum apponat; equum ſaginarium ſuum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet; alter alteri quaſi ſervus obſequatur, a medicis gratis curentur, Aruſpicibus nihil dent, in hoſpitiis caſte ſe agant; qui litem fecerit, vapulet.* Hucuſque Aureliani epiſtola apud Vopiſcum. Nec verbis tantum, ſed re ipſa hæc exegiſſe Aurelianum, dura nimis, ac ſæva in militem animadverſio declaravit: *Solus denique omnium*, inquit Vopiſcus, *militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, eaſdemque ſubito dimitteret, ut ſciſſus ille utrinque*

Juſtæ leges militibus præſcriptæ.

Aureliani ſeveritas. *Vopiſc. ibid.*

que penderet. Qui etiam, eodem Vopiſco teſte, *multos ſervos e familia propria, qui peccaverant legibus, audiendos judiciis publicis dedit*. Quomodo autem, ſeveritate in crudelitatem converſa, contra jus, faſque Chriſtianos vexaverit, ſuo loco dicemus.

Plotini philoſophi obitus.

5. Hoc etiam anno, quo Claudius Imperator, ingruente lue, interiit, Plotinus Philoſophus Platonicæ ſectæ, cum annum ſexageſimum ſextum ageret, anginali morbo, putreſcentibus membris, in Campania in Zethi familiaris ſui agro inter Minturnas, & Puteolos miſerrime ſupremum diem explevit, ut auctor eſt Porphyrius, qui de ejus ætate, & obitu hæc narrat: *Plotinus annos, ut retulit Euſtochius, ſex & ſexaginta, ſecundo Claudii Imperatoris anno jam peracto*, & paulo poſt: *Jam vero ſi computemus a ſecundo Claudii Imperatoris anno exacto, jam annos ſex & ſexaginta, nativitatis illius tempus cum tertio decimo Severi Imperatoris anno concurrit.*

Porphyr. in Plotini vita.

De Plotini eruditione, & fama.

6. Quanta autem in æſtimatione apud Gentiles Plotinus, ejuſque opera fuiſſent, Longinus Porphyrio ſcribens teſtatur, hæcque ipſe Porphyrius inter cetera narrat: *Senatores non pauci Plotinum ſedulo audiebant, inter quos Marcellus ..... ſimiliter Sabillinus, ac pariter ex eodem Senatu Rogatianus.* Alibi etiam: *Gallienus Imperator, uxorque ejus Salonina Plotinum honorabant, maximeque colebant.* Hinc factum, ut eorum benevolentia fretus, dirutam in Campania urbem reſtaurandam petierit, quam Platonis legibus inſtituere meditabatur: *Quod facile Philoſophus impetraviſſet, niſi quidam Imperatoris familiares, invidia, vel indignatione, vel alia iniqua de cauſa acriter obſtitiſſent*. Superbia vero eouſque efferebatur, ut & Diis quoque ſe præſtare crederet; quare cuidam, qui eum invitaverat, ut Deorum ſacrificiis adeſſet, dixit: *Decet ad me, non me ad illos accedere*. De morbo autem, quo ſuperbus homo interierit, hæc refert Julius Firmicus Maternus, & ipſe ethnicus, qui temporibus Conſtantii Imperatoris floruit. Cum Plotini membra ſanguinis torpore riguiſſent, mox per totam cutem magnis humoribus nutrita peſtis erupit, ut putre corpus, deficientibus membris, corrupti ſanguinis lue tabeſceret: ſerpente deinde morbo, quidquid integrum ſupererat, confecti corporis exulceratio deformat; itaut vel ipſa corrupta facies, hominis etiam figuram amitteret, & in mortuo corpore ſolus ſuperſtes retine-

Plotini ſuperbia, & ſupplicium.

Jesu Chr. an. 270.

retur animus, ut graviſſimorum tormentorum continuatione coactus *vim Fati, poteſtatemque confiteretur*. Mortuum porro tanti etiam fecerunt Ethnici, ut & divinos honores eidem tribuerent; unde, Eunapio teſte, *Plotini aræ etiamnum calent*. Sed de his hactenus.

JESU CHRISTI AN. 271. FELICIS PAPÆ 3.
AURELIANI IMPERATORIS 2.
COSS. DOMITIO AURELIANO AUG. II., ET CEJONIO BASSO.
OLYMP. 262. AN. 3. URBIS AN. 1024.

De Aureliani Imp. geſtis. Zozim. Vopiſc. in Aurel. cap. 18. ſeq.

1. *Aurelianus, confirmato Imperio, cum Roma moviſſet; Aquilejam contendit & inde Pannonias ad nationes acceſſit, quas a Scythis invadi cognoverat*, ait Zozimus: qui & addit, Imperatorem incerta ut plurimum fortuna pugnaſſe, ac tandem cum Scythis pace firmata, ac Pannoniis relictis, Italiam petiiſſe, ut Marcomannis eam vaſtantibus ſeſe objiceret, quorum adventus, ut narrat Vopiſcus, Urbem ipſam deterruerat: *In Urbe ſeditiones motæ, paventibus cunctis, ne eadem, quæ ſub Gallieno fuerant, provenirent*. Conceptum vero timorem auxerat quidem clades a Romano exercitu circa Mediolanum accepta; itaut Aurelianus teterrimæ calamitatis avertendæ cauſſa, Sibyllinos libros aperiri, piaculiſque Numina placari juſſerit, hæc ad Senatum ſcribens: *Miror vos, Patres ſancti, tandiu de aperiendis ſibyllinis libris dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum eccleſia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Age igitur, & Pontificum cæremoniis ſolemnibus juvate Principem neceſſitate publica laborantem. Inſpiciantur libri, quæ facienda fuerint, celebrentur. Quemlibet ſumptum, cujuslibet gentis captivos, quælibet animalia regia non abnuo, ſed libens offero; neque enim indecorum eſt Diis juvantibus vincere*. Ut in Italiam irruperant Marcomanni, Ulpius Syllanus Sibyllinos libros conſulendos cenſuerat, at ceteri recuſaverant Senatores, dicentes, *tantam Principis eſſe virtutem, ut opus non ſit deos conſuli*. Accepto poſtea Aureliani mandato, inſpecti ſunt libri, luſtrata eſt Urbs, cantata carmina, aliaque in Deorum honorem celebrata, ut pluribus narrat Vopiſcus. Interea Aurelianus, revocato in Italiam exercitu, multis prœliis Marcomannos vicit. *In Italia*, ait Victor, *tribus prœliis victor fuit, apud Placentiam, juxta amnem Metaurum, ac Fanum fortu-*

Aureliani Imp. epiſtola ad Senatum, ut conſulantur libri Sibyllini.

Digitized by Google

fortunæ, *poſtremo Ticinenſibus in campis*; quare Italiam, & Urbem metu, periculoque liberavit, atque Romam rediens, Urbi bellum quodammodo intulit, ac nonnullos Senatorii ordinis interfecit: *Eodem tempore venerunt in ſuſpicionem rerum novarum Epitimius*, *& Urbanus*, *& Domitianus*, *ſtatimque deprehenſi*, *pœnas dederunt*. Ceterum etſi natura ferocior eſſet, quin *& ſævus*, *& ſanguinarius*, teſte Eutropio, *ac neceſſarius magis in quibuſdam*, *quam in ullo amabilis Imperator*, *trux omni tempore*, *etiam filii ſororis interfector*; neceſſariam tamen, ac perutilem tunc fuiſſe ejus ſeveritatem ſcribit Vopiſcus: *Viveret Princeps noſter Aurelianus*, *quo neque utilior fuit quiſquam*.

JESU CHR. AN. 271.

Vopiſc. in Aurel. 41.

2. Præterea, ut Urbem ab hoſtium incurſionibus tueretur Aurelianus, ejus muros ampliavit, validioreſque reddidit: *His actis cum videret poſſe fieri*, *ut aliquid tale iterum*, *quale ſub Gallieno evenerat* (cum, irruentibus in Italiam Barbaris, Urbs ipſa in periculum venerat) *proveniret*, *adhibito conſilio Senatus*, *muros urbis Romæ dilatavit*. Quod ſub hujus anni Conſulibus Aureliano, & Baſſo factum fuiſſe Idacius narrat in chronico. Iiſdem Conſulibus, Sapores Perſarum Rex, qui Romanos olim tot cladibus affecerat, quique Valerianum Imperatorem captivum fecerat, cum triginta & unum annum regnaſſet, mortuus eſt, cui Ormiſdas filius ſucceſſit. Hic, cum poſt annum unum, & dies decem occubuiſſet, Uraranes Perſarum Imperium obtinuit, quod poſtea, vix tribus elapſis annis, Uraranes ſecundus ejus filius excepit.

Aurelianus Urbis muros inſtaurat. *Vopiſc. ut ſupra*.

Sapores Perſarum Rex obiit, cui Ormiſdas ſuccedit.

Agath. lib. 4.

JESU CHRISTI AN. 272. FELICIS PAPÆ 4.
AURELIANI IMPERATORIS 3.
COSS. QUIETO, ET VOLDUMIANO.
OLYMP. 262. AN. 4. URBIS AN. 1025.

1. Cum Orientalis Imperii partem maximam Zenobia Odenati vidua teneret, filiorumque nomine adminiſtraret, hoc tandem anno Aurelianus, Gothis & Marcomannis ſubjugatis, rebuſque in Urbe, & Italia compoſitis, in Orientem, adverſus eam bellaturus tranſiit, quod multa felicitate perfecit; alioſque iter agendo multos, & magnos hoſtes devicit. Inter eos Gothorum Ducem *Cannabaudem* cum quinque millibus trans-Danubium interemit. Byzantium deinde, & Bythiniam perre-

Aureliani in Zenobiam expeditio, ejuſque victoriæ.

JESU CHR. AN.272.

perrexit, quam, nullo reſiſtente, occupavit: mox Thyana Heraclamonis perfidia capta, Antiochiam pervenit, ubi Zenobia, magnis inſtructa copiis, ad præliandum parata ſubſtiterat. Sed ibidem iterum victa, cum ſuo duce Zabda Emeſam contendit, unde iterum ab Aureliano fugata, Palmyram munitiſſimam urbem ſe recepit, de ſumma rerum ibidem actura. Sagitta in Palmyrenſi obſidione percuſſus cum diu fatigaretur Aurelianus, de deditione per litteras cum Zenobia egit, non ſolum vitam, ſed & incolumitatem cum ipſi, tum Palmyrenis univerſis promittens. Superbius tamen, quam ejus fortuna ferret, Zenobia oblatas conditiones reſpuit: *Deditionem meam petis*, ajebat, *quaſi neſcias Cleopatram Reginam perire maluiſſe, quam in qualibet vivere dignitate*. Unde Aurelianus Palmyram acrius urgendam, vexandamque curavit, ita ut Mucapori ſcripſerit: *Nulla pars muri eſt, quæ non binis, aut ternis baliſtis occupata ſit, ignes etiam tormentis jaciuntur. Quid plura! timet quaſi fœmina, pugnat quaſi pœnam timens; ſed credo adjuturos Rom. Remp. Deos, qui nunquam noſtris conatibus defuerunt*. Interea cum alimentorum penuria Palmyreni laborarent, eaque de cauſa ad deditionem urgerentur, Zenobia in Perſas ire ſtatuerat, ut ab eiſdem auxilia ad inſtaurandum bellum procuraret. Itaque Dromatibus fugiens, Euphratem ſuperare tentavit, ſed in itinere capta, ad Aurelianum ducitur. Quamobrem re a Palmyrenis cognita, præteritorum venia ab Imperatore impetrata, victori portas aperuerunt; qui, urbe in poteſtatem redacta, opibus, donariis, rerumque omnium apparatu auctus, Emeſam rediit. Ex captivis nonnullos interfecit, alios triumpho una cum Zenobia reſervavit; inter ceteros Longinus philoſophus, cujus opera ad græcas litteras ſcribendas Zenobia utebatur, gladio occubuit.

Vopiſc. c. 26. 27.

Aureliani epiſtola de Zenobiæ dotibus.

2. Quanti autem hanc de Zenobia victoriam Aurelianus fecerit, ejuſdem epiſtola, qua eos arguit, qui Romanis indecorum exiſtimabant de fœmina triumphare, teſtatur: *Audio P. C. mihi objici, quod non virile munus impleverim, Zenobiam triumphando. Nec illi, qui me reprehendunt, ſatis laudarent, ſi ſcirent, qualis iſta eſt mulier, quam prudens in conſiliis, quam conſtans in diſpoſitionibus, quam erga milites gravis, quam larga, cum neceſſitas poſtulet; quam triſtis, cum ſeveritas poſcat. Poſſum dicere illius eſſe, quod Odenatus Perſas vicit, ac fugato Sapore Cteſiphontem uſque pervenit: poſſum aſſe-*

aſſerere tanto apud Orientales, & Ægyptiorum populos timori mulierem fuiſſe, ut ſe non Arabes, non Saraceni, non Armenii commoverent; nec ego illi vitam conſervaſſem, niſi eam ſciſſem multum Romanæ Reipublicæ profuiſſe, cum ſibi, vel liberis ſuis Orientis ſervaret Imperium.

Jesu Chr. an. 272.

JESU CHRISTI an. 273. Felicis Papæ 5.
Aureliani Imperatoris 4.
Coss. Claudio Tacito, et Placidiano.
Olymp. 263. an. 1. Urbis an. 1026.

Aurelianus Carpos vincit, Palmyram vaſtat. *Vopiſc. in Aurel.* 30. 31.

1. *Pacato Oriente*, ait Vopiſcus, *Aurelianus victor in Europam redit*, quo tempore *Carporum copias afflixit*, quorum partem in ſolum Romanum tranſtulit. Cumque *Carpicum* eum Senatus dixiſſet, oblatum titulum indignatus, ad Senatum ſcripſit: *Supereſt P.C., ut me etiam Carpiſculum vocetis*. Jam enim Gothicus, Sarmaticus, Armeniacus, Parthicus, Adiabenicus dictus fuerat; unde *Carpici*, aut *Carpiſcoli* titulum reſpuit. Vix Orientem reliquerat Aurelianus, cum Palmyreni metu liberati, adverſus Romanos rebellarunt; & occiſo Sandarione cum ſexcentis ſagittariis, quos præſidio ibidem Imperator reliquerat, Achilleum quemdam, ut a Vopiſco appellatur, vel Antiocheum, ut a Zozimo, Zenobiæ affinem purpura induunt, & Imperatorem ſalutant. Quin & Marcellinum Meſopotamiæ Præfectum ad defectionem ſollicitarunt. Aurelianus vero, eo accepto nuntio, quamvis *Europenſibus rebus occupatus*, ut habet Vopiſcus, continuo tamen in Orientem cum exercitu rediit, & inopinato Antiochiam perveniens, Palmyram tranſiit, quam militibus diruendam, vaſtandamque conceſſit; itaut abſque ullo conditionis, ſexus, aut ætatis diſcrimine in obvios quoſque ſævierint; quorum tandem licentiam repreſſit, hac ad Cejonium Baſſum epiſtola data: *Non oportet ulterius progredi militum gladios. Jam ſatis Palmyrenorum cæſum, atque conciſum eſt; mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, ſenes jugulavimus, ruſticos interemimus, cui terras, cui urbem relinquemus? Parcendum eſt iis, qui remanſerunt.* Sic ergo urbs nobiliſſima, a Salomone, ut fertur, ædificata, divitiis affluens, ædificiis, ac mœnibus celeberrima, Aureliani ferocia exciſa eſt, ejuſque modo vix veſtigia, antiquæ nobilitatis indicia, ſuperſunt.

2. Pal-

JESU CHR. AN. 273. Aurelianus Ægyptum occupat: dein Gallias, & Hiſpanias. *Vopiſc. in Firm. 5.*

2. Palmyra everſa, in Europam ſecurior Auguſtus rediit, atque in Ægyptum adverſus Firmum, Zenobiæ amicum & ſocium, arma convertit; quo devicto, extinctoque, hæc ad Populum Romanum ſcripſit: *Pacato undique Gentium toto, quo patet Orbe Terrarum, Firmum etiam latronem Ægyptium, barbaricis moribus æſtuantem, & fæminei propudii reliquias colligentem, fugavimus, obſedimus, cruciavimus, & occidimus.* Ægypto autem recuperata, iratus, quod Tetricus Gallias adhuc teneret, Occidentem petiit, & Gallias vix ingreſſus, apud Catalaunos, Tetricum, ejuſque legiones in ſuam redegit poteſtatem. Tetrici deditionem ſpontaneam fuiſſe, tradit Vopiſcus; cum enim militum ſuorum inſolentiam nec ferre, nec reprimere poſſet, ad Aurelianum ſcripſerat: *eripe me his, invicte, malis.* Hinc Euſebius in Chronico: *Aurelianus, Tetrico apud Catalaunos prodente, exercitum ſuum Gallias recepit*; unaque cum Galliis & Hiſpanias obtinuit. Sicque factum eſt, ut, breviſſimo temporis intervallo, in tot partes ſciſſum Imperium in ſuam poteſtatem Aurelianus redigeret. Quare Victor in Epitome hæc de Aureliano litteris prodidit: *Iſte haud diſſimilis fuit Magno Alexandro, ſeu Cæſari Dictatori; nam Romanum Orbem triennio ab invaſoribus recuperavit.* Sed de Aureliani victoriis, & geſtis hactenus: de ipſo enim ſequenti anno iterum dicemus, nobiliſſimum ejus triumphum enarraturi.

Vopiſc. de 30. Tyrann. c. 24.

JESU CHRISTI AN. 274. EUTYCHIANI PAPÆ 1.
AURELIANI IMPERATORIS 5.
COSS. AURELIANO AUG. III., ET JULIO CAPITOLINO.
OLYMP. 263. AN. 2. URBIS AN. 1027.

Aureliani triumphus. *Vopiſc. in Aurel. 32.*

1. *Aurelianus igitur Princeps totius Orbis, pacatis Oriente, Galliis, atque undique terris, Romam iter flexit, ut de Zenobia, & Tetrico, hoc eſt de Oriente, & Occidente triumphum Romanis oculis exhiberet*, ait Vopiſcus de rebus hoc anno ab Aureliano geſtis. Triumphi pompam pluribus idem deſcribit, quem Tetricus, & Zenobia captivorum nobiliſſimi illuſtrarunt. Præ ceteris vero gratiſſimum Romanis fuit, Orientis Reginam, Romano hactenus Imperio inſultantem, catenis aureis vinctam videre, quas, ne pondere gravaretur, ſervi ſuſtentabant. Tot vero gemmis, tantoque auro fulgebat, ut non

non tam decori, quam oneri eſſent. Triumphi ſplendorem Tetricus, una cum filio, clamyde coccinea, tunica galbina, braccis gallicis induti augebant: quos & devictarum gentium captivorum grex manibus vinctis præcedebat, ideſt Blemmyes, Axumitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Perſæ, Gothi, Alani, Roxelani, Sarmatæ, Franci, Suevi, Vandali, Germani. Elephantorum deinde quadriga vectus ſequebatur Aurelianus: & poſt eum currus regii quatuor, quorum unus auro, argento, gemmis ornatus Odenati fuerat, alterum ejuſdem operis dono dederat Aureliano Perſarum Rex, tertius Zenobiæ fuerat, quartus, quem Cervorum quadriga trahebat, Regis Gothorum fuiſſe fertur. *Denique*, ait Vopiſcus, *vix nona hora in Capitolium pervenit* Aurelianus; *ſero autem ad Palatium*; *ſequentibus diebus datæ ſunt populo voluptates ludorum ſcenicorum, Circenſium, Venationum, Gladiatorum, Naumachiæ*. Hactenus de Aureliani triumpho Vopiſcus: de quo ad hunc annum hæc adnotat Caſſiodorus: *His Conſulibus*, Aureliano Aug. III., & Capitolino, *Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus, & Zenobia præceſſerunt*. Tetricum tamen, & Zenobiam non uti captivos Aurelianus habuit, quos non ſolum liberos vivere permiſit, ſed & honoribus cumulavit. Nam Tetricum Lucaniæ præfectura exornavit; filius vero ejus, divitiis, honoribuſque fulgens, inter Senatores Romanos vitam duxit; Zenobia autem una cum filiis, & filiabus in agro Tiburtino non ſolum diu, ſed & magnifice vixit, uti narrat Trebellius: quin eam Romano Senatori nupſiſſe, nonnulli tradunt. Ejus porro filiæ ab Aureliano Imperatore primoribus Romani Imperii viris nuptui ſunt datæ; & Zenobiæ nomine quarto ineunte ſæculo Romæ illuſtris familia habebatur. *Zenobia*, ait Euſebius, *in Urbe ſummo cum honore conſenuit, a qua hodie quoque Romæ Zenobia familia nuncupatur*.

2. Nobiliſſimum triumphum perſecutione adverſus Chriſtianos, hoc eodem anno excitata, fœdaſſe Aurelianum, apprime conſtat: quam cruentam, & diuturnam, ideſt quinquennalem, fuiſſe Baronius, aliique tradunt. Quare cum in notis ad Martyrologium Romanum ille ſcripſiſſet, Aureliani perſecutionem perbrevem, & vix annuam fuiſſe, ea in Annalibus deinde retractavit: *Quamobrem*, ait, *quod diximus in noſtris notis, nonniſi ultimo anno ejus Imperii Aurelianum in*

JESU CHR. AN. 274.

Trebell. de 30. Tyrann. in Zenob.

Euſeb. Chron. pag. 757. to. 8. Op. Hier.

Aurelianus in Chriſtianos perſecutionem excitat.

Baron. ann. 273. 4.

JESU CHR. AN. 274.

Diſſert. 11. *in Cypr. n.* 64. *Ruinart præfat. in Act. Martyr.* *Pag. not. ad an.* 273. *Bar. Baſnag. ann.* 274. *Lactant. de mort. perſec. cap.* 6.

Chriſtianos ſæviiſſe, ex his ducimus corrigendum. Dodwellus vero perſecutionem quidem intentaſſe Aurelianum, nunquam vero exercuiſſe, & plagam, quam elevato cubito minatus fuerat, Deo vetante, non inflixiſſe, ſcribit. Egregie tamen, eum falli, & Lactantii, Euſebiique auctoritate abuti, ab eruditiſſimis viris adnotatum eſt. Sane vel ipſa Lactantii verba, quæ in ſuæ opinionis præſidium profert, erraſſe demonſtrant: *Aurelianus cum eſſet natura ſævus, ac præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminiſſet; tamen oblitus ſceleris ejus, & pœnæ, iram Dei crudelibus factis laceſſivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia furoris ſui extinctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Canofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat*. Perbrevem itaque Aureliani perſecutionem fuiſſe his verbis Lactantius indicat; at tentatam tantummodo, nunquam vero, aut nullibi exercitam, Lactantii verba non probant. Nam etſi inter furoris ſui initia, malo letho functus, antequam in ulteriores provincias feralia edicta pervenirent, quæ cœperat, perficere non potuit, ut nempe toto Romano Orbe Chriſtianorum ſanguinem perfunderet; vis tamen perſecutionis vicinioribus in locis, ubi ea vulgata fuerant, efferbuit: quo factum, ut brevis eadem, & annualis pene eſſet. Alterum vero teſtem, quem ſuæ ſententiæ patrocinari confidentiſſime aſſerit Dodwellus, audiamus, ideſt

Euſeb. lib. 7. 30.

Euſebium, qui de Aureliano hæc adnotat: *Tunc quidem erga noſtros ſic affectus erat Aurelianus*, ideſt in Chriſtianos propenſus, cum Paulum Samoſatenum ab Eccleſia Antiochena ejiciendum juſſit: *proceſſu vero temporis*, ſubdit, *aliter de nobis ſentiens, quorumdam conſiliis cœpit impelli, ut perſecutionem adverſus noſtros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor ſpargebatur. Sed cum paratum jam, & compoſitis contra nos edictis, ut ita dixerim ſubſcribentem, ulta eſt divina Juſtitia, quaſi conſtricto cubito, conatum ejus reprimens, ſimulque omnibus apertiſſime oſtendens, nihil unquam hujus Mundi Principibus adverſus Chriſti Eccleſias licere, niſi propugnatrix Dei dextera arcano quodam, ac cæleſti judicio, ad caſtigationem, & emendationem noſtram, quibus ipſi viſum eſt temporibus, id fieri permiſerit*. Hactenus Euſebius: ex quibus intentatam tantummodo perſecutionem fuiſſe, Dodwellus contendit, non vero ad effectum perductam. Idemque alio Euſe-

Digitized by Google

Euſebii loco confirmare conatur: *Cum diabolus, qui poteſtatem accepit hujus Mundi, tanquam ex altiſſimo ſopore excitari primum cœpiſſet, & poſt illud temporis intervallum, quod perſecutionem Decii, ac Valeriani ſubſequutum eſt, clam adhuc, & occulte inſidiaretur Eccleſiæ &c.*, ideſt ab Imperio Decii, & Valeriani, ad Diocletiani tempora, ne verbum de Aureliani perſecutione addit. Non ea tamen Euſebii ſententia eſt, quam ſibi Dodwellus fingit, atque in primis non ſolum intentatam fuiſſe perſecutionem, ſed & ad effectum perductam ſatis clare indicat, dum ait, ubique perſecutionis rumorem ſparſum fuiſſe; itaut quæ in proximioribus provinciis exercebatur, in remotioribus fama vulgaret. Deinde addit Euſebius: *Compoſitis edictis, ulta eſt divina juſtitia*. Itaque non ſolum meditatis contra Chriſtianos edictis, ſed jam compoſitis etiam, ut ait Lactantius. Cum vero Euſebius ex Decii, & Aureliani perſecutione ad Diocletiani tempora præterit, indicat ſe atrociores, diuturnioreſque perſecutiones commemorare. Qua etiam ratione Sulpicius Severus decem tantum perſecutiones enumerat. Ceterum inter Eccleſiæ Perſecutores Aurelianum recenſent Auguſtinus, & Oroſius: ac quæ de Aureliani perſecutione Euſebii ſententia fuerit, ex oratione Conſtantini ad Sanctorum cœtum conſtat, qua unâ cum Decio, & Valeriano inter Perſecutores Eccleſiæ Aurelianus annumeratur: *Tu etiam, Aureliane, omnium ſcelerum incentivum, cum in Thraciam quaſi aperto Marte, & inſanæ mentis impetu ferebaris; in media via cæſus, orbitas in via impreſſas impio cruore complevisti*. Si minas porro tantum intentaſſet Aurelianus, inter ſæviores Eccleſiæ hoſtes eum non accenſuiſſet Conſtantinus, ſeu potius Euſebius ejuſdem orationis auctor.

Euſeb. lib. 8. 4. — *Euſeb. lib. 8. 4.* — *Auguſtin. de Civit. Dei lib. 18. 52.* — *Oroſ. lib. 7. 23. 27. tom. 6. Biblioth. PP.*

3. Hoc anno Felix Papa tertio Kalendas Januarii martyrio coronatus eſt; ſiquidem a Conſulatu Claudii, & Paterni, ideſt ab anno 269., ad Conſulatum Aureliani II., & Capitolini, ideſt ad hunc annum eum ſediſſe, tradit Auctor Bucheriani Catalogi, qui in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum addit: *tertio Kalendas Januarii* (non verò Junii, ut legitur) *Felicis in Calliſti*. Unde de ejuſdem martyrio dubitare vix poſſumus, quem etiam Martyris titulo & Martyrologia, & Epheſina ſynodus, & S. Cyrillus exornarunt. Supereſt adhuc epiſtolæ ejus fragmentum ad Maximum Alexandrinum Epiſco-

Felicis Papæ obitus, cui Eutychianus ſuccedit.

Pag. not. ad an. 274. Coutan. pag. 291.

 ſco-

Jesu Chr. an. 274.
Coutan. ibid. pag. 291.

ſcopum de Verbi incarnatione, ut apud Cyrillum in Apologetico adverſus Orientales anathematiſmo ſexto videre eſt; idemque fragmentum Marius Mercator latinitate donavit. Aliæ tres epiſtolæ, quæ Felici inſcriptæ ſunt, ad Paternum, ad Galliæ Epiſcopos, & ad Benignum datæ, inter apocryphas recenſentur. Felici ſucceſſit Eutychianus ultimis hujus anni diebus, vel primis ſequentis, de quo ad diem quintam Januarii hæc habet Bucherii Catalogus: *Eutychianus annis octo, menſibus undecim, dies tres, fuit temporibus Aureliani, a Conſulatu Aureliani III., & Marcellini, uſque in diem VII. Idus Decemb., Caro II.; & Carino Conſulibus*, ideſt, uſque ad annum 283.

JESU CHRISTI AN. 275. EUTYCHIANI PAPÆ 2.
TACITI IMPERATORIS 1.
COSS. AURELIANO AUG. IV., ET AVONIO MARCELLINO.
OLYMP. 273. AN. 3. URBIS AN. 1028.

Aureliani Imp. interitus.
Lactant. de mort. Perſec. cap. 6.
Vopiſc. in Aurel.

1. Cum in Chriſtianos perſecutionem excitaſſet Aurelianus, uti anno proximo diximus, mox bellum in Perſas illaturus, iterum in Orientem tranſiit. *Verum illi*, ait Lactantius, *ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt*. De Aureliani interitu narrat Vopiſcus, cum ob ſeveritatem adeo nimiam, ut & filiam ſororis occideret, non magna, neque ſatis idonea cauſa in odium ſuorum incidiſſe. Itaque cum Mneſteum quemdam libertum, quem pro Notario ſecretorum habebat, minitando offendiſſet; neque ille ignoraret Aurelianum nec fruſtra minari ſolere, nec ſi minaretur, ignoſcere, Breve nominum conſcripſiſſe, mixtis iis, quibus Imperator vere iraſcebatur, cum iis, de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiam ſuo nomine, quo magis ingeſtæ ſollicitudinis fidem faceret, eoque ſingulis, quorum nomina continebat, perlecto, omnes ad conſulendum ſibi admonuiſſe: Hos igitur excitaſſe timore, *& dolorem miſcentes beneficiis, atque officiis, quibus Aurelianus videbatur ingratus, in ſupradicto loco* (inter Byzantium, & Heracleam) *iter facientem Principem, ſubito adortos, interemiſſe*. Ita Vopiſcus, qui de interregno ſex menſium, dum Imperatoris electionem Senatui referebat exercitus, & viciſſim ab exercitu Imperatorem Senatus expectabat, hæc ſubdit.

2. Poſt

2. Poſt Aureliani interitum de Imperatore deligendo exercitus retulit ad Senatum; idcirco quod nullum de iis faciendum putabat, qui jam bonum Principem occiderant. Verum Senatus hanc eamdem delectionem in exercitum refudit, ſciens non libenter jam milites recipere Imperatores eos, quos Senatus elegerit. Denique cum id tertio factum eſſet, ſeptimo Kalendas Octobris, ideſt die 25. Septembris, Tacitus Imperator Senatus Conſulto renuntiatus eſt. Victor vero de Cæſaribus: *Menſe*, inquit, *circiter poſt Aureliani interitum ſexto, Senatus Tacitum Imperatorem creat*. In auctores necis Aureliani ſeveriſſime præterea Senatus animadvertit, multaque laude digna fecit. Sed de his Vopiſcum, alioſque de Imperatorum vitis ſcriptores Lector conſulat.

JESU CHR. AN. 275. Tacitus Imperator creatur, ejuſque mores. *Vopiſc. in Tacit.*

JESU CHRISTI AN. 276. EUTYCHIANI PAPÆ 3.
PROBI IMPERATORIS 1.
COSS. CLAUDIO TACITO AUG. II., ET FULVIO ÆMILIANO.
OLYMP. 263. AN. 4. URBIS AN. 1029.

1. *Tacito Romanum Imperium conſecuto*, ait Zozimus, *Scythæ, trajecta palude Meotide, per Pontum ad Ciliciam uſque ſita, incurſionibus vexarunt, quos aggreſſos Tacitus partim ipſe debellatos ad internecionem delevit, partim Floriano Prætorii Præfecto deſignato debellandos tradidit, & in Europam contendit, ubi lapſus in inſidias ex hujuſmodi cauſa necatur*. Nam cum Maximinum propinquum ab eo Syriæ Præfectura exornatum viri principes, in quos aſperrime agebat, interfeciſſent; iidem inita deinde adverſus Tacitum conjuratione, eum quoque vita privarunt. De loco, & mortis genere, quo Tacitus obiit, ſcripores diſſentiunt: *A ducenteſima Regni luce* (ideſt die) *Tyanæ mortuus eſt*, inquit Victor de Cæſaribus; alter vero *ducentiſſimo Imperii die apud Tarſum febri moritur*. Idacius tamen eum Tyanæ ſub Conſulibus anni ſequentis occubuiſſe ſcribit.

Taciti Imperatoris obitus, cui Probus ſuccedit. *Zozim. lib. 1. 63. Vopiſc. in Tacit. 13.*

2. Tacito extincto, Probus, & Florianus de ſumma rerum, ſeu de Imperio decertarunt: *Hinc ad tumultum civilem res redierunt*, ait Zozimus, *aliis in Oriente Probum Imperatorem deligentibus, aliis Romæ conſtitutis Florianum*. Probus quidem obtinebat Syriam, ac Phœnicem, Palæſtinam, & Ægyptum univerſam: a Cilicia vero uſque ad Italiam imperabat

Probus, & Florianus de Imperio certant. *Zozim. lib. 1. 63.*

JESU CHR. AN. 276. rabat Florianus, cui & Trans-Alpinæ nationes parebant, Galli, & Hiſpani cum Inſula Britannica, omniſque Africa cum Mauritania. Bello itaque inter eos concitato, Tarſum Florianus perrexit, ibique caſtra locavit: ſed milites caloribus Orientis inſueti, in morbum incidunt, eaque propter ſeditione facta, Florianum interficiunt, uti narrant Vopiſcus, Zozimus, & Victor de Cæſaribus. Floriano igitur e medio ſublato, Romanum Imperium, nullo reſiſtente, Probus obtinuit, cujus ſane virtutes nomini reſpondebant.

JESU CHRISTI AN. 277. EUTYCHIANI PAPÆ 4.
PROBI IMPERATORIS 2.
COSS. M. AURELIO PROBO AUG., ET M. AURELIO PAULINO.
OLYMP. 264. AN. 1. URBIS AN. 1030.

Origo hæreſis Manichæorum, ejuſque progreſſus.

Euſeb. in Chron. pag. 760. tom. 8. Hierony.

1. Infauſtum Chriſtiano nomini annum ingredimur, quo Manichæorum peſtis in Orbem Terrarum latius graſſari cœpit. Siquidem tempus, quo Manes eorum Princeps innotuit, cum hoc anno ſignavit Euſebius in Chronico his verbis: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos* CCCXXV. *anno juxta Tyrios* CCCCII., *juxta Laodicenos* CCCXXIV., *juxta Edeſſenos* DLXXXVIII., *juxta Aſcalonitas* CCCLXXX. *inſana Manichæorum hæreſis in commune humani Generis malum exorta*. Quibus ſane temporum characteribus præſens annus deſignatur. Sed & S. Leo, Conſulibus Probo, & Paulino, ideſt hoc anno, Manetis hæreſim prodiiſſe, tradit: *Manichæus ergo Magiſter falſitatis diabolicæ, & conditor ſuperſtitionis obſcœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo poſt Reſurrectionem Domini ducenteſimus ſexageſimus annus impletus eſt, Probo Imperatore, Paulinoque Conſule*, ideſt anno labenti. Qua autem ratione Probi, Paulinique Conſulatum cum anno ducenteſimo ſexageſimo Chriſti conjunxerit S. Leo, nobis non conſtat, ac librariorum potius incuria numeros eo loco corruptos eſſe, autumant Eruditi.

S. Leo ſerm. 2. de Pentecoſte.

Queſnel. Ballarin. in hunc locum. Pag. Baſnag. ad an. 267.

Manetis hæreſis omnium peſſima.

Cyrill. catb. 6.

2. Porro etſi Manes hoc anno eruperit; impiæ tamen opinionis origo altius eſt repetenda: de cujus ortu, ita Cyrillus Hieroſolymitanus, catechumenos admonens: *Omnes quidem hæreticos oderis, maxime autem illum, qui a Mania ſeu inſania nomen habet. Manetem dico, qui primum tempore Probi cœpit; nam ante annos ſeptuaginta hic error viguit, & non deſunt, qui auctorem illius ſuis oculis conſpexerunt*. Qua vero

Digitized by Google

vero ratione ad eam inſaniam Manes pervenerit, paulo poſt his fere verbis idem narrat Cyrillus. Scythianus quidam genere Saracenus, nihil cum Chriſtianiſmo habens commune, ſeu, ut refert Epiphanius, in Arabia enutritus, & ex mercatura prædives factus, cum in Ægyptum deſcendiſſet, & philoſophicam vitam Alexandriæ amplexus eſſet, libros quatuor compoſuit, quorum primum appellavit Evangelium, alterum Capitum, Myſteriorum tertium, quartum vero, quem nunc circumferunt, Theſaurorum. In Judæam deinde profectus, ut regionem illam peſtilenti contagione afficeret, ibidem magiæ præſtigiis ſummopere intentus, peſſimo tandem letho interiit: quo tamen ſublato, Terebintus quidam ejuſdem diſcipulus, ac hæres librorum, auri, & hæreſis, eamdem latius adhuc propagavit.

Jesu Chr. an. 277. Scythianus architectus malorum omnium. *Epiph. hær.* 66.

3. Hic enim, utpote blaſphemus, ac ſceleſtiſſimus, e Judæa exturbatus, in Perſidem tranſiit, ac mutato nomine, ne agnoſceretur, Buddam ſeipſum appellavit. Ibi vero cum tamquam impius ad mortem quæreretur, ad quamdam viduam confugit, & ſupra domum aſcendens, maloſque dæmones advocans, quos Manichæi in abominandis ſuis ſacris invocare ſolebant, divinitus percuſſus, ac deorſum proſtratus, extinctus eſt, ſicque altera exciſa beſtia. Sed relictis impietatis ejus monumentis, nempe Scythianis libris, quorum vidua illa hæres fuit, cum ipſa nullum aut cognatum, aut filium haberet, ſervum emit Curbicum nomine (Curbicus autem idem fuit, qui poſtea Manes dici voluit), quem & ipſa adoptavit, & Perſicis diſciplinis erudiendum curavit. Mortua deinde vidua, & pecunia cum libris ad eum translatis, ne ſervitutis nomen illi contumelioſum eſſet, pro Curbico Manem ſe ipſum appellavit, quaſi diſertus ac dialecticus eſſet. At quamvis ex lingua Perſica magnam ſui æſtimationem eo nomine ſibi pararet; divino tamen judicio factum eſt, ut nolens ex eo ſe ipſum argueret, ut in Perſide exiſtimans honorari, apud Græcos inſaniæ nomine ſeſe appellaret. Epiphanius tamen ex Curbico Manetem dictum fuiſſe tradit; quod Babylonica lingua Manes vas ſignificat, ut ſcilicet Apoſtolum imitaretur, qui vas electionis a Chriſto Domino dictus eſt. Porro Manes cum Scythiano a Theodoreto confunditur: *Manes Perſa, dum ſervus erat appellabatur Scythianus*, inter quos Terebenthus intermedius fuit, ut ex Cyrillo, & Epiphanio conſtat. Ceterum

De Terebinto, ſeu Budda Scythiani diſcipulo.

Manetis origo.

Nomen Manes unde.

Theodor. hær. fab. lib. 1.

Jesu Chr. an.277.

terum Curbicus, & Manes, & Manichæus dictus eſt; nam & Manichæi titulo inſcripta legitur illius ad Marcellum epiſtola: *Manichæus Apoſtolus Jeſu Chriſti &c.* In aliis tamen Codicibus *Manes* dicitur: ſed de impoſtoris nomine ſatis, ac plura fortaſſe pro merito.

Manes impoſtor capitur.

4. Presbyterum autem Eccleſiæ catholicæ fuiſſe Manetem, antequam hæreſim doceret, recentiorum aliquot Orientalium fidem ſequens minus vere tradit Derbelot in Bibliotheca Orientali, ad verbum *Manetis*. Quamobrem ad ea libentius, quæ de eodem narrat Cyrillus, orationem convertimus. Infamis itaque ſycophanta dominæ ſuæ hæreditate auctus, opibus ſcilicet, & Scythiani libris, quibus duo rerum omnium Principia coæterna, ſibique invicem adverſantia adſtruebantur, eam opinionem non ſolum ipſe primum amplexus eſt, ſed & ſociatis ſibi diſcipulis, quorum primi Thomas, Buddas, & Hermas fuere, vulgandam cenſuit. Interea accidit, ut, cum ægrotaſſet Regis Perſarum filius, & medicorum turba illi adeſſet, Manes per orationem ſe illum curaturum reciperet: quare recedentibus medicis, cum filius Regis occubuiſſet, illius impietate detecta, vinctus in carcerem ductus eſt, meritas homicidii pœnas mox daturus, niſi fuga ſupplicium evaſiſſet.

Archelaus Epiſcopus adverſatur Maneti.

5. E carcere itaque elapſo, cum in Meſopotamiam adveniſſet, ne ſimpliciores aut incautos deciperet, Archelaus Epiſcopus obſtitit. Cum enim in Caſchara Meſopotamiæ oppido Marcellum quemdam inter Caſcharenos illuſtrem fallere, ſibique ſociare per litteras conaretur, contigit opportune illic adeſſe Archelaum Epiſcopum, a quo, inito cum aliquibus conſilio, ſtatutum fuit, ut Marcellus ad Manetem reſcribens, eumdem ad ſe vocaret. Cum ergo Caſcharam properaſſet, ac totum hæreſis ſuæ venenum expoſuiſſet, ad publicam diſputationem Archelaus illum provocavit, conſtitutis ex communi conſenſu Judicibus, Marſipo ſcilicet externæ doctrinæ philoſopho, Claudio Medico, atque Sophiſta, Ægialco Grammatico, & Cleobolo Sophiſta. Hujus diſputationis hiſtoriam, & ſummam exhibet Epiphanius. Eam vero ab ipſo Archelao Syro primum ſermone fuſe conſcriptam, & in Græcum poſtea converſam, quam ſua ætate extitiſſe ſcribit Hieronymus, temporum injuria deperditam Baronius credidit: ſed in Vaticana demum Bibliotheca inventam Zachagnius ejuſdem Præfectus in

Hier. de Script. Eccl. in Archelaum
Bar. an. 277. 14.
Zachagni Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ monumenta.

JESU CHR. AN. 277.

Valeſ. not. in Socrat. Cellier. Biblioth. Fabric. Biblioth. Græc. tom. 2.

in lucem edidit. Ad illuſtrandam Manichæorum hiſtoriam diſputationem ejuſmodi plurimi faciunt Eruditi, ſi Beauſobrium excipias, qui eam inter apocrypha recenſendam cenſuit. At hæc in Beauſobrio nec nova, nec mira ſunt, qui in Manichæorum hiſtoria ubique temeritatem ſuam prodit, ac paradoxorum congerie nomini ſuo celebritatem comparare viſus eſt. Ejus tamen argumenta plures, inter quos noviſſime Auctor Dictionarii de hæreſibus, Gallice editi, ad verbum *Manes*, egregie oppugnarunt.

Diſputatio publica Archelai cum Manete. *Cyrill. cath. 6.*

6. Ad diſputationem Archelai cum Manete redeamus, de qua præcipua tantum ex Cyrillo adnotabimus. Itaque conſtituto judicum auditorio, & quidem Philoſophorum, ne in gratiam Chriſtianorum ſententia proferri videretur, ab Archelao rogatus Manes, ut doctrinam ſuam libere exponeret; ex Impuro ore hanc imprimis exſecrationem edidit, quod veteris Teſtamenti Deus malorum eſſet inventor, dicens de ſe ipſo: *Ego ignis conſumens*, Archelaus vero ejus blaſphemiam arguens repoſuit: *Si veteris Teſtamenti Deus ignem ſe ipſum dicit, cujus erit filius ille, qui dicit: Ignem veni mittere in terram? Si oderis eum, qui dicit, Dominus mortificat, & vivificat, quare non oderis eum, qui dicit: Ite in ignem æternum? Si odiſti dicentem: Ego Deus faciens pacem, & creans mala; perquire quid dicat Jeſus: Non veni mittere pacem ſuper terram, ſed gladium. Araborum ſunt æqualia dicta; ergo e duobus alterum ſit, neceſſe eſt, aut uterque bonus per eamdem locutionem, aut ſi irreprehenſibilis Jeſus hæc dicens, quare vituperas eum, qui in Lege veteri ſimilia dicebat?* Poſt hæc Manes: Et quis Deus, qui obcæcat homines? Paulus enim dicit: *in quibus Deus hujus ſæculi obcæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*. Hæc autem refellens Archelaus, non de ſolo veteris Teſtamenti Deo, inquit, fuiſſe dictum, quod homines obcæcaverit, ſed etiam de Jeſu Chriſto, qui dixit: *Propterea in parabolis loquor, ut videntes non videant?* Non quod odiſſet illos, volebat, ne viderent; ſed propter indignitatem, quod oculos ſuos ipſi obſtruxiſſent. Deinde obcæcat & ſol lippos, & oculis laborantes male affectos, propter vim luminis; non quod ſol habeat vim excæcandi; ſed quod corrupta videntium natura videre per ſe non poſſit: ſic & infideles ægrotantes in corde non poſſint videre Divinitatis radios. Quare his, aliiſque rationibus,

Deut. 4. Hebr. 12. — *Luc. 12.* — *1. Reg. 2.* — *Iſai. 45.* — *Matth. 10.* — *2. Cor. 4.*

De obcæcatione in impios a Deo immiſſa.

JESU CHR. AN. 277. bus, & argumentis, quæ in ipſa diſputatione apud Zachaguium, Aſſemannum, vel Fabricium videri poſſunt, Manes ab Archelao victus, Caſchara declinavit, & in vicum quemdam Caſcharenſis diœceſis, Diodoridem dictum, ſeſe recepit, unde iterum ab Archelao fugatus eſt. Cum enim ejus loci Presbyterum, nomine Triphonem, tum vitæ innocentia, cum ingenio manſuetiſſimum, corrumpere tentaſſet Manes, is Epiſcopum ſuum, ideſt Archelaum, de lupi in gregem adventu & infeſtatione admonuit. Quare Archelaum illuc continuo advolantem, quemadmodum refert Epiphanius, ut Manes vidit, fugam arripuit, a populo lapidibus obruendus, ni Archelaus ipſe obſtitiſſet.

Manetis epiſtola ad Marcellum. Apocalypſ. 13.

7. Ad ſimpliciores vero fallendos, cum inſtructus eſſet impoſtor, ac agni ſpeciem præferens loqueretur ut draco; ad Marcellum ſcribens, ut hæreſis ſuæ venena propinaret, hæc præfatus eſt: *Manichæus Apoſtolus Jeſu Chriſti, & qui mecum ſunt ſancti, ac virgines, Marcello filio dilecto gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto; & dextera lucis conſervet te ab inſtante ſæculo malo, & accidentibus ipſius, & laqueis diaboli, amen*. Deinde admonens indigne tuliſſe fidem ejus non eſſe juxta rectam rationem, atque ſe ad humani Generis correptionem miſſum, litteras ad ipſum dediſſe narrat, primum quidem ad ſalutem animæ ejus, deinde etiam eorum, qui cum eo erant; ne cum iis erraret, qui docebant bonum, & malum ab eodem ferri, & unum principium introducentes, non diſcernentes, neque dirimentes a luce tenebras, & bonum a malo, & pravo; & externum hominem ab interno, ut dictum eſt in Evangelio, quod non poteſt arbor bona malos fructus ferre, neque arbor mala bonos fructus facere. Mirari porro ſe ſubdit, quo modo Deum, Satanæ, & malorum ipſius operum creatorem, & opificem nonnulli dicerent: *Atque utinam*, proſequitur, *huc uſque ſaltem inanis labor ipſorum proceſſiſſet, & non Unigenitum, qui a ſinu Patris deſcendit, Chriſtum Mariæ mulieris cujuſdam filium eſſe dixiſſent, & ex ſanguine, & carne, & reliqua fœminarum graveolentia natum eſſe*. Hactenus Manes, qui litteram concludit, Marcello pollicitus cetera dicturum, ſi quidem ſalutis ipſe ſuæ curam adhuc geſſiſſet.

Manetis interitus.

8. Verum Manes undecumque fugatus in Arabionis caſtello aliquandiu delituit, ubi tamen a ſatellitibus Perſis detectus,

Jesu Chr. An. 277.

ctus, & ad Regem ductus, extremo ſupplicio damnatus eſt: *Regis enim Perſarum ſatellites*, ait Cyrillus, *perquirentes flagitioſum illum comprehenderunt*. Tunc Rex, exprobrata Maneti & filii cæde, atque fuga e vinculis, excoriari lege Perſica mandavit, ac reliquum corpus beſtiis devorandum tradi: cutem vero, qua tanta illius improbitas continebatur, tamquam utrem ante portas ſuſpendi. Arundine autem excoriatum fuiſſe conſtat; eaque de cauſa Manichæos, ſuper arundines accubare ſolitos fuiſſe, auctor eſt Sanctus Auguſtinus, eoſdemque Mattarios etiam dici, eo quod ſuper mattas jacerent.

Manetis libri, ejuſque præcipui diſcipuli.

9. Manete extincto, ejus tamen hæreſis extincta non fuit. Nam libros inſaniæ ſuæ teſtes, & diſcipulos propagatores reliquit, præter epiſtolam ad Marcellum, quam *fundamenti* Manichæi appellabant; eo quod impietatis ſuæ capita complecteretur. Hujuſmodi vero epiſtolam, quæ in collatione Hipponenſi Auguſtinum inter, & Felicem Donatiſtam habita anno 404. lecta fuit, Auguſtinus poſtea confutavit. Inter opuſcula vero a Manete vulgata primum de Fide receuſebatur: deinde liber myſteriorum, in viginti duas partes diviſus pro numero litterarum linguæ Syriacæ: tertius Theſauri titulo exornatus erat, cui addidit minorem theſaurum: demum liber de Aſtrologia: in quibus paſſim ex apocryphis SS. Thomæ, Andreæ, & Joannis Apoſtolorum Actis, quæ ſacrilego Leucius ſtilo conſcripſerat, plura ſanctis viris indigna uſurpavit. Ejus porro diſcipuli, errorumque hæredes, ac ſatores tres fuerunt, Thomas ſcilicet, Buddas, & Hermas, de quibus hæc monet Cyrillus: *Nemo legat ſecundum Thomam Evangelium; non enim eſt unius ex duodecim Apoſtolis, ſed unius ex tribus Manetis diſcipulis. Nemo corrumpatur ab animarum corruptoribus Manichæis, qui triſtibus aquis mæſtitiam jejunii ſibi inducunt; qui factorem quidem ciborum calumniantur, cibos autem optimos quoſque vorant, & eos, qui illis cibos afferunt, hilari facie recipientes, pro benedictionibus maledictis inſectantur*. Moxque ibidem adnotat: *Cum enim ignorans aliquis illis affert panem: Paululum, inquit, extra ſubſiſte, & benedicam tibi. Deinde in manus recipientes panem, (quemadmodum illi, qui ex illis pœnitentiam agentes confeſſi ſunt) ego te, dicit Manichæus pani, non feci, & execrans projicit in altum, & maledicit ei, qui fecit illum, atque ſic factum comedit. Si oderis cibos, cur hilari facie intueris illos afferentem? Si danti habes*

Auguſt. contra epiſt. Manichæi. Epiph. hær. 66. 13.

Cyrill. Epiph. ut ſupra.

JESU CHR. AN. 277.

habes gratiam, cur factorem, & opificem omnium blaſphemas? His alia in Creatorem, & creaturas maledicta ſubdit: tum infandas turpitudines, ac fœditates, quas vel in ipſis ſacris Manichæorum conventibus peragebantur, quæ referre non juvat.

Manichæorum ſtultitia.

10. De ipſorum deliramentis hæc ſubjicit: *Tonat Deus, & omnes tremimus, illi autem blaſphemant. Fulgurat Deus, & omnes ad terram inclinamur; illi vero nefandas in Cœlum movent linguas. Jeſus dicit de Patre: Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. At illi dicunt, quod pluviæ ex quadam amatoria inſania fiunt. Et audent dicere, quod ſit quædam virgo in Cœlo pulchra cum juvene pulchro, &, more Camelorum, aut luporum, illos quoque turpis concupiſcentiæ tempus habere; & cum fiunt tempeſtates, furendo illum inſtare virgini, ac illam quidem fugere, hunc autem inſequi; atque tum currendo ſudare, & ex illius ſudore pluviam eſſe. Hæc ſcripta in Manichæorum libris: hæc nos legimus, non credentes dicentibus; propter veſtram enim ſecuritatem, etiam perditionem curioſe ſcrutabamur.* Hactenus Cyrillus ad catechumenos, ipſos admonens, ut ab ea peſte, & inſania caverent, atque Eccleſiæ Catholicæ unitati inhærerent, cujus auctoritate omnes Hæreticorum conatus evertuntur, uti egregie ab Auguſtino contra Manichæos ſcribente adnotatur.

Matth. 5.

Auguſt. contra epiſt. Manichæi, ſive fundam. c. 4.

Manichæorum errores & portenta.

11. Inter cetera Manichæorum portenta, Chriſtum humanam carnem habuiſſe, aut in carne fuiſſe paſſum negabant, humanique generis redemptionem, cui chriſtiana Religio tota innititur, penitus ſpernebant: *Utinam nec Unigenitum Dei Filium*, ajebat Manes in epiſtola ad Marcellum, *qui e ſinu Patris deſcendit, Mariæ cujuſdam mulierculæ filium eſſe dicerent, & ex ſanguine, & carne, & reliqua fœminarum graveolentia natum.* Hinc interroganti Auguſtino, cur Paſchatis feſtum nulla fere, aut permodica celebritate frequentarent; diem vero, quo Manichæus occiſus eſt, honoribus proſequerentur, reſponſum eſt a Manichæis, *ejus diem paſſionis celebrandum eſſe, qui vere paſſus eſt, Chriſtum autem, qui natus non eſſet, neque veram, ſed ſimulatam carnem humanis oculis oſtendiſſet, non pertuliſſe, ſed finxiſſe paſſionem.* Duas etiam animas in unoquoque corpore fuiſſe tradebant: *Unam de Deo, quæ naturaliter hoc ſit, quod Deus ipſe, alteram de gente tenebrarum,*

Auguſt. contr. epiſt. Fundam. cap. 8.

quam

quam Deus nec genuerit, *nec fecerit*. Deum Patrem, lucem ſummam, & principalem incolere effutiebant, Chriſti virtutem in ſole habitare, ſapientiam in luna, Spiritum Sanctum, qui eſt majeſtas tertia, aeris ambitu, pro diverſorio uti: hominem vero non a Deo procreatum eſſe, *ſed a principe materiæ*, *quem Saclam nominabant*: Chriſtum etiam ſerpentem fuiſſe ajebant, qui Protoplaſtos illuminavit, ut bonum, & malum agnoſcerent; eumque noviſſimis temporibus ad animas ſalvandas adveniſſe: Deum, qui legem per Moyſem dedit, *non eſſe verum Deum*, *ſed unum ex principibus tenebrarum*. Electos autem ſuos, quos Manichæus *inter animas Platonis in cæleſtibus collocat*, *dicit omni carere peccato*, *nec ſi velint*, *poſſe peccare*; *ad tanta enim eos virtutum culmina tranſcendiſſe*, *ut carnis operibus illudant*. Quid multa? Fatum introduxit, libertatem humani ſuſtulit arbitrii, corpora ex aliis in alia tranſmutari aſſeruit, Legem, & Prophetas rejecit. Hæc ſunt impuri hominis præcipua errorum capita, ut non tam monſtrum, quam monſtrorum colluvies videatur, & facilius quis Augiæ ſtabulum purgaret, quam errorum Manetis catalogum texeret.

JESU CHR. AN. 277.

12. Itaque cum carnem a malo principio procreatam Manichæi dicerent, perpetuum contra eam bellum, ſed irrationabile gerebant, quippecum probroſis contumeliis, & immunditiis afficerent, omni turpitudinum, libidinumque genere ſeſe deturpantes. Hinc Gnoſticorum exemplo, in rebus etiam ſacris (quod dictu quoque, & auditu horrendum eſt) humanum miſcuiſſe ſemen, convicti ſunt, uti Auguſtinus teſtatur. Eadem de cauſſa, quod carnem ex materia, & materiam a mali Principio fluxiſſe dicerent, omnem generationem in hominibus, in brutis, ceteriſque corporibus animatis, aut vegetantibus, arboribus ſcilicet, herbis &c. deteſtabantur, & quoad poterant, impediebant, ut eos pluribus redarguens, S. Auguſtinus oſtendit. Quare una S. Leonis Papæ ſententia profundi ſcelerum putei os obſtruere conſultius erit: *Cum diabolus in cunctis perverſitatibus multiformem teneat principatum*, *arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxit inſania*, *& latiſſimam in ea aulam*, *in qua ſe exultantius jactaret*, *invenit*; *ubi non unius pravitatis ſpeciem*, *ſed omnium ſimul errorum*, *impietatumque mixturam generaliter poſſideret*. *Quod enim in Paganis profanum*, *quod in Judæis carnalibus cæcum*, *quod in ſecretis magicæ artis illicitum*, *quod denique in omnibus hæreſibus ſacri-*

Manichæorum turpitudines.

Aug. de hær. cap. 46.

Auguſt. contra Fauſtum lib. 19.

S. Leo ſerm. 5. *de jejun.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 277.

ſacrilegum, atque blaſphemum eſt, hoc in iſtos, quaſi in ſentinam quamdam, cum omnium ſordium concretione confluxit. Unde univerſas eorum impietates, & turpitudines enarrare perlongum eſt. Superat enim verborum copiam criminum multitudo.

Manichæi alii audientes, alii electi. Ex electis alii Epiſcopi, alii Diaconi.

Auguſt. lib. 10. contra Fauſtum 6. epiſt. 74. De hær. cap. 46. De moribus Manich. cap. 20.

13. Manichæorum autem ſynagoga ex Electis, & Audientibus conſtabat: *His duabus profeſſionibus Electorum, & Auditorum eccleſiam ſuam conſtare voluerunt*, ait Auguſtinus. Ex Electorum numero Epiſcopos, & Diaconos ordinabant: propter quod etiam duodecim diſcipulos Manetes habuit, adinſtar Apoſtolici numeri, quem numerum Manichæi aduſque tempora Auguſtini ſervabant. Atque ex Electis ſuis duodecim, quos appellabant magiſtros, eligebant, & tertium decimum Principem ipſorum. Epiſcopos autem ſepuaginta duos a magiſtris ordinatos habebant. Epiſcopi vero Presbyteros & diaconos, ut ſibi inſervirent, ordinabant, ut narrat Auguſtinus olim ejuſdem ſectæ Auditor, quibus multa permittebantur, Electis vetita: *Auditores enim*, ipſo Auguſtino teſte, *& carnibus veſcuntur, & agros colunt, & uxores, ſi voluerint, habent, quorum nihil faciunt, qui vocantur Electi. Uno verbo tribus diſtinguebantur ab Auditoribus Electi, ore, manu, & ſinu*; ore, quod nec vinum biberent, nec carnibus veſcerentur; manu, quod animantium cæde, & ſtyrpium laceratione temperarent; ſinu, quod a nuptiis abſtinerent.

Manichæi in plures ſectas diviſi.

14. Iidem vero, quamvis ex uno Manete prognati, temporis progreſſu in plures diviſi ſunt ſectas, in Macharios ſcilicet, Cathariſtas, & Manichæos dictos; quorum etſi de duobus principiis communis eſſet blaſphemia, in nonnullis tamen re, & nomine diſtinguebantur. Cathariſtæ præ ceteris, inſtante Urſo Tribuno, Carthagine convicti ſunt neſandæ libidinis, quam Cyrillus, & Auguſtinus Manichæis exprobrant. De Manichæorum vero moribus Auguſtinum Lector conſulat, fide quidem ceteris digniorem; utpote qui aliquando uti diximus impuræ ſectæ aſſecla eorum vivendi rationem, atque dogmata diligentiſſime ſcrutatus fuerit.

Cyrill. Cath. 6. Aug. de hær. 46. Id. Aug. lib. de moril. Manich.

De propagatione hæreſis Manichæorum.

15. Id etiam in Manichæis mirum videri poteſt, quod ſi quos ſemel dementaſſent, non ſolum laqueo, ſed ferreis quodammodo catenis ita devinciebant, ut difficile extricarentur; &, ut ait Theodoretus: *Præſtigiis quoque utuntur, ſcelerata myſteria agentes; ea de cauſa valde difficulter elui poteſt eorum doctrina; & qui execrandis eorum orgiis interfuerit.*

Digitized by Google

rit, eorumdem particeps extiterit, valde eſt difficile tranſmovere. Quibus autem verborum illecebris incautos ſeducerent, Auguſtinus expertus ſic narrat: *Noſti enim, Honorate, non aliam ob cauſam nos in tales homines incidiſſe, niſi, quod ſe dicebant terribili auctoritate ſeparata, mira, & ſimplici ratione eos, qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem, ſpreta Religione, quæ mihi puerulo a parentibus inſita erat, homines illos ſequi, ac diligenter audire, niſi quod nos ſuperſtitione teneri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent, ſe autem nullum premere ad fidem, niſi prius diſcuſſa, & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præſertim adoleſcentis animus, cupidus veri?*

JESU CHR. AN. 277.

Auguſt. de utilit. credend. cap. 1. Confeſſ. lib. 3. 6. 11. & lib. 5. 6.

16. Tanta porro ſagacitate incautis ſeſe Manichæi inſinuabant, ut nullam impuræ ſectæ dilatandæ occaſionem prætermitterent, quod miro exemplo Auguſtinus confirmat: *Solent aucupes ponere in muſcipula muſcas, ut eſurientes aves decipiant; ſic & iſti ad muſcas a diabolo decepti ſunt. Nam neſcio, quis tædium patiebatur a muſcis: invenit illum Manichæus tædio affectum, & cum diceret, ſe non poſſe pati muſcas, & odiſſe vehementer illas; ſtatim ille: Quis fecit has? & quia tædio affectus erat, & oderat illas, non auſus eſt dicere, Deus illas fecit; erat enim Catholicus. Ille ſtatim ſubjecit: Si Deus illas non fecit, quis ea fecit? Plane, ait ille, ego credo, quod diabolus fecit muſcas. Et ille ſtatim: Si muſcam diabolus fecit, ſicut te video confiteri, quia prudenter intelligis: apem quis fecit, quæ paulo amplior eſt muſca? Non auſus eſt ille dicere: Quia Deus fecit apem, & muſcam non fecit; quia res erat proxima. Ab ape duxit locuſtam, a locuſta ad lacertum, a lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, poſtremo ad hominem, & perſuaſit homini, quia non a Deo factus eſt homo. Ita ille miſer, cum tædium paſſus eſt a muſcis, muſca factus eſt, quem diabolus poſſideret.* Quibus artibus factum eſt, ut totum propemodum Orbem ſua peſte infecerint, & veluti zizania in dominico agro ſemel immiſſa, ſæpius etiam exciſa, ſemper repullulaverit, & ad hæc uſque tempora adhuc inter barbaras Orientis nationes perſeveret.

Manichæorum artes ad incautos decipiendos.

Auguſt. in Joan. Tract. 1. 1.

17. Adverſus impuram adeo ſectam quamplurimi doctrina, & pietate illuſtres viri ſcripſerunt. Omnium primus Arche-

De Scriptoribus, qui Manichæiſmum profligarunt.

JESU CHR. AN. 277.

Hieronym. de Scrip. Eccleſ. cap. 72.

Archelaus Caſcharorum in Miſopotamia Epiſcopus, cujus cum Manete diſputationem adhuc extare jam prænotavimus, atque in hæc verba Hieronymus meminit: *Archelaus Epiſcopus Meſopotamiæ librum diſputationis ſuæ, quam habuit adverſus Manichæum, Syro ſermone compoſuit, qui translatus in Græcum habetur a multis. Claruit ſub Imperatore Probo*. In ſynodico etiam a Labbeo edito, Archelaum Manetis hæreſim ſua ſynodo damnaſſe, legitur. Poſt Archelaum vero innumeri alii eamdem confutarunt. *Adverſus Manetis impietatem*, ait Theodoretus, *ſcripſerunt præclari veritatis patroni, Titus, & Diodorus, quorum alter fuit Paſtor Boſtrenorum Eccleſiæ; alter vero rexit Cilicum Metropolim. Scripſit etiam Georgius Laodicenus, vir, qui fuit quidem fautor hæreſis Arianæ, in philoſophicis autem diſciplinis eruditus, præter autem eos Phœnix Euſebius*. His alios addit Epiphanius. Felicius præceteris, & locupletius id præſtitit Auguſtinus, pluribus in eam rem editis libris. Sed enim hæc peſtis, Manichæorum nempe hæreſis tot blaſphemiis, convicta, & a tot, tantiſque Eccleſiæ Patribus confutata hoc eodem ineunte ſæculo apologiſtam invenit in Petro Baelio, ob ſcribendi temeritatem toto Orbi notiſſimo; hic enim tum in Dictionario hiſtorico-critico, tum in quæſtionibus, & reſponſionibus ad Provincialem, nefariam ejuſmodi ſectam ſummopere commendavit; ac præcipuum ejus dogma de duobus Principiis coæternis, ſibique invicem adverſantibus, quorum alterum bonum ſit, unde bona in hunc Mundum fluxerunt, alterum malum, ex quo tot mala prodierunt, rectæ rationi conſonum adeo judicavit, ut nulla vi, nullave auctoritate poſſit convelli. Quot inde abſurda ſequantur, non ſolum eruditus Lector, ſed etiam Chriſtianus quiſque facile intelligit: cumque in his refellendis inſtituti noſtri ratio immorari non patiatur, hæc adnotaſſe ſufficiet. Ceterum Baelii argumenta, ſeu verius ſophiſmata & portenta, plurimi ex Catholicis, & Acatholicis confutarunt, quorum catalogum exhibet prælaudatus Dictionarii hæreſum Auctor.

Baelii, & Beſobrii arguitur temeritas

Bajle diction. tom. 3. p. 306.

JESU

JESU CHRISTI an. 278. Eutychiani Papæ 5.
Probi Imperatoris 3.
Coss. Probo Aug. II., et Furio Lupo.
Olymp. 264. an. 2. Urbis an. 1031.

1. Tanta felicitate ubique pugnavit Probus, ut Barbarorum plurimos ſolo adventu fugaverit, aut ad deditionem coegerit; unde vel peragrando graviſſima, periculoſaque bella confecit. Non ſolum enim Romano Imperio Gallias reſtituit, Rhetias ſic pacatas reliquit, ut ne ſuſpicionem quidem terroris relinquerent; ſed & in Illyrico Sarmatas, ceteraſque gentes ita repreſſit, ut prope ſine bello extra limites Romani Imperii fugaverit: denique per Thracias diverſas Gothorum nationes, fama territas, in fidem recepit, uti pluribus narrant Vopiſcus, Zoſimus, aliique Scriptores; atque hæc partim elapſo, partim labenti anno geſta ſunt. Neque bello tantum Probus claruit, ſed & virtutibus; quem Gallienus Imperator tanti faciebat, ut Tribunis Illyricianis ſcripſerit: *Etiamſi Patrem meum fatalis belli Perſici neceſſitas tenuit; habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante, poſſim eſſe ſecurus*. Tacito etiam Imperatori percarus fuit, uti hæc ad eum ſcripta teſtantur: *Adeſto noſtris neceſſitatibus familiæ, aſſere, ut ſoles, Remp. Nos tibi decreto totius Orientis ducatu ſalarium quintuplex fecimus*. Manilius vero Statianus, dum de ejuſdem ad Imperium inauguratione epiſtolæ allatæ ſunt, coram Senatu veriſſime de eo hanc protulit ſententiam: *Si recte cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Trajanus, non Claudius requirendi ſunt. Omnia in uno conſtituta ſunt, rei militaris ſcientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ Reipublicæ*.

De geſtis Probi Imp., ejuſque animi dotibus.

Vopiſc. in Prob. Zoſim.

JESU CHRISTI an. 279. Eutychiani Papæ 6.
Probi Imperatoris 4.
Coss. M. Aurelio Probo Aug. III., et Ovinio Paterno.
Olymp. 264. an. 3. Urbis an. 1032.

1. Tribus Conſulum paribus expunctis, ideſt Æmiliano, & Baſſo anni 259., Sæculari, & Donato an. 260., ac Probo Aug. II., & Lupo an. 278., in rectam tandem viam hoc an-

Baronius Chronologiam ſuam emendat.

JESU CHR. AN. 279. *Pag. ad an.* 278. 279. no rediit, Chronologiamque hactenus deturpatam reſtituit Baronius, vir alioquin immortalitate digniſſimus, ut ait Pagius, qui, ut veram temporum rationem indagaret, nullum non movit lapidem, nulloque pepercit labori: ſed cum eo tempore Annales ſcribendos ſuſcepiſſet, quo nullus adhuc aut Faſtos illuſtrare, aut Chronologiam digerere, ac tempora diſtinguere tentaverat, mirum non eſt eum, alioſque Chronologos in tanta rerum antiquitate, implicationeque aliquando erraſſe. Unus præ ceteris Cardinalis Norifius Faſtos Conſulares ſuo ſplendori reſtituit: poſt eum Pagio, aliiſque facile fuit reliqua addere, & illuſtrare. His ducibus noſtram Chronologiam digeſſimus, quæ jam facili, ſecuroque itinere progreditur.

Probus Imp. cum Perſis pacem iniit. *Vopiſc. in Prob.* 16. 2. Cum Probus in Orientem tranſiiſſet hoc anno, Barbaros in Iſauria repreſſit, & cum Perſis pacem rogatus iniit. In Thraciam deinde rediens Gepidas, & Vandalos, qui violato fœdere in Romanum ſolum, illud vaſtaturi, irrepſerant, Vopiſco teſte, fugavit.

JESU CHRISTI AN. 280. EUTYCHIANI PAPÆ 7.
PROBI IMPERATORIS 5.
COSS. MESSALA, ET GRATO.
OLYMP. 264. AN. 4. URBIS AN. 1033.

Saturnini rebellio. *Vopiſc. in Saturnin.* 1. Externis devictis hoſtibus, in domeſticos arma hoc anno Probus convertit; nam Saturninus, Ægyptiorum inſtinctu, Imperium uſurpaverat. De quibus agens Vopiſcus, dum Ægyptios levitatis coarguit, in Chriſtianos quoque, & Samaritas ſtylum acuit: *Sunt enim*, inquit, *Ægyptii, (ut ſatis noſti) viri ventoſi, furibundi, jactantes, injurioſi, atque adeo vani, liberi, novarum rerum uſque ad cantilenas publicas cupientes, verſificatores, epigrammatarii, mathematici, aruſpices, medici; nam & Chriſtiani, Samaritæ, & quibus præſentia ſemper tempora cum enormi libertate diſpliceant.* His vero addit Hadriani Imperatoris epiſtolam, qua Chriſtianos, & Samaritas eadem de re expoſtulabat, ut ſuo loco adnotavimus. Injuria tamen hæc de Chriſtianis Vopiſcum addidiſſe nemini dubium eſt, ut ex Origene, & Dionyſio Alexandrino ſupra diximus.

Saturnini interitus. 2. Invitus fere, ac inſanæ plebis clamoribus, militumque perfidia coactus Imperium in Ægypto Saturninus invaſerat.

rat. Quare non ſine lacrymis purpuram induens, dixit: *Neceſſarium Reſpublica virum perdidit: Ego certe inſtauravi Gallias, ego a Mauris poſſeſſam Africam reddidi, ego Hiſpanias pacavi. Sed quid prodeſt? omnia hæc affectato honore perierunt*. Quin & circumſtantibus addidit: *Quod Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis*. Probus datis ad ipſum litteris, veniamque pollicitus ad officium revocare conatus eſt: verum cum epiſtolis, ne ſe Probo Saturninus traderet, milites obſtitiſſent, in caſtello quodam obſeſſus, & captus, jugulatus eſt. De loco, quo occubuit, hæc habet Euſebius: *Saturninus magiſter exercitus novam civitatem Antiochiæ exorſus eſt condere* (ideſt novis ædificiis Antiochiam ampliare), *qui poſtea Imperium molitus invadere, Apameæ occiditur*.

Euſeb. Chron. apud Hier. tom. 8.

3. Alium quoque Tyrannum in Galliis Probus extinxit, Proculum ſcilicet, patria Albigaunum, arte latronem magis, quam militem. Eumdemque exitum ſortitus eſt Bonoſus, qui eodem tempore adverſus Probum rebellavit, quique etſi militari virtute excelleret, vini tamen potatione magis inclaruit; ita ut de eodem diceret Aurelianus: *Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat*. Is dubio, gravique certamine ſuperatus, laqueo tandem periit: hinc jocus, *Amphoram pendere, non hominem*. Uxori, & filiis ejus Probus pepercit, de quibus conſulendus Vopiſcus.

Proculum, & Bonoſum tyrannos Probus extinguit

Vopiſc. in Prob. in Procul. in Bonoſ.

JESU CHRISTI AN. 281. EUTYCHIANI PAPÆ 8.
PROBI IMPERATORIS 6.
COSS. M. AURELIO PROBO AUG. VI., ET JUNIO TIBERIANO.
OLYMP. 265. AN. 1. URBIS AN. 1034.

1. Hoſtibus ubique victis, pacatoque Romano Imperio, ad triumphum tot victoriis debitum, Romam Probus hoc anno rediit, quem ita Vopiſcus deſcribit: *Arbores validæ per milites radicitus vulſæ, connexis longe lateque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperjecta, totuſque Circus ad ſilvæ conſitus ſpeciem, gratia novi viroris effronduit, immiſſis deinde per omnes aditus ſtruthiones mille, mille Cervi, mille Apri, mille Damæ, Ibices, Oves feræ, & cetera herbatica Animalia; immiſſi deinde populares, rapuit quiſque, quod voluit. Addidit alia die in Amphiteatro una miſſione centum jubatos Leo-nes*,

Probi Imperatoris triumphus.

Vopiſc. in Probo cap. 19.

JESU CHR. AN. 281.

nes, qui rugitibus ſuis tonitrua excitabant; editi deinde centum Leopardi Lybyci, centum deinde Syriaci, centum Leænæ, & Urſi ſimul trecenti. Edita Gladiatorum paria trecenta, Blemmys pleriſque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, pleriſque Germanis, & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Iſauris. Hactenus Vopiſcus de Probi Imperatoris triumpho, quem in ſequentem annum Pagius protrahendum cenſuit, ut cum hypaticis regulis convenire poſſet. Quas tamen an Probus, aliique Imperatores ſervaverint, nullibi ſane conſtat: quare, bello peracto, hoc triumphaſſe anno, vero propius cenſemus.

JESU CHRISTI AN. 282. EUTYCHIANI PAPÆ 9.
CARI IMPERATORIS 1.
COSS. M. AURELIO PROBO AUG. V.,
ET POMPONIO VICTORINO.
OLYMP. 265. AN. 2. URBIS AN. 1035.

Probi Imperatoris interitus.

1. Tot rebus hactenus præclare geſtis, cum alteram in Perſas expeditionem hoc anno ſuſcepiſſet Probus, militum ſuorum armis, & perfidia periit. *His peractis*, ait Vopiſcus, *bellum Perſicum parans, cum per Illyricum iter faceret, a militibus ſuis per inſidias interemptus eſt*, cum per annos ſeptem incompletos imperaſſet. Rebellandi hanc occaſionem milites habuiſſe ex Vopiſco intelligimus, quod nempe: *Cum Solum patrium*, ideſt Sirmienſe, *effecundari cuperet, & dilatari, ad ſiccandam quamdam paludem, multa ſimul millia militum poſuit. Permoti milites confugientem eum in turrim ferratam interemerunt*. Iidemque defuncto nobiliſſimum ſepulcrum erexerunt: *Poſtea tamen ingens ei ſepulcrum, elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt, cum titulo hujuſmodi inciſo marmori: Hic Probus Imperator, & vere Probus ſitus eſt, victor omnium Gentium barbararum, victor etiam Tyrannorum*.

Eutrop., Victor, & Euſeb. Pag. Murat. Tillem. Baſn. hoc anno.

Carus Imperator eligitur. De ejuſdem dotibus.

2. Conceptum ex Probi Imperatoris interitu luctum Cari electio aliquatenus temperavit: *Vir*, uti ait Vopiſcus, *inter bonos magis, quam inter malos Principes collocandus*. Cari patria in obſcuro eſt; namque alii Pœnum, alii Illyricum, vel Gallum, Narbonæ natum tradunt. Origine tamen Romanum ſe fuiſſe, in epiſtola ad Junium ipſe his verbis teſtatur:

Vopiſc. in Caro. Eutrop. & Aurelius Victor in epitome.

tur: *Fac igitur, ut majoribus noſtris, ideſt Romanis, non diſcrepemus viris*. Per civiles, & militares gradus Marcus Aurelius Carus (ſic enim paſſim appellatus eſt) eo pervenit, ut Probus eum Præfectura Prætorii exornaret, plurimumque Senatui commendaret: *Felix eſſet noſtra Reſpublica, ſi qualis Carus eſt, aut plerique veſtrum plures haberet in actibus collocatos; quare equeſtrem ſtatuam viro morum veterum, ſi vobis placet, decernendam cenſeo, addito eo, ut publico ſumptu, vel eidem exædificetur domus marmoribus a me delatis*. Tanta vero benevolentia milites ſibi devinxerat Carus, ut, Probo extincto, ipſum ſolum Imperio dignum judicaverint. Ubi porro purpuram induit, in hæc verba ad Senatum ſcripſit: *Gaudendum eſt, Patres Conſcripti, quod unus ex veſtro ordine, veſtri etiam generis factus eſt Imperator; quare enitemur, ne meliores peregrini, quam veſtri eſſe videantur*; atque, ut Probo divini honores tribuerentur, Senatum ipſum rogavit.

3. In Probi vero interfectores curavit, ut *acerrime, & conſtantiſſime animadverteretur*, ait Vopiſcus. Cumque Perſicum bellum, quod Probus paraverat, proſequi ſtatuiſſet, Cæſaream dignitatem Carino, & Numeriano filiis contulit: *Ubi primum accepit Imperium, conſenſu omnium militum bellum Perſicum, quod Probus parabat, aggreſſus eſt, Liberis Cæſaribus nuncupatis, & ita quidem, ut Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectiſſimis deſtinaret; ſecum vero Numerianum adoleſcentem cum lectiſſimum, tum etiam diſertiſſimum duceret*. Multo diſſimilis a Patre Carinus, natu major, erat, de quo idem Vopiſcus: *Hic cum Cæſar, decretis ſibi Galliis, atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis, ac Britanniis, & Africa, relictus a patre, Cæſarianum teneret Imperium, ſed ea lege, ut omnia faceret, quæ Auguſti faciunt, enormibus ſe vitiis, & ingenti fœditate maculavit*. Quare facti patrem pœnituiſſe, *habuiſſeque in animo, ut Carino Cæſareum abrogaret Imperium*, tradit Vopiſcus, *ne filium tot vitiis ſordidatum Imperii hæredem relinqueret*. Morte tamen præventus, nequaquam perficere id potuit, uti anno ſequenti videbimus.

Carinus, & Numerianus Cæſares a patre dicti. *Vopiſc. cap. 7.*

Cap. 16.

4. Poſtquam Maximus Alexandrinam Eccleſiam *annis octodecim rexiſſet*, quemadmodum ab Euſebio traditur, mortuus eſt, in ejuſque locum ſucceſſit Theonas. *Sub quo etiam Achillas, eodem, quo Pierius, tempore presbyterii honore Alexandriæ claruit, cui etiam chriſtianæ Fidei inſtitutio commiſſa erat*.

Maximus Alex. Epiſcopus obiit, cui Theonas ſuccedit. *Euſeb. lib. 7. cap. ultim.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 282.

erat . Hic præ cæteris omnibus ſublimioris philoſophiæ , & Evangelicæ converſationis ſincerum ſpecimen operibus ſuis exhibuit . De Pierio presbytero , qui una cum Achilla ſub Theona Epiſcopo floruit , opportuniori loco ſermo infra occurret . Theonas vero , qui Maximo ſucceſſerat , *cum annis novendecim miniſterio perfunctus eſſet , Epiſcopatum Alexandriæ ſortitus eſt Petrus* , ait idem Euſebius . Sed de Petri ordinatione , & geſtis infra .

JESU CHRISTI AN. 283. CAJI PAPÆ I.
CARI IMPERATORIS 2.
COSS. M. AURELIO CARO AUG. II. ,
ET M. AURELIO CARINO CÆSARE .
OLYMP. 265. AN. 2. URBIS AN. 1036.

Carus , iterum Conſul, filios Auguſtos creat . *Pag. Baſnag. an.* 283.

1. Cum ſuffectum Conſulatum antea geſſiſſet Carus , ſecundo Conſul hoc anno dictus eſt , uti Faſti Idaciani , atque inſcriptiones plurimæ teſtantur . Interea Carinum , & Numerianum , quos Cæſares anno ſuperiore dixerat , Auguſtos nominavit , ut & Numiſmata , & legum inſcriptiones probant . Lex ſcilicet XVI. Cod. de fideicommiſſis , & lex VI. , & VII., quibus conſtat , Carinum , & Numerianum , patre vivente , Auguſtea dignitate fuiſſe exornatos . Carus vero , cum in Pannoniis eſſet , ad bellum Perſicum profecturus , ut anno elapſo diximus , Sarmatas iterum rebellantes , *occiſis ſexdecim millibus , captis viginti millibus diverſi ſexus , ita compreſſit , ut Pannonias ſecuritate donaverit .*

Vopiſc. in Caro cap. 9.

Cari Imp. obitus.

2. In Perſidem inde tranſgreſſus , Meſopotamiam , nullo reſiſtente , vaſtavit ; Colchen , & Cteſiphontem nobiliſſima oppida occupavit . Cumque Perſicum regnum ſubverſurus videretur , in morbum incidit , quo urgente , cum in tentorio diſtineretur , *ingenti exorta tempeſtate , immani coruſcatione , immaniori tonitru exanimatus eſt* , & fulmine ictum occubuiſſe , fama vulgavit . Quod tamen inficiatur Junius Calphurnius , ita de Imperatoris obitu ad Urbis Præfectum ſcribens : *Fama emerſit , fulmine interemptum eum ; quem quantum ſcire poſſumus , ægritudine conſtat abſumptum .*

Vopiſc. in Caro cap. 8.

Carinus & Numerianus Patri ſuccedunt.

3. Carinum , & Numerianum filios Imperii hæredes poſt ſe reliquit Carus , quorum alter , ideſt Numerianus , optimis ornatus moribus erat ; Carinus vero ad omnem libidinem , fœdi-

fœditatemque unice intentus. Horum breviſſimum fuit Imperium, quod anno ſequenti videbimus.

Eutychiani Papæ obitus.

4. Cum Eutychianus Romanæ Eccleſiæ præfuiſſet annis octo, menſibus undecim, diebus tribus, hoc anno VII. Idus Decembris obiit, ut in Catalogo Bucheriano legitur: *A Conſulatu Aureliani III., & Marcellini, ad Conſulatum Cari II., & Carini*, ideſt, a die quinta Januarii anni 275. ad diem ſeptimam Decembris labentis anni 283., vel octavam, qua die in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum Eutychiani nomen legitur: *Sexto Idus Decembris Eutychiani in Calliſti*, nempe in Cœmeterio Calliſti. Quare corrigendus eſt Euſebius, qui decem tantum menſibus Rom. Pontificatum Eutychianum tenuiſſe ſcribit; &, uti adnotat Valeſius, annos octo, quos Sixto auxerat, Eutychiano detraxit. Turpius adhuc erravit Auctor Pontificalis Damaſo inſcripti, qui Eutychiani Pontificatum a Conſulatu Aureliani tertium, & Marcellini ad Carum II., & Carinum extendit; annumque unum, menſem unum, diem unum ſediſſe, prodit.

Pag. an. 283. Couran. in Eutychiano pag. 298.

An Eutychianus Martyribus ſit accenſendus.

5. Eutychianum martyrio obiiſſe, Baronius cum in notis ad Martyrologium, tum in Annalibus tradit. *At inter Confeſſores*, ut ait Pagius, *numerandus videtur*; tum quia in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum, non vero Martyrum, a Bucheriani Catalogi Auctore inſcriptus; tum etiam quia illius obitus eo tempore contigit, quo, Euſebio teſte, Chriſti Eccleſia altiſſima pace fruebatur. Eutychiano epiſtolæ duæ ab Iſidoro adtribuuntur, quas una cum ceteris Iſidorianis copioſe confutavit Blondellus.

Pag. not. 10. *an.* 283.

Euſeb. lib. 7. 1.

Cajus Eutychiano ſuccedit.

6. Eutychiano defuncto, ſucceſſit Cajus, quem Pontificale Damaſi *Dalmatam fuiſſe natione, ex genere Diocletiani, patre Cajo*, tradit. In Bucheriano vero Catalogo de eodem hæc habentur: *Cajus annis duodecim, menſibus IV. diebus VII. fuit temporibus Cari, & Carini, ex die XVI. Kalendas Januarii, Coſs. Caro II., & Carino, uſque in X. Kalendas Maii, Diocletiano VI., & Conſtantio II. Conſulibus*. Quo auctore, corrigendus eſt ſcriptor libri Pontificalis, qui retentis Conſulibus ab Auctore Bucheriani Catalogi notatis, annos tantum undecim, menſes quatuor, dies duodecim Cajo adtribuit. Sed & emendandus Euſebius, qui Cajum annis quindecim circiter Romanam Eccleſiam adminiſtraſſe ſcribit.

De Dorotheo Antiocheno Presbytero.

7. Domno Antiocheno Epiſcopo Timæus ſucceſſerat circa

ca

JESU CHR. AN. 283.

ca annum 271: poſt decennium vero, ideſt anno 281., Cyrillus eidem ſubrogatus fuerat, ut Euſebius in Chronico, & in hiſtoria memorat. Quo tempore & Dorotheus floruit, de quo hæc idem Euſebius: *Antiochenæ Eccleſiæ poſt Domnum* (Euſeb. lib. 7. 32.) *Timæus præfuit, cui ſucceſſit noſtra memoria Cyrillus, ſub hoc Dorotheum virum doctiſſimum, Antiochenæ tunc Eccleſiæ Presbyterum cognovimus*. Siquidem, uti Euſebius idem proſequitur, ſacrarum Scripturarum ſtudioſus fuit, adeoque in Hebraica lingua verſatus, ut Hebraicos Codices peritiſſime legeret: ingenio etiam liberali, & humanioribus diſciplinis apprime eruditus, atque ab ipſo matris utero Eunuchus; quamobrem Dioclatianus Imperator *in familiaritatem ſuam adſcivit, & Baphii, quod eſt apud Tyrum, Procuratorem conſtituit*. Ad ejuſmodi vero Euſebii locum, de tribus Dorotheis hac ætate viventibus, plura in Baronium, & Blondellum adnotat Valeſius.

Valeſ. Not. pag. 320. Tres Dorothei diſtinguendi. *Blond. Apolog. pag. 274.*

8. Imprimis Baronium in notis ad Martyrologium Romanum, hunc Dorotheum presbyterum Antiochiæ cum Dorotheo Tyri Presbytero, cujus mentio fit die 5. menſis Junii, confudiſſe: quem Baronii errorem Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi detexit; ſed dum alium reprehendit, multo gravius ipſemet erravit. Dorotheum enim Antiochenſem Presbyterum cum Dorotheo Cubiculario Imperatoris Diocletiani confundit, cujus martyrium deſcribitur ab Euſebio in lib. 8., quos ſane diſtinguendos eſſe, certiſſimis argumentis probat Valeſius. Primo enim Presbyter ille Antiochenſis Martyr non fuit; id enim de illo nullibi dicit Euſebius: immo lib. 8. cap. 13., ubi Eccleſiaſticos viros recenſet, qui illa perſecutione martyrium ſubierant, Lucianum quidem Antiochenſem Presbyterum illic nominat, non omiſſurus utique Dorotheum magiſtrum ſuum, ſi is martyrium pertuliſſet. Deinde Presbyter Antiochenus Dorotheus vir fuit nobilis, & Magiſtratum geſſit, antequam Presbyter fieret: alter vero Dorotheus ſervilis fuit conditionis, utpote Cubicularius Eunuchus. Denique prior ille Dorotheus Presbyter fuit temporibus Cyrilli Epiſcopi Antiocheni: Cyrillus autem ſedere cœpit ab anno quarto Imperatoris Probi, manſitque ad annum uſque decimum ſeptimum Diocletiani. Ponamus igitur, Dorotheum Presbyterum fuiſſe circa exordia Epiſcopatus Cyrilli, ideſt ſub Probo, aut ſub Caro; fieri non poteſt, ut idem poſtea fuerit Cubicularius Diocletiani. Neque enim ex Presbyte-

byteris fiunt Cubicularii; cum nec Eccleſiaſtica regula, nec ratio ipſa id ferat. Quippe presbyteri fiebant matura jam ætate: ad cubiculum autem Principum pueri, aut adoleſcentes formoſi eligebantur. Quod ſi dixeris, Dorotheum Principatu Diocletiani factum eſſe Presbyterum, eadem occurrit difficultas, quomodo ex Presbytero factus ſit Cubicularius. Etenim ex Euſebio, aliiſque conſtat, Dorotheum, dum eſſet Cubicularius, & in Aula Principum verſaretur, ſubiiſſe martyrium. Fefellit itaque Blondellum primo ſimilitudo nominum, deinde quod uterque Eunuchus, uterque carus Imperatori fuiſſe dicitur. Verum animadvertere debuerat, fieri non poſſe, ut idem ſimul eſſet Presbyter, & Cubicularius; ſimul ſacras litteras in Eccleſia exponeret, & Principis Aulam frequentaret, ut pluribus demonſtrat Valeſius: de quibus ea videri poſſunt, quæ Baillet die quinta Junii, & nona Septembris congeſſit.

Jesu Chr. An. 283.

Valeſ. ut ſupra.

JESU CHRISTI An. 284. Caii Papæ 2.
Diocletiani Imperatoris 1.
Coss. M. Aurelio Carino Aug. II.
Et Marco Aurelio Numeriano Aug.
Olymp. 265. an. 4. Urbis an. 1037.

1. Diocletianea tandem tempora attingimus, ob Chriſtianorum perſecutionem infauſta quidem, ſed ob Martyrum victorias Chriſti Eccleſiæ glorioſa. Itaque cum Numerianus Perſicum bellum confectum exiſtimaret, ac *exercitum reduſtaret*, *Apri Præfecti Prætorio Soceri inſidiis extinguitur*. Patris interitum tandiu fleverat Numerianus, ut lacrymarum vi oculis laborans, lucem ferre non poſſet. Quare lectica dum veheretur, Apri ſoceri ſui inſidiis in itinere extinctus eſt. Ejus tamen exitum aliquandiu occultare fruſtra conatus eſt Aper, ſcilicet quoad uſque Imperium invaderet; nam putreſcente cadavere, vel ipſo fœtore indice, Numerianum occubuiſſe cito indicatum eſt. Obductis igitur lecticæ velis, cum mortuum Imperatorem in ea milites inveniſſent, in unum illico congregati ut ſucceſſorem eligerent, Diocletianum communi ſuffragio Imperatorem ſalutarunt. Cumque inter milites quæreretur, quis Numerianum occidiſſet, continuo Diocletianus, *educto gladio Aprum Præfectum Prætorii oſtentans percuſſit, addens, hic eſt auctor necis Numeriani*, ut Vopiſcus, & Eutropius

Diocletianus Imperator ab exercitu eligitur.

Vopiſc. in Numer. cap. 13.

 nar-

JESU CHR. AN. 284.

narrant. Locum, quo Numerianus periit, & diem, quo Diocletianus Imperator creatus eſt, his verbis adnotat Auctor Chronici Alex. *Sub hiſce Conſulibus, tandem Numerianus ab Apro Præſide Perinthi Thraciæ, quam nunc Heracleam vocant, necatus eſt*. Deinde: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januarii* (anno ſcilicet ſequenti) *Conſul prodiit*.

De Diocletiani patria, & natalibus.

2. De Diocletiani patria, & genere hæc habet Victor in Epitome: *Diocletianus Dalmata Anulini Senatoris libertinus, matre pariter Dioclea, quorum vocabulis donec Imperium ſumeret, Diocles appellatur*. Salone tamen in Dalmatia lucem vidiſſe Diocletianum, tradit Lactantius: *Veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur*. Jam vero Salonas conceſſiſſe, cum Imperio ſe abdicavit Diocletianus, ex Eutropio, & Hieronymo ſcimus: *Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul a Salonis eſt, præclaro otio conſenuit*. Obſcuros tamen natales eum habuiſſe, & Libertini generis fuiſſe narrat Victor, *quin a pleriſque Scribæ filius fuiſſe creditur*, ait Eutropius; quia ejus pater inter Anulini Senatoris libertos Scriba erat. A prima autem ætate militiam ſequens, primos fere honores attigerat: & quidem Domeſticorum officio fungebatur, cum ei ab exercitu collatum eſt Imperium. Annum, quo in lucem editus eſt, indicat Victor in Epitome: *Diocletianus vixit annos ſexaginta octo*; cumque exeunte anno 312., vel ſequentis initio obierit, ſequitur eum anno 244. natum fuiſſe, ac anno ætatis quadrageſimo purpuram induiſſe.

Lactant. de mort. perſeq. cap. 19.

De Æra Diocletianea, ſeu de Æra Martyrum.

Cod. Juſt. lib. 3. tit. 7.

Pag. Baſnag. Murat. ad hunc an.

3. Etſi initia Imperii Diocletiani ad ſequentem annum nonnulli differant; labenti tamen ea alliganda eſſe, non ſolum auctoritas Chronici Alexandrini probat, ſed & lex, *ut nemo cogatur invitus agere, vel accuſare*, Diocletiano Imperante, edita Idibus Octobris, Carino II., & Numeriano Conſulibus, ideſt hoc anno. Idemque (ut alia argumenta prætereamus) Æra Diocletianea, ſeu Martyrum, qua poſtmodum Chriſtiani in Ægypto uſi ſunt, confirmat; ea namque a die 29. Auguſti currentis anni initium ducit, ut pluribus adnotarunt viri in rebus chronologicis peritiſſimi.

Carinus Julianum interficit.

4. Poſt Cari Imperatoris, & Numeriani interitum, Carinus, cui Galliæ, Britanniæ, Italia, & Hiſpania parebant, reliquas Imperii provincias ſuo adjungere totis viribus conatus eſt. Cumque Diocletianum fratri ſuo ab exercitu ſubrogatum

Digitized by Google

gatum accepit, ac Sabinum Julianum eodem fere tempore purpuram induiſſe, utroſque Imperio exturbare, aggreſſus eſt, ac Julianum quidem in Agro Veronenſi victum interemit: *Sabinus Julianus*, ait Victor in Epitome, *invadens Imperium a Carino in Campis Veronenſibus occiditur*. Victor vero alter de Cæſaribus, Diocletiani inauguratione adnotata, ſubdit: *Interim Carinus eorum, quæ acciderant, certior, ſpe facilius erumpentis metus ſedatum iri, Illyricum propere Italiæ circuitu petit; ibi Julianum pulſa ejus acie obtruncat. Nam is cum in Venetos correcturam ageret, Cari morte cognita Imperium avens arripere, adventanti hoſti obviam proceſſit, ſed a Carino fugatus, acto per coſtas pugione, ſe ipſum in ignem abjecit*. Jesu Chr. An. 284.

JESU CHRISTI AN. 285. CAII PAPÆ 3.
DIOCLETIANI IMPERATORIS 2.
COSS. DIOCLETIANO AUG. II., ET ARISTOBOLO.
OLYMP. 266. AN. I. URBIS AN. 1038.

1. Sabino Juliano, qui in occidente purpuram induerat, interempto, Diocletianum quoque viciſſet Carinus, niſi eum perditi mores perdidiſſent. Nam cum adverſus Diocletianum hoc anno exercitum eduxiſſet, pluribuſque præliis affeciſſet, dum apud Margum in Iſtro prope Conſtantiam, poſt acerbam pugnam, fugatis Diocletiani cohortibus, fugientem hoſtem inſequebatur, a ſuis confoſſus eſt, quorum iram ob violatas uxores in ſe excitaverat. *Dum victos avide premit*, ait Victor de Cæſaribus, *ſuorum ictu interiit, quod libidine impatiens militarium nuptas affectabat, quarum infeſtiores viri iram tamen, & dolorem in eventum belli diſtulerant; quapropter cedente metu, ne hujuſmodi ingenium magis magiſque inſoleſceret, ſeſe ulti ſunt*. Tribuni dextera, cujus uxorem polluerat, percuſſum fuiſſe, tradit alter Victor in Epitome. Eo ſublato, Diocletianus Romano Imperio potitus eſt, ac victoria modeſte uſus, neminem fama, dignitate, bonis, aut vita privavit; quin & Ariſtobolum Carini Præfectum Prætorii eadem præfectura ornavit, & in Conſulatu ſocium habere voluit: *Ceteris venia data, retentique hoſtium fere omnes, ac maxime vir inſignis Ariſtobolus Præfectus Prætorio per officia ſua*, ait Victor de Cæſaribus: *Quæ res poſt memoriam hominum nova, atque* inopi-

Diocletianus Carinum vincit, & ſolus Imperio potitur.

Vopiſc. in Carino.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 285.

inopinabilis fuit civili bello. Unde non modica Diocletiano laus eſt derivata.

Maximianus Herculeus Cæſar a Diocletiano dicitur, rebelles in Gallia domat.

Eutrop. Victor de Cæſaribus.

Eutrop. de Cæſaribus.

Victor de Cæſ.

2. Ut Imperium obtinuit Diocletianus, in Galliis Hæliano, Amandoque Ducibus, populares ſeditiones excitatæ ſunt, quas, ut comprimeret, Maximianum Herculeum Cæſarem dixit, ac contra Bagaudas miſit: *Ita rerum Romanarum potitus Diocletianus, cum tumultum ruſticani in Gallia concitaſſent, & factioni ſuæ Bagaudorum nomen impoſuiſſent, Duces autem haberent Amandum, & Ælianum; ad ſubigendos eos Maximianum Herculeum Cæſarem miſit, qui levibus præliis agreſtes domuit, & partem Galliæ reformavit*, ait Eutropius. Eademque Victor.

De Diocletiani moribus, & ingenio.

Lactan. de mort. perſeq. cap. 7.

3. Quibus vero moribus Diocletianus, ejuſque in Imperio collega fuerint, ex Lactantio auctore coævo videamus, qui de Diocletiani ingenio, & moribus hæc adnotat: *Diocletianus, qui ſcelerum inventor, & malorum fuit, cum diſperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abſtinere. Hic Orbem terræ simul, & avaritia, & timiditate ſubvertit*, ut pluribus idem proſequitur Auctor. Orbe quippe in quatuor partes diviſo, ideſt, inter duos Imperatores, duoſque Cæſares, ut infra videbimus, multiplicatiſque exercitibus, cum ſinguli eorum majorem numerum militum habere contenderent, quam priores Principes, majorque eſſet accipientium numerus, quam dantium, adauctæ ſunt indictiones, ſeu tributa, exhauſtæ colonorum vires, agri tandem deſerti: Rationales etiam, & vicarii Præfectorum adaucti ſunt, quibus omnibus, civiles actus ſuſtentandis cum non ſufficerent, condemnationes, & proſcriptiones non ſolum crebræ, ſed & perpetuæ fuerunt. Inſatiabili vero ductus avaritia, theſauros nunquam minui patiebatur, ſed ſemper extraordinarias opes, ac largitiones congerebat, ut ea, quæ collegerat, integra, atque inviolata ſervaret. *Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi*, ſequitur Lactantius, *non minor provinciarum exactio, in exhibendis operariis, & artificibus, & plauſtris omnibus, quæcumque ſint fabricandis operibus neceſſaria. Hic Baſilicæ, hic Circus, hic moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ. Repente magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus, ac liberis, quaſi Urbe ab hoſtibus capta. Et cum perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum, non recte facta, ajebat; alio modo fiant. Rurſus dirui, ac mutari ne-*

neceſſe erat, iterum fortaſſe caſura. Ita ſemper dementabat, Nicomediam ſtudens Urbi Romæ coæquare. Jam illud prætereo, quam multi perierint poſſeſſionum, aut opum gratia. Hoc enim uſitatum, & fere licitum conſuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quod ubicumque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium, jam parata domino calumnia, & pœna capitalis, quaſi non poſſet rapere aliena ſine ſanguine. Hæc Lactantius de Diocletiani moribus.

Maximiani mores. *Lactant. c.8.*

4. De Maximiano vero ſubdit: *Quid frater ejus Maximianus, qui eſt dictus Herculeus? Non diſſimilis ab eo; nec enim poſſent in amicitia tam fideli cohærere, niſi eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluptas, æqua ſententia*: in eo tantum diſſimiles, quod qui minor erat ætate, majori teneretur avaritia. Siquidem cum illi nedum Italia, ſed & Africa etiam, & Hiſpania, opulentiſſimæ Provinciæ ſubjicerentur, non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens, quarum tanta ſuppetebat copia; nam cum opus eſſet, non deerant locupletiſſimi Senatores, qui ſubornatis indiciis effectaſſe Imperium dicerentur; eoque crimine extinguerentur. Libido vero tanta erat, ut quocumque iter faceret, e conſpectu ejus virgines a parentibus ſubducerentur: felicitatem Imperii ſui ſitam in eo putans, ſi libidini, & cupiditati malæ nihil denegaret, ut ait Lactantius. Imperii tamen initio nil moleſtiæ Diocletianum, & Maximianum Chriſtianis attuliſſe conſtat; nam de perſecutione longo poſt tempore adverſus Eccleſiam excitata acturus Euſebius, hæc de felici ejuſdem ſtatu hac ætate, atque incremento ibidem adnotat.

De felici Eccleſiæ ſtatu ante Diocletiani perſecutionem. *Euſeb. lib.8. 1.*

5. *Qualem, quantamque gloriam, ſimul ac libertatem doctrina veræ pietatis erga ſupremum Deum, a Chriſto primum hominibus annunciata apud omnes Græcos pariter ac Barbaros, ante perſecutionem noſtra memoria excitatam, conſequuta ſit, nos certe pro merito explicare non poſſumus. Argumento eſſe poſſit Imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes ob ſingularem, qua in Religionem noſtram affecti erant, benevolentiam.* In Imperatorum vero palatiis Chriſtianorum plurimos fuiſſe addit, quibus vel ipſi Imperatores ea, quæ Religionis ſuæ erant, tam verbis, quam factis libere exequendi coram ſemetipſis poteſtatem dabant, ac præ ceteris omnibus miniſtris præcipuo quodam amore complectebantur.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 285. Ex his fuit Dorotheus, qui præ cunctis magiſtratibus, & provinciarum rectoribus apud eos magnum honorem promeruit. Huic adjungendus eſt celeberrimus ille Gorgonius, & quicumque alii eamdem cum iſtis gloriam ſunt conſequuti. Singulis etiam Eccleſiarum Antiſtitibus honor, ac benevolentia ab omnibus cujuſque ordinis deferebatur. Unde innumerabilis quotidie hominum turba ad Chriſti fidem accedebat, ac in ſingulis urbibus illuſtres Fidelium conventus peragebantur; adeo ut, priſcis ædificiis jam non contenti, ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent Eccleſias. Hæc aliaque Euſebius de floreſcente tunc Eccleſiæ ſtatu, antequam adverſus eam Diocletiani furor accenderetur.

Acta Ss. Martyrum Claudii, & Aſterii. *Baron. ann. 285. 4. Ruinart. pag. 279. Tillem. to. 4. pag. 414., & pag. 693.*

6. Hoc tamen tempore, quin hoc ipſo anno, in Chriſtianos alicubi ſævitum fuiſſe, nos dubitare non ſinunt Acta proconſularia ſanctorum martyrum Claudii, Aſterii, & Sociorum a Baronio primum vulgata, deinde a Ruinartio emendatiora in ſuam collectionem inlata, & Diocletiano Auguſto, atque Ariſtobolo Conſulibus ſignata, ideſt hoc anno. Nec obſtat, hoc tempore nondum in Chriſtianos Diocletianum perſecutionem excitaſſe; extabant enim aliorum Imperatorum leges, ob quas Lyſias Præſes dicere potuit: *Domini noſtri Imperatores juſſerunt Chriſtianos vos ſacrificare Diis*. Sed jam ipſa Acta proferamus.

Claudii, Aſterii, & Sociorum confeſſio fidei.

7. Acta igitur narrant, Lyſiæ Præſidi in civitate Ægea tres pueros fratres, & duas mulieres cum infantulo fuiſſe oblatos, quorum primo Lyſias dixit: *Noli juventutem tuam cum inſania perdere; ſed jam nunc accedens, ſacrifica diis, ſecundum præceptum domini noſtri Auguſti, ut poſſis, quæ tibi præparata ſunt, evadere tormenta*. At Claudium ſacrificare abnuentem virgis cædi, mox equuleo ſuſpendi, & flammam pedibus ejus adhiberi juſſit; ſed & de calcaneis partes abſcindi, & eidem offerri: quibus in tormentis cum alacrior Chriſti fidem Martyr confiteretur, ungulis eum vexari Lyſias præcepit, & ne quid intentatum relinqueret, teſtis aſperrimis latera perfricari, & tædis ardentibus exuri mandavit. Quod cum factum fuiſſet, & nihilominus Claudius ignem & tormenta ſperneret, ac lucrum ſibi pro Chriſto mori teſtaretur, in carcerem deductus eſt. Poſt Claudium adſtitit Aſterius, cui Lyſias: *Crede vel tu; & ſacrifica diis, ante oculos tuos habens tormenta, quæ contradicentibus ſunt parata*. Aſterius vero

by Google

vero ſe unum Deum colere a parentibus edoctum fuiſſe reſpondit: quare eum quoque Lyſias in equuleo ſuſpendi præcepit, dicens: Torquentes latera ejus, dicite illi: vel nunc credens, diis ſacrifica. At Aſterius: *Frater ſum illius, qui paulo ante interrogationibus tuis reſpondit. Mihi, & illi unus eſt animus, una confeſſio. Age, quæ potes: meum corpus in poteſtate habes, animam non habes.* Quapropter varie vexatus, virgis, nervisque duriſſimis contuſus, ac ignitis carbonibus exuſtus, ad cuſtodiam & ipſe dimiſſus eſt. Tandem frater ejus tertius, ideſt Neon, in certamen deſcendit, cui Lyſias: *Fili*, inquit, *vel tu accede, & ſacrifica diis, evaſurus tormenta*. Ad quæ Neon reſpondit: *Dii tui, ſi quid virtutis habent, defendant ſe ipſos ab his, qui eos negant, & tuam defenſionem non requirant. Si vero malitiæ eorum es ſocius, multo melior ſum diis tuis, & te, quia vobis non obaudio, habens Deum verum, qui fecit Cælum, & Terram.* Jubenti deinde Præſidi cervicem ejus frangere, ne deos blaſphemaret, Neon dixit: *Blaſphemus tibi eſſe videor, dicens veritatem?* Cumque pedibus extenſus, nervorum vim, & carbonum ardorem expertus, in confeſſione fidei perſeveraret, foras civitatem ipſum una cum aliis duobus fratribus crucifigi, & ut eorum corpora ab avibus lanianda inſepulta relinquerentur, præcepit Lyſias. In Actis a Baronio editis legitur: *Lyſias introgreſſus obduxit velum, & poſt exiens ex tabella recitavit ſententiam dicens &c.* De quo more obducendi vela, cum in reos ſententiam Judices dicerent, hæc habet S. Baſilius ad Euſthaſium: *Qui rerum in hoc Mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adjudicaturi, cortinas obducunt &c.* *Baron. 285. 8.*

8. Præconis voce a Judicibus reos fuiſſe interrogatos, eumdemque de tabella ſententiam legiſſe, ipſa Acta, cum alia monumenta teſtantur. De Judiciorum forma hæc habet Apulejus: *Præco cum Proconſule & ipſe tribunal aſcendit, & ipſe rogatus illic videtur, & quidem perdiu ſtat, aut ambulat, aut plerumque attentiſſime clamitat: Enim vero Proconſul moderata voce rarenter, & ſedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe Præconis vox garrula miniſterium eſt. Proconſulis autem tabella ſententia eſt; quæ ſemel lecta, neque augeri littera una, neque minui poteſt.* Terribilem Judicii faciem his verbis Seneca deſcribit: *Aſcendit Prætor tribunal, inſpectante provincia, noxiæ poſt terga ligantur manus,*

De Præconis officio in judiciis.

Apul. in Aſin. aur. lib. 1. in Floridis lib. 1. in fin.

Seneca de controv. lib. 5. 24.

JESU CHR. AN. 285.

nus, ſtat intento, ac triſto omnium vultu, fit a Præcone ſilentium, adhibentur deinde legitima verba, canitur altera ex parte claſſicum. Nunquid vobis videor deſcribere conviviales, jocos? Sed ad Acta iterum revertamur.

Domninæ, & Theonillæ martyrium.

9. Claudio itaque, Aſterio, & Neoni, glorioſis Chriſti Athletis, Domnina, & Theonilla in martyrio ſociatæ fuerunt. *Eulalius Commentarienſis dixit: Secundum præceptum claritatis tuæ, Domine, adſtat Domnina:* cui Lyſias, *Vides*, inquit, *mulier, quæ tormenta, & ignis parentur tibi: unde, ſi vis evadere, accede, & ſacrifica diis.* Domnina vero: *Ne in ignem æternum incidam, & tormenta perpetua, Deum colo, & Chriſtum ejus, qui fecit Cœlum, & Terram, & univerſa, quæ in eis ſunt. Nam dii veſtri lapidei ſunt, & lignei, facti hominum manibus.* Quibus auditis, eam juſſit nudam extendi, virgiſque concidi ad ejuſdem uſque defectionem, ac demum exanimem in profundiorem fluminis locum projici. Eadem deinde Theonillæ minitatus, cum hæc ob timorem ignis æterni Diis ſacrificare renuiſſet, colaphis eam ſemel, & iterum contundi, fortiterque torqueri, ac nudato corpore undique laniari mandavit. Poſt hæc interrogata, num virum haberet, *Viginti tres annos habeo*, ait, *ex quo ſum vidua; & propter Deum meum ſic manſi, jejunans, & pervigilans in orationibus, ex quo receſſi ab immundis Idolis, & cognovi Deum meum.* Quare iratus Præſes, quatuor eam palis alligari, totoque corpore loris contundi juſſit, quibus in tormentis cum animam exhalaſſet, corpus ejus ſacco incluſum in mare demergi præcepit; ut pluribus Acta referunt, quæ his verbis ſignantur: *Habita eſt paſſio hæc in civitate Ægea ſub Lyſia Præſide, X. Kalendas Septembris, Auguſto, & Ariſtobolo Conſulibus.*

JESU CHRISTI AN. 286. CAII PAPÆ 4.
DIOCLETIANI IMPERATORIS 3.
MAXIMIANI HERCULEI IMP. 1.
COSS. M. JUNIO MAXIMO II., ET AQUILINO.
OLYMP. 266. AN. 2. URBIS AN. 1039.

Maximianus Auguſtus dicitur.

1. Maximianus, Bagaudis repreſſis, Nicomediam hoc anno tranſiit: quo cum adveniſſet, Auguſtea dignitate a Diocletiano exornatus eſt. Inaugurationis annum, & diem Ida-

Idaciani faſti nos docent: *Maximo II., & Aquilino Conſulibus, levatus eſt Maximianus ſenior die Kal. Aprilis*. Locum vero, quo purpuram induit, ab oblivione Lactantius vindicavit, qui de abdicatione Imperii ab ipſo Maximiano facta agens, eodem loco, ideſt Nicomediæ, quo purpuram induerat, exuiſſe teſtatur his verbis: *Erat locus altus extra civitatem, ad millia fere tria, in ejus ſummo Maximianus ipſe purpuram ſumpſerat; & ibi columna fuerat erecta cum Jovis ſigno*.

Jesu Chr. an.286. — *Lactant. ut ſup. cap.19.*

2. Poſt hæc Diocletianus adverſus Perſas arma movit; Maximianus vero in Occidentem rediit. Ut autem Perſidi appropinquavit Diocletianus, Narſeus Perſarum Rex, Syriam, abductis præſidiis, Romanis ceſſit, & miſſa legatione cum muneribus a Diocletiano pacem petiit, fœduſque firmavit. Quare Mamertinus: *Credo*, inquit, *optimam illam fertilemque Syriam, velut amplexu ſuo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano ſponte ſe darent Regna Perſarum*; *verum hoc Jovis more, nutu illo patrio, quo omnia contremiſcunt, & majeſtatis veſtræ nominis conſequutus eſt*. Et iterum: *Hoc eodem modo Rex ille Perſarum, nunquam ſe ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo* (Diocletiano) *ſupplicat, totumque, ſi ingredi dignetur, Regnum ſuum pandit, offert interim varia miracula eximiæ pulchritudinis, feras mittit amicitiæ nomen impetrare contentus, promeretur obſequio*. Hæc, aliaque Mamertinus in Panegyrico in Maximiani & Diocletiani laudem anno 288., aut 289. recitato, quo etiam barbaras gentes a Maximiano in Galliis victas commemorat, ideſt Burgundiones, Alemannos, Charbones, & Erulos.

Diocletianus, Syria recuperata, pacem cum Perſis firmat. — *Mamertin. in panegyr. Maxim.cap.9.10.*

3. Hoc etiam tempore, cum in Britannia Carauſius, tyrannide uſurpata, adverſus Romanos rebellaſſet; armatam claſſem contra eumdem inſtrui juſſerunt Diocletianus, & Maximianus, de quibus idem Mamertinus loco ſupracitato: *Quid nunc animi habet ille Pirata, cum fretum illud, quo ſolo mortem ſuam hucuſque remoratus eſt, pene veſtros exercitus videat ingreſſos.... Quo denique pacto effugere pœnas Reipublicæ poteſt, niſi ſi hauſtu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia ſaxa rapiatur*; *ædificatæ ſunt, ornatæque pulcherrimæ claſſes. Neque ſolum ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, ſed etiam ad excipiendas flumina repente creverunt*. Et poſt plurima ſic concludit orationem: *Facile itaque quiſvis intelligit, Imperator, quam proſperi te ſucceſſus in re maritima*

Carauſius in Britannia Imperium uſurpat. — *Cap. 11.*

ſequuturi ſint , cum jam ſic tempeſtatum opportunitas obſequatur . Carauſii tamen rebellio non tam facile extincta eſt ; nam ſeptennio perduravit , longiori etiam tempore duratura , niſi a ſuis proditus interiiſſet , uti Victor de Cæſaribus , & Oroſius narrant .

Thebæa legio Chriſtiana detegitur.

4. Bello Gallico vigente , de quo anno proximo , & labenti egimus , cum Maximianus trans Alpes exercitum eduxiſſet , ac Octoduro , Valeſiæ oppido , caſtra fixiſſet , accidit , ut cum profanis ſacrificiis luſtraretur exercitus , Thebæorum legio , quæ tota chriſtiana erat , ab exercitu ſeſe disjungeret : quare cum invicto animo ſacrificiis adeſſe , participeſque fieri ejus legionis milites recuſaſſent , martyrii coronam adepti ſunt. Fortiſſimorum militum paſſionem cum eruditiſſimis viris currente anno narrandam ſuſcipimus , etſi negari non poſſit , *tempus paſſionis Sanctorum Agaunenſium incertum eſſe* , ut ait Pagius , ideſt , quo hujus decadis anno id acciderit . Sanctorum Martyrum hiſtoriam Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus , qui ſæculo quinto floruit , in epiſtola ad Salvium Epiſcopum narrat , quam poſt Chifletium emendatiorem Ruinartius edidit . In ea itaque inter cætera hæc habentur : *Sub Maximiano , qui Romanæ Reipublicæ cum Diocletiano collega Imperium tenuit . . . . erat Legio militum in exercitu , qui Thebæi appellabantur , legio autem vocabatur , quæ tunc ſex millia , & ſexcentos viros in armis habebat . Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant , viri in bellicis rebus ſtrenui , & virtute nobiles , ſed nobiliores fide , erga Imperatorem fortitudine , erga Chriſtum devotione certabant &c.* Hi ergo , ſicut & ceteri militum , cum ad pertrahendam Chriſtianorum multitudinem deſtinarentur , crudelitatis miniſterium ſoli detrectarunt , ſeque hujuſmodi præceptis nequaquam obtemperaturos teſtantes : cumque Maximianus non longe abeſſet , nam circa Octodurum morabatur , illique delatum eſſet , legionem hanc in Agaunenſibus anguſtiis ſubſtitiſſe , in furorem exarſit , & ob neglecta imperia , decimum quemque ex iis gladio feriri juſſit , quo facilius cæteros metu perterritos regiis præceptis obſequentiores redderet : at fruſtra , cum enim iiſdem Maximiani præcepta renovata eſſent , ſibi extrema quæque experiri ſatius eſſe teſtati ſunt , quam adverſus chriſtianam Fidem quidquam agere . Quibus cognitis , Maximianus omni bellua cruentior , ad ingenii ſui ſævitiam rediens imperavit , ut iterum decimus co-

Ruinart. Acta Martyr. pag. 248.
Tillem. to. 4. pag. 697.
Baslet. die 22. Septemb.
Orſi tom. 3. Pag. no..3. ad an. 297.

Thebæa legio ab exercitu ſegregata, bis decimatur.

eorum morti daretur, & cæteri nihilominus ad profana ſacrificia compellerentur: quod ut factum eſt, reliqua multitudo militum mutuo ſe ſermone inſtigabat, ut in tam præclaro opere ſanctoque propoſito perſiſterent. Jesu Chr. an.286.

5. Illuſtriores inter eos fuere Mauricius legionis Primicerius, Exuperius Campiductor, & Candidus Senator, qui ſingulos exhortando, & monendo, ſociorum Martyrum etiam exempla ingerendo, ut in chriſtianæ Fidei confeſſione ad mortem uſque perſeverarent, ſtimulatores fuere. Quare eos in propoſito conſtantes, atque ad omnia viriliter ſuſtinenda paratos, Maximianus una omnes ſententia interfici, circumfuſis militum agminibus, præcepit, ut pluribus Acta narrant. Mauricius, Exuperius & Candidus milites ad martyrium exhortantur.

6. Quid vero Victori veteranæ militiæ militi eadem die acciderit, cum illuc caſu adveniſſet, ex eodem Eucherio audiamus: *Victor autem martyr nec Legionis ejuſdem fuit, neque miles, ſed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens ſubito incidiſſet in hos, qui paſſim epulabantur læti Martyrum ſpoliis, atque ab his ad conveſcendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem cauſam cognoviſſet, ac deteſtatus convivas, deteſtatuſque convivium refugiebat; requirentibus, ne & ipſe forſitan Chriſtianus eſſet, Chriſtianum ſe eſſe, & ſemper futurum eſſe reſpondit, ac ſtatim ab irruentibus interfectus, ceteriſque Martyribus in eodem loco ſicut morte, ita etiam honore conjunctus eſt.* His alii ex eadem legione Martyres addendi ſunt; nam *ex eadem legione fuiſſe dicuntur etiam illi Martyres Urſus, & Victor, quos Soloduro paſſos fama confirmat.* Victoris militis martyrium.

7. Horum quinquaginta Coloniæ Agrippinæ coronatos fuiſſe, tradit Gregorius Turonenſis: quorum numerum augent Martyrologia ad diem decimam Octobris. Nec præteriri debent ex eadem legione celeberrimi Martyres Octavius, Adventitius, & Solutor, quorum præconia S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus duabus homiliis celebrat. Agaunum vero, tanto Martyrum ſanguine illuſtratum, apud poſteros celeberrimum evaſit, ibique ſæculi ſexti initio Sigiſmundus Burgundiæ Rex in honorem Sanctorum Martyrum Monaſterium extruxit, quod S. Mauritii dictum fuit, de quibus apud Mabillonium plura videri poſſunt. Aliorum etiam ejuſdem Legionis militum memoria celebris in variis perſeverat Provinciis, Pedemontana ſcilicet, Mediolanenſi, Liguſtica, & Galliarum: de quibus tum vetera Martyrologia, cum Romanum diverſis diebus agunt, & plura Agaunenſium Martyrum Socii. *Gregor. Tur. de Glor. Martyr. cap.62.* *Mabill. Acta Ord. Bened. to.1.pag.568. Præf. ad ſecul. Bened. 4. par.2. n.124.*

Jesu Chr. An. 286.

plura adfert Baillet loco ſupracitato. Nonnulla tamen ab intemperantioris critices viris objici ſolent, quibus Thebæorum hiſtoria ab Eucherio, aliiſque probatæ fidei auctoribus tradita in dubium revocatur: atque inter eos hæc adnotat Baſnagius: *Mauritio, Exuperio, Candido, Victori martyrii quidem lauream non invidemus, cum cruentis edictis Diocletiani compluribus de militum grege lucem ereptam fuiſſe non ignoremus. Quod vero tota legio & Chriſtianis conſtiterit, & Martyribus, ut ex ſex millibus, atque ſexcentis militibus nullus puſillanimis fuerit, omneſque intrepide ſanguinem pro Chriſto fuderint, vix habet fidem*. Deinde *Angelicæ quoque Legionis martyrio fidem detrahit veterum ſilentium. De prodigioſa hac laniena nulla in Lactantio, nulla in Euſebio, nulla in Sulpicio Severo, nulla in Oroſio, nulla in Prudentio memoria eſt*. His addit, tempus, & annum, quo fortiſſimi viri martyrio coronati fuiti, in obſcuro adhuc eſſe. Quin tamen hæc levia ſint, nemo dubitabit, qui animadvertat, Lactantii, aut Euſebii, vel Sulpicii ea de re ſilentium ne minimum quidem obeſſe, cum multa ſæpe prætererint, aut ignoraverint Hiſtoricorum etiam celeberrimi: ac proinde negativi, ut ajunt, argumenti vis nulla ſit, ad negandam fidem iis rebus, quæ ab aliis probatæ fidei auctoribus narrantur. Nec ignorantia temporis, ſeu anni, quo hæc acciderint, hiſtoriæ veritatem elevat. De re quidem, non de anno certamus; rem ipſam utpote ab Eucherio, Maximo Taurinenſi, Enodio Ticinenſi, Gregorio Turonenſi, aliiſque Auctoribus Martyrologiiſque teſtatam, fide dignam cenſemus, una cum eruditiſſimis, emunctæque naris criticis Tillemontio, Ruinartio, Bailletio, Orſio, Natali Alexandro, aliiſque innumeris, quos vel recenſere longum nimis eſſet.

Baſnag. an. 301. num. 4.

JESU CHRISTI AN. 287. CAII PAPÆ 5.
DIOCLETIANI IMP. 4. MAXIMIANI IMP. 2.
COSS. VALERIO DIOCLETIANO AUG. III.,
ET VALERIO MAXIMIANO HERCULEO AUG.
OLYMP. 266. AN. 3. URBIS AN. 1040.

Maximiani victoriæ de Germanis.

Mamert. in panegyr. Maximiani.

1. Kalendis Januarii Treviris Maximianus Conſulatum iniit, eademque die Germanos illuc uſque progreſſos debellavit. Unde Mamertinus in Panegyrico anno ſequenti recitato:

to: *Vidimus te, Cæſar, eodem die, & in clariſſimo pacis habitu*, (ideſt conſulari) *& in pulcherrimo virtutis ornatu, haſtam poſito ſcipione rapuiſti, a tribunali temet in campum, a curuli in equum tranſtuliſti* ... deinde poſt aliqua: *Per te Regnum receperit Genobun, Eſathec vero munus acceperit*. Genoban, & Eſathec Reges Germanorum erant, cum quibus, reddito Regno, & datis muneribus, pacem inierat Maximianus.

Maximiani, & Diocletiani colloquium, & triumphus. *Cap. 9.*

2. Poſt hæc compoſitis Imperii rebus, Diocletianus, & Maximianus Bizantium hoc anno convenerunt, uti nos monet Mamertinus: *In quo vobis mutua præbuiſtis omnium exempla virtutum, atque invicem vos, quod fieri jam poſſe non videbatur, auxiſtis; ille oſtendendo dona Perſica*, ideſt Diocletianus, *tu illi ſpolia Germanica*. Quamobrem ob Parthos Germanoſque devictos, triumphum utriſque Imperatoribus Senatuſconſulto oblatum fuiſſe (quem an celebraverint Imperatores, in incerto eſt), indicat nummus maximi moduli in Muſeo Mediceo ſervatus, atque a Noriſio ſingulari diſſertatione illuſtratus, quo Imperatores laureati, ac conſularibus trabeis ornati, quadriga triumphali inſidentes repræſentantur, cum hac inſcriptione: DIOCLETIANO AUG. III., ET MAXIMIANO CONSULIBUS, ideſt hoc anno.

De lege Diocletiani, & Maximiani in Manichæos, an apocrypha, vel genuina ſit.

3. Legem adverſus Manichæos a Diocletiano latam exhibet Codex Gregorianus, titulo *de maleficis, & Manichæis*, ad Julianum Africæ Proconſulem hoc anno datam, qua Manichæos ſeverioribus pœnis afficiendos jubet, ita ut *flammeis ignibus exurantur*, ſi ex Auctoribus peſtiferæ ſectæ fuerint. *Conſectaneos vero, & uſque adeo contentioſos capite puniri præcepimus, & eorum bona Fiſco noſtro vindicari ſancimus*. Honoratiores vero cujuslibet dignitatis, qui ad turpem hanc, atque per omnia infamem ſectam, vel ad doctrinam Perſarum ſe tranſtulerint, patrimonio ſpoliatos, tanquam ſervos, forenſi, vel Proconſulari officio inſcribendos jubet. Baſnagio quidem inverosimile videtur, Diocletianum Manichæos magis, quam Chriſtianos ſuis edictis vexaſſe. Nobis tamen vetera monumenta leviſſimis hujuſcemodi conjecturis inter apocrypha ablegare religio eſt, & ars critica prohibet; quin ſi conjecturis locus, nil ſane obſtat Diocletianum Manichæis infenſum fuiſſe, quem Imperii ſui initio Chriſtianis faviſſe ſcimus, ita ut, Euſebio teſte, in Palatio Chriſtianorum plurimi, non ſolum ſecuri viverent; ſed & honoribus, officiiſque fulgerent. Ipſam quo-

Baſnag. an. 287.

Euſeb. lib. 8. 1.

JESU CHR. AN. 287.
Lactant. de mort. Perſeq. cap. 15.

quoque Diocletiani filiam , & uxorem , Valeriam ſcilicet , & Priſcam Chriſtianas fuiſſe , auctor eſt Lactantius . Chriſtianorum itaque , aut domeſticorum inſtinctu , adverſus Manichæos eam legem edidiſſe , etſi verum fortaſſe non ſit , vero tamen propius erit .

JESU CHRISTI AN. 288. CAII PAPÆ 6.
DIOCLETIANI IMP. 5. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 3.
COSS. MAXIMIANO AUG. II. , ET POMPONIO JANUARIO .
OLYMP. 266. AN. 4. URBIS AN. 1041.

De Conſulatu Maximiani Aug.
Marcellin. lib. 23. 1.
Noriſ. diſſer. de Numiſ. Dioclet. Pag. Tillem. Murat. Baſnag.

1. Maximum Pomponio Januario in Conſulatu ſocium fuiſſe , Panvinius , Baronius , aliique tradiderunt , quibus errandi occaſionem Marcellinus dedit ; dum ſcribit , poſt Conſulatum Diocletiani , & Ariſtoboli anni 285. , privatorum neminem cum Auguſto Conſulem proceſſiſſe , uſque ad Juliani , & Salluſtii Conſulatum . Falſum tamen eſſe conſtat ; nam faſti omnes cum Maximiano Auguſto Pomponium Januarium hoc anno Conſulem fuiſſe produnt , uti Noriſius , aliique adnotarunt .

Geneſius Mimus Fidei chriſtianæ illudens, ad Fidem vocatur.

2. Geneſium martyrem , Diocletiano imperante , occubuiſſe , Acta teſtantur : & quamvis annus , quo id acciderit , in obſcuro ſit , nil tamen prohibet , quin Actorum ſummam hoc loco exhibeamus . Itaque cum in Urbe Geneſius magiſter Mimithemelæ artis eſſet , & quadam die vellet Diocletiano Imperatori ludum exhibere de myſteriis Chriſtianæ religionis , atque hujus rei cauſa , ſpectante Imperatore , & omni populo , in theatro quaſi ægrotus decumberet , baptiſmum petens in hæc verba luſit : *Eja noſtri , gravem me ſentio , levem me fieri volo* : reſpondentibus vero ſociis : *Quomodo te levem facimus , ſi gravis es ? Nunquid nos fabri ſumus , & ad runcinam te miſſuri ſumus ?* Ad hæc verba tota plauſit platea . At Geneſius iterum : *Veſani , Chriſtianus deſidero mori.* Quare , inquiunt ? Iterum Geneſius , *ut in illa die veluti fugitivus in Deo inveniar* . Evocato autem Presbytero , & Exorciſta , repente , Deo inſpirante , credidit . Nam illi juxta lectum ipſius cum reſediſſent , dicunt ei : *Quid ad nos miſiſti , filiole ?* Geneſius jam non ſimulate , ac ficte , ſed ex puro corde reſpondit , ſe deſiderio teneri accipiendi gratiam Chriſti , per quam renatus , a pœnis iniquitatum ſuarum liberaretur . Cumque Sacramentorum myſteria compleſſent , Geneſius indu-

Digitized by Google

iudutus veſtibus albis, veluti per ludum a militibus raptus eſt, ac Imperatori exhibitus; at ille in editiori ſtans loco, in hæc verba prorupit. *Audi Imperator, & omnis exercitus, ſapientes, & populi hujus Urbis. Ego quotieſcumque Chriſtianum vel nominatum audivi, exhorrui, & in confeſſione permanentibus inſultavi. Ego etiam parentes meos, & affines, cauſa nominis Chriſtiani execratus ſum, & in tanta deriſione habui Chriſtianos, ut myſteria eorum diligenti examinatione perquirerem, ut ex eorum ſanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, & interrogatus credere me reſpondi, vidi ſuper me manum cœlitus venientem, & Angelos radiantes ſuper me ſletiſſe, qui omnia peccata, quæ ab infantia feci recitaverunt de libro, quem mox in ipſa aqua laverunt, in qua in conſpectu veſtro perfuſus ſum, & mihi candidiorem nive poſtmodum oſtenderunt. Nunc igitur, inclite Imperator, & vos omnes populi, qui de his myſteriis riſiſtis, mecum credite, verum Dominum eſſe Chriſtum, hunc eſſe lumen, hunc eſſe veritatem, hunc eſſe pietatem, & per ipſum vos ad indulgentiam poſſe pertingere.* Jesu Chr. an. 288.

3. Ad hæc Diocletianus vehementiſſime indignatus, eum fuſtibus crudeliſſime cæſum Plautiano Præfecto tradidit, ad ſacrificia compellendum: a quo in equuleo ſuſpenſus, & ungularum diutiſſima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide perſiſteret, ac teſtaretur: *Etiamſi millies occidar, Chriſtum mihi de ore, Chriſtum mihi de corde auferre tormenta non poterunt*; Præfecti ſententia illico decollatus eſt. Ita occubuit beatus Martyr Geneſius *VIII. Kalendas Septembris*, cujus memoriam 25. Auguſti Martyrologia celebrant; Kalendarium vero Carthaginenſe, a Mabillonio editum, Kal. Septembris.

Geneſius Chriſti fidem confeſſus, martyr occubuit.

4. Quod Romæ Geneſio contigit, Gelaſio, ſeu Gelaſino Heliopoli contigiſſe, teſtatur Paſchale Chronicon ad annum Diocletiani decimum tertium; qui proinde ſecundus mimus, & martyr dicitur. Cum vero eadem fere de Gelaſino apud Bollandum die 27. Februarii reperiantur, quæ de Geneſio ſupra narravimus, idcirco vel ſummatim etiam ea exponere ſuperfluum cenſemus.

De Gelaſio primum mimo, deinde martyre.

JESU

JESU CHRISTI AN. 289. CAII PAPÆ 7.
DIOCLETIANI IMP. 6. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 4.
COSS. BASSO II., ET QUINTIANO.
OLYMP. 267. AN. 1. URBIS AN. 1042.

De Hierace, ejuſque hæreſi. *Epiph. hær. 67.* De erroribus Hieracis. *1. ad Timoth. 2.* *Epiph. hær. 67.* *Hilar. de Trinit. lib. 6.*

1. Ex impia Manichæorum ſecta Heracitas prodiiſſe, auctor eſt Epiphanius. Horum Princeps Hierax quidem fuit Ægyptius, qui in medicina, omnibuſque Ægyptiorum, & Græcorum diſciplinis apprime eruditus, Aſtronomiam deinde ac Magiam edoctus, Chriſtianæ fidei deſertor, errorumque Magiſter factus eſt. Atque inter cetera reſurrectionem carnis negabat, vitam æternam virgines tantum, aut continentiam ſectautes aſſequi poſſe docebat, & ne pueros quidem etſi baptiſmate renatos in eam ingredi effutiebat, eo quod Apoſtolus ſcribat: *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit*. Cum Melchiſedechianis vero Melchiſedech Spiritum Sanctum fuiſſe ſomniabat, ac plurimos pietatis larva, ut idem tradit Epiphanius, dec , ; quippequi nonaginta annos vixerat, multiſque libris errores ſuos late diſſeminaverat. *Hic ſenex mortuus eſt. Scripſit autem græce, & ægyptiace expoſitionem Opificii ſex dierum, fabulis quibuſdam confictis, & fabuloſis allegoriis. Id quoque in aliis Scripturis fecit: pſalmos etiam multos recentes confecit.*

Macarius Monachus Hieracitam hæreticum miraculo vincit. *Ruffinus apud Roſweidum vita Patrum in Macario Ægyptio lib. 2. pag. 480.*

2. Per Ægyptum præcipue cum ea hæreſis ſerperet, ineunte ſeculo quarto Macarius Monachus Hieracitam hæreticum miraculo fugavit, ut narrat Ruffinus. Poſtquam enim multa, qua pollebat, loquendi arte plurimos fratrum, qui habitabant in Eremo, conturbare auſus eſſet, ac argumentorum ſubtilitate, ac fallaciis monachorum ſimplicitati illuderet; ut eorum fidem periclitari Macarius animadvertit: *Quid opus eſt*, inquit, *nos verbis contendere ad ſubverſionem audientium? Exeamus ad ſepulcra fratrum, qui nos præceſſerunt in Domino, & cui noſtrum conceſſerit Dominus ſuſcitare mortuum de ſepulcro; ſciant omnes, quia illius fides probatur a Deo*. Conditione hinc inde accepta, ad ſepulcrum ambo proceſſerunt. Macarius vero Hieracitam rogavit, ut mortuum in nomine Domini ſuſcitaret: cumque ille reponeret, id ad eum ſpectare, qui prior conditionem propoſuerat; Macarius poſternens ſe in oratione, elevatis ad Deum oculis: *Tu*, inquit, *Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat, oſtende, elevato mortuo hoc*, ac fratris cujuſdam

juſdam nomen, qui nuper fuerat ſepultus, evocavit: cui ille cum de tumulo reſpondiſſet, accedentes monachi continuo, quæ ſuperpoſita erant, abſtulerunt, & eductum de ſepulcro, reſolutis faſciolis, quibus conſtrictus erat, exhibuerunt viventem. Hæc ut vidit Hieracita, obſtupefactus in præcipitem ſe fugam dedit, quem fratres quoque omnes inſequentes, extra fines ſuos exturbarunt. Hucuſque de his Ruffinus ex Evagrio monacho. Jesu Chr. an. 289.

3. Hoc tempore, cum Theonas Alexandrinam Eccleſiam regeret, Pierius ejuſdem Eccleſiæ presbyter floruit, vir doctrina, & pietate inſignis, qui, ut ait Hieronymus, *in tantam ſermonis, diverſorumque tractatuum, qui uſque hodie extant, venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur*. Euſebius vero: *Inter eos, qui proxime ad noſtra uſque tempora acceſſerunt, ſingulares ac eximios viros novimus, Pierium quidem Alexandrinæ urbis presbyterum, qui ſpontanea paupertate, & philoſophicis diſciplinis illuſtris in ſacrarum litterarum contemplatione, atque expoſitione, & in eccleſiaſticis concionibus apprime exercitatus fuit*. Hujus longiſſimus tractatus in Prophetam Oſeám extabat Hieronymi ætate. Poſt Diocletiani vero perſecutionem, reliquum vitæ tempus Romæ tranſegiſſe Pierium idem loco ſupracitato narrat Hieronymus. Minus tamen caute de Spiritu Sancto eum ſcripſiſſe, his verbis adnotat Photius: *De Patre, & Filio pie credit: verumtamen de Spiritu Sancto periculoſe nimis, atque parum pie docet, dum inferiorem eſſe gloriæ, quam ſit Pater, & Filius, affirmat*. De ſtylo autem addit: *Stylus illi clarus, & perſpicuus, & quaſi ſponte fluens, nihil exquiſitum præſefert, ſed velut ex tempore fuſus placide, ac leniter, ſenſimque decurrit*. Eodemque tempore Achillas ejuſdem Alex. Eccleſiæ presbyter floruit: *Cui etiam chriſtianæ Fidei inſtitutio commiſſa erat. Hic præ ceteris omnibus ſublimioris philoſophiæ, & evangelicæ converſationis ſincerum ſpecimen operibus ipſis exhibuit*, ait Euſebius.

De Pierio, & Achilla presbyteris Alexandrinis. *Hier. de Vir. illuſtr. c. 76.* *Euſeb. lib. 7. 32.* *Phot. Cod. 119.* *Euſeb. ut ſupra.*

4. Pierio, & Achillæ Meletium addimus, *Ponticarum Eccleſiarum Epiſcopum*, ideſt Sebaſtopoleos, ut ex Philoſtorgio ſcimus: *Meletius vero*, ait Euſebius, *quem mel Atticum vulgo docti homines vocabunt, talis omnino fuit, qualem quis hominem perfectiſſimum in omni genere doctrinæ vellet deſcribere. Eloquentiam quidem quod attinet, nemo illum pro merito laudaverit, ſed hanc facultatem a natura ipſi inſitam fuiſ-*

De Meletio Epiſcopo. *Euſeb. lib. 7. 32.* *Philoſtorg. lib. 1. num. 7.*

Jesu Chr. an. 289.

ſe, aliquis fortaſſe dicet. Reliquam vero peritiam, & multiplicem eruditionem, quis eſt, qui poſſit unquam ſuperare? Certe quicumque, vel ſemel ejus periculum fecerit, in omnibus diſciplinis, quæ ratiocinatione utuntur, ſubtiliſſimum, ac diſertiſſimum fuiſſe fatebitur. Jam vero virtus, vitæque ſanctimonia nullatenus iis dotibus inferior erat. Hunc nos perſecutionis tempore in Palæſtina latitantem ſeptem annorum ſpatio videre meruimus.

JESU CHRISTI An. 290. Caii Papæ 8. Diocletiani Imp. 7. Maximiani Imp. 5. Coss. Diocletiano Aug. IV., Et Maximiano Herculeo Aug. III. Olymp. 267. An. 2. Urbis An. 1043.

Ante generalem perſecutionem Martyres ſub Diocletiano fuerunt.

Dodwell. diſſert. 11. in Cypr.

Baſnag. an. 289.

Tillem. to. 4. pag. 587.

Ruinart. act. Martyr. pag. 295.

I. Cum nil relatu dignum hic annus exhibeat, de nonnullis Martyribus, quos Imperante Diocletiano, anno tamen incerto, certaſſe ſcimus, hic ſermo fiet. Ante annum 303, quo generalem in Chriſtianos perſecutionem excitavit Diocletianus, neminem martyrio vitam finiiſſe, ſcribunt Dodwellus, & Baſnagius. At Tillemontio, Ruinartio, aliiſque adnotantibus, dubitari non poteſt, ante id temporis nonnullos, atque ex iis Rogatianum, & Donatianum ſub Diocletiano martyrio fuiſſe coronatos: quorum certamen, ut ait Ruinartius, *melius forte ad Diocletiani Imperii initia revocaretur; quo tempore etſi non adeo fervens eſſet perſecutio; martyria tamen aliquot celebria fuere. Utrumque probari poteſt B. Sebaſtiani exemplo, quem nemo poteſt inficiari paſſum ante exortam graviſſimam illam perſecutionem, quæ aliquanto poſt adeo immaniter graſſata eſt*; id

Ambroſ. enar. in pſalm. 118. num. 44.

enim Ambroſius his verbis indicat: *Utamur exemplo Sebaſtiani Martyris, cujus hodie natalis eſt. Hic Mediolanenſis oriundus eſt; fortaſſe aut jam diſceſſerat Perſecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Advertit hic nullum eſſe, aut tepere certamen, Romam profectus eſt, ubi propter Fidei ſtudium perſecutionis acerba fervebant; ibi paſſus eſt, hoc eſt, ibi coronatus.* Perſecutio itaque generalis non erat, etſi alicubi, ut Romæ, acerbius ferveret. Inſuper ex memorato Ambroſii loco patet, quarto ineunte ſeculo in Eccleſia Mediolanenſi S. Sebaſtiani feſtum celebratum fuiſſe: cujus etiam memoriam in Romana, & Carthaginenſi Eccleſia celebratam

Digitized by Google

tam fuiſſe, ex Indiculo Bucheriano, & Carthaginenſi Kalendario, a Mabillonio edito, conſtat, in quibus Sebaſtiani martyris nomen inſcriptum eſt. *Sebaſtiani quidem Acta extant egregia, & antiqua*, ait Ruinartius, quorum partem maximam Annalibus ſuis Baronius inſeruit, utpote genuina, ut ipſe ait, & a Notariis Romanæ Eccleſiæ conſcripta. Alii vero S. Ambroſium eorum compilatorem aſſerunt, quorum ſane ſententiæ ſubſcribere nequimus; nam etſi antiqua, originalia tamen, aut a S. Ambroſio digeſta fuiſſe, non conſtat, ut pluribus adnotat Tillemontius. Alios autem plurimos eodem tempore Romæ pro Fide decertaſſe, eadem Acta teſtantur, Marcum ſcilicet, & Marcellianum fratres, Nicoſtratum cum Zoe uxore, aliiſque plurimis, de quibus apud Baronium, aut Bollandum plura videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 290.

Ruinart. ut ſupra. Baron. ann. 284. Tillem. to. 4. pag. 525. 740. Bolland. 20. Januar.

JESU CHRISTI AN. 291. CAII PAPÆ 9.
DIOCLETIANI IMP. 8. MAXIMIANI IMP. 6.
COSS. TIBERIANO II., ET CASSIO DIONE.
OLYMP. 267. AN. 3. URBIS AN. 1044.

1. Cum Carauſius Britanniam, quam anno 286. invaſerat, adhuc teneret, incurſionibuſque finitimas Galliarum provincias affligeret; cumque Achileus in Ægypto periculoſam excitaſſet ſeditionem; ne quid inde Reſpublica detrimenti caperet, media hyeme Mediolanum Diocletianus, & Maximianus convenere: de quorum adventu Mamertinus in panegyrico hoc anno in Herculei laudem celebrato hæc habet: *Qua tandem vice temporum, quo tempeſtatis habitu? nempe hyeme ſæviſſima, & in his quoque regionibus inuſitata, cum algor, glacies nivem premerent .... Quid illud dii boni, quale pietas veſtra ſpectaculum dedit, cum in Mediolanenſi palatio, admiſſis, qui ſacros vultus adoraturi erant, conſpecti eſtis ambo &c.* Inter cetera cautum eſt, ut duo Cæſares crearentur, quorum inauguratio ad ſequentem annum dilata eſt.

Auguſti Mediolanum veniunt.

Digitized by Google

Jesu Chr. an.292.

JESU CHRISTI an. 292. Caii Papæ 10.
Diocletiani Imp. 9. Maximiani Herculei Imp. 7.
Coss. Annibaliano, et Asclepiodoro.
Olymp. 267. an. 4. Urbis an. 1045.

Conſtantius, & Galerius Cæſares dicti. *Euſeb. in Chron.*

1. *Ægyptum Achilleus obtinuit*, ait Euſebius in Chronico, *ob quæ Conſtantius, & Galerius Maximianus Cæſares aſſumuntur in Regnum, quorum Conſtantius Claudii Imperatoris ex filia nepos fuit. Galerius in Dacia haud longe a Geroica natus, atque ut eos Diocletianus etiam affinitate conjungeret, Conſtantius privignam Herculei Theodoram accepit, ex qua poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit; Galerius filiam Diocletiani Valeriam duxit, ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulſi*. Euſebio conſentiunt Eutropius, & Victor de Cæſaribus. Cæſarum inaugurationem Nicomediæ Kalendis Martii contigiſſe ex Idacii faſtis, & Lactantio ſcimus; in quam rem hæc habet Mamertini panegyricus, Maximiano inſcriptus: *O Kalendæ martiæ, ſicut olim annorum volventium, ita nunc æternorum auſpices Imperatorum! Quanta enim invictiſſimi Principes & vobis, & Reipublicæ propagatio Orbis veſtri participando tutelam!* De die nil dubii remanet: de anno tamen, quo Cæſares dicti ſunt, diffident eruditi; cum eorum aliqui anno elapſo id factum tradant, ut Noriſius, Valeſius; alii vero, quibus ſubſcribimus, hoc anno. Cur autem duo Cæſares creati ſint, Aurelius Victor his verbis indicat: *Quoniam bellorum moles urgebat, quaſi partito Imperio, cuncta, quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſa, Africa, Italiaque Herculio, Illyrici ora uſque ad Ponti fretum Galerio; Cetera Valerius Diocletianus retentavit*, ideſt, Orientis provincias a Byzantino fretu uſque ad Perſidem. Multiplicatis tamen Principibus, Reipublicæ incommoda creverunt: *Hinc*, ſubdit idem Auctor, *parti Italiæ invectum tributorum ingens malum*. Cum enim duo Imperatores, & utrique Cæſares exercitum, comitatumque haberent, militum, aulicorumque numerus in immenſum auctus adeo eſt, ut multiplicatis ſtipendiis, tributorum etiam exactiones augeri, neceſſe fuerit, ita ut præ earum acerbitate inculti paſſim relinquerentur agri, ac totus undique Rom. Orbis vexaretur, uti alias ex Lactantio adnotavimus.

Lactant. de mort. perſecut. cap. 19.

Tillem. hiſt. Imp. tom. 4. not. 1. in Dioclet. pag. 603. Murat., Baſnag., Baron. Pag. hoc an.

2. In

2. In hac Cæſarum nuncupatione Conſtantius primum locum obtinuit, primuſque eſt inauguratus. Is Claudiam Criſpi filiam matrem habuit, Patrem Eutropium, nobiliſſimum gentis Dardanæ virum, & Claudio Imperatori agnatione proximum: tantaque virtutum laude vel ab ipſa ineunte ætate floruit, ut eum Dalmatiæ tunc præfecturam gerentem in Carini locum ſubrogare Carus voluerit, quia *Conſtantio nemo tunc vir melior videbatur*, ait Vopiſcus. Natura vero adeo mitis fuit, ut, exorta graviſſima in Chriſtianos perſecutione, a fundendo eorum ſanguine ſe ſe temperaverit. Uxorem habuit Helenam, quam alii concubinam dicunt, utpote viliſſimo loco natam, Naiſſo ſcilicet in Dacia: legitimam tamen conjugem fuiſſe, pluribus argumentis demonſtrat eruditiſſimus Noriſius; eodemque loco Conſtantium in Britannia lucem nequaquam vidiſſe probat, ſed Naiſſo in Dardania: atque Uſſerii & Alfordii opinionem confutat, qui eumdem in Britannia ortum habuiſſe ſcripſerant. Helenam porro Conſtantius repudiavit, ut Theodoram Herculei filiam duceret, cum jam Conſtantinum filium ex ea ſuſcepiſſet. Ex Theodora vero *ſex liberos Conſtantini fratres habuit*, ait Eutropius, ideſt Dalmatium, Conſtantium, Anniballianum, Conſtantiam, quæ Licinio nupſit, Eutropiam, & Anaſtaſiam.

Jesu Chr. an. 292.

De Conſtantii genere, & moribus.

Vopiſc. in Carin. cap. 17.

Tom. 4. Op. pag. 645.
Uſſer. antiquit. Britann.
Alford. annal. Britann.

3. Inter fabulas itaque a Græcis inventas ea habenda eſt, quæ de nuptiis Conſtantii cum Helena, deque incunabulis Conſtantini tradit Nicephorus; quod ſcilicet Conſtantio Iter agendo, ac Drepano in domo patris Helenæ pernoctanti filiam ſuam venuſta forma, ætatiſque flore jam nubilem pater ad concubitum permiſerit, filiumque ex ea ſuſceperit. Poſt longum vero tempus, cum jam Conſtantius Imperator eſſet, atque ad Perſas legatos miſiſſet, Drepanum cum perveniſſent legati, ac in Helenæ domo hoſpitio excepti, generoſam pueri indolem admirantes, deque pueri ortu edocti ad Conſtantium deduxerunt, qui, re cognita, matrem una cum puero Romam adduci curavit. Timens autem, ne aliquid infenſi Theodora adverſus Conſtantinum Helenæ filium moliretur, eum Nicomediam ad Diocletianum miſit. *Atque ibi ille benigne ſuſceptus, in Palatio apud Imperatorem vixit, & inter domeſticos ſcholarum adſcitus, græcas litteras addidicit, ſimulque Chriſtianiſmum complexus eſt.* Hæc de incunabulis Conſtantini nugæ, ac fabulæ ſunt, quas commento altero Baronius refellit, dum Helenam Conſtantii

De Helenæ nuptiis cum Conſtantio, & de Conſtantini incunabulis fabuloſa narratio.

Baron. ann. 306. 14. 21.

Jesu Chr. ſtantii uxorem ex quodam Britanniæ Regulo , *Coel* nuncupa-
an.292. to , genitam fuiſſe tradit : quam opinionem Britannici ſcri-
Uſſer. Annal. ptores , ab Uſſerio citati , paſſim ſequuntur ; in errorem ducti
Britann.cap.8 ab Auctore panegyrici , Maximiano , & Conſtantino dicti , qui ait : *Liberavit ille* , ideſt Conſtantius , *Britannias ſervitute* , *tu etiam* , ad Conſtantinum , *nobiles eſſe illic oriendo feciſti* . Unde , quæ ibidem de Natali Imperii dixerat Auctor panegyrici , de Conſtantini nativitate intellexerunt ; quem ſane Naiſſo genitum fuiſſe , ex Firmico , & anonimo Valeſiano ſcimus : *Hic igitur* , ideſt Conſtantinus , *natus Helena matre viliſſima* , *in oppido Naiſſo* , *atque eductus* ; *quod oppidum poſtea magnifice exornavit* , *litteris minus inſtructus* , *obſes apud Diocletianum* , *& Galerium* , *ſub iiſdem fortiter in Aſia militavit* . Nec prætereundum eſt , S. Ambroſium de Helena Conſtantini matre hæc adnotaſſe : *Stabulariam hanc primo fuiſſe aſſerunt* , *ſic cognitam Conſtantio ſeniori* , *qui poſtea Regnum adeptus eſt* . Baronius vero , ſtabulariam ideo dictam fuiſſe ſcribit , etſi nobiliſſimo genere ortam , eo quod hoſpitio Conſtantium exceperit . Dignum ſane patella operculum . Sed de Conſtantii , & Helenæ initiis hactenus .

Ambroſ. de funer. Theod. pag.195. to.4. edit. Venet.

De ortu , & moribus Galerii Maximiani Cæſaris .

4. Galerio Maximiano obſcuri natales fuere : *Ortus in Dacia Ripenſi* , ait Victor , *haud longe a Sardica* , *matre cui Romulæ nomen* , *parentibus agrariis* , *paſtor armentorum* ; *unde ei cognomen Armentarius fuit* . Cum Cæſar autem dictus eſt , Galerii Maximiani nomen ſumpſit : *Jam & ipſi Galerio Diocletianus nomen ex parte mutaverat* , *ominis cauſa* , *quia Maximianus fidem ſumma religione præſtabat* ; ideſt , cum Maximiani Herculei fidem perſpectam haberet , Galerio etiam Maximiani nomen impoſuit Diocletianus , ſperans non aliter ac Herculeum fidem ſibi ſervaturum fore . Galerium vero his coloribus pingit Lactantius : *Alter vero Maximianus* , *quem ſibi generum Diocletianus aſciverat* , *non his duobus tantum* , *quos tempora noſtra ſenſerunt* , *ſed omnibus* , *qui fuerant malis pejor* . *Inerat huic beſtiæ naturalis barbaries* , *efferitas a Romano ſanguine aliena* . *Non mirum cum mater ejus Tranſdanuviana* , *infeſtantibus Carpis in Daciam novam* , *trajecto amne confugerat* . *Erat etiam corpus moribus congruens* , *ſtatus celſus* , *caro ingens* , *& in horrendam magnitudinem diffuſa* , *& inflata* ; *denique & verbis* , *& actibus* , *& aſpectui terrori omnibus* , *ac formidini fuit* . Et poſt aliqua de ejuſdem ambitione ,

Lactant. de mort. perſecut. cap.18.

Cap. 9.

Digitized by Google

ne, & faſtu, ita ut & Diocletianum ſollicitum teneret, addit: *Exinde inſolentiſſime agere cœpit, ut ex Marte ſe procreatum & videri, & dici vellet, tamquam alterum Romulum, maluitque Romulam matrem ſtupro infamare, ut ipſe diis oriundus videretur*. Eadem Victor in Epitome: *Is inſolenter affirmare auſus eſt, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis compreſſam Dracone ſemet concepiſſe*. Præ ceteris vero Galerii memoriam exoſam reddidit ejuſdem in Chriſtianos odium, unde ſæviſſimæ perſecutionis auctor, & incentor fuit. Jesu Chr. an. 292.

JESU CHRISTI an. 293. Caii Papæ 11.
Diocletiani Imp. 10. Maximiani Herculei Imp. 8.
Coss. Diocletiano Aug. V.,
Et Maximiano Herculeo Aug. IV.
Olymp. 268. an. 1. Urbis an. 1046.

1. Ad hunc annum de inſana Diocletiani ſuperbia, qua divinos ſibi honores uſurpavit, hæc in Chronico adnotat Euſebius: *Primus Diocletianum adorari ſe ut Deum, ac gemmas veſtibus, calceamentiſque inſeri juſſit, cum ante eum Imperatores in modum Judicum ſalutarentur, & clamyde purpurea a privatis diſtinguerentur*. Diocletiani faſtus. *Euſeb. Chron. Op. Hieron. tom. 8.*

2. Hoc etiam anno Carauſius, qui Britanniam occupaverat, *poſt ſeptennium*, ut habet Eutropius, aut ſexennium, ut ait Victor de Cæſaribus, ab Electo interfectus eſt. Quo ſublato, ipſe Electus purpuram induit, tyrannidemque triennio ibidem tenuit, Eutropio, & Oroſio teſtibus. Carauſius in Britannia occiditur. Electus ei ſuccedit.

JESU CHRISTI an. 294. Caii Papæ 12.
Diocletiani Imp. 11. Maximiani Herculei Imp. 9.
Coss. Flavio Valerio Constantio Cæsare,
Et Valerio Maximiano Cæsare.
Olymp. 268. an. 2. Urbis an. 1047.

1. De geſtis a Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus hoc tempore Eutropius adnotat: *Varia deinceps & ſimul, & viritim bella geſſerunt. Carpis, & Baſtarnis ſubactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentem captivorum copiam in Romanis finibus locaverunt*. Idacius vero ſub hujus anni Conſulibus addit: *His Conſulibus caſtra facta ſunt in Sarmatia*, Diocletiani geſta adverſus Sarmatas.

con-

Jesu Chr. an. 294. *contra Acinco, & Bononia*. Aquincum, ſeu Acincum, nunc Buda dicitur: Bononia vero olim urbs, nunc oppidulum inferioris Pannoniæ ad Danubium, Cluverio teſte.

De Actis S. Suſannæ, & Sociorum. 2. Inter Martyres, qui, Diocletiano, & Maximiano imperantibus, Eccleſiam egregia confeſſione illuſtrarunt, Suſanna, cum Serena, Claudio, Gabinio, & ſociis accenſentur; quorum Acta hoc & ſequenti anno integra fere, etſi longiora, Annalibus ſuis inſeruit Baronius, ac poſt eum Bollandus vindicavit. Ea tamen ſuſpectæ fidei eſſe, nemo negabit, qui eadem attentius conſideraverit. De Suſannæ actis hæc quidem adnotavit Annalium Parens: *Deridebunt hæc fortaſſe litteratuli, qui Gentilium inſtar candidam chriſtianam ſimplicitatem ex more ſugillant, quod apud ſcriptores Æthnicos, vel in antiquis inſcriptionibus nulla penitus de Serena Auguſta Diocletiani uxore mentio habeatur; ſed dicant quoniam alio nomine Diocletiani conjux Auguſta ab antiquioribus dicta inveniatur; quod ſi alio nomine eam quis appellatam poſſet invenire, non tamen propterea Serenæ nomen explodendum eſſet; quid enim abſurdi eſt, ut Imperator, qui tot annis vixit, plures diverſis temporibus uxores habuerit, vel illa ipſa etiam Serena fuerit cognominata*. Hactenus de Serena Diocletiani uxore Baronius: quam tamen Priſcam fuiſſe ex Lactantii libro, poſt Baronii ætatem, in lucem edito ſcimus, qui & addit, eam una cum filia Valeria anno 303., perſecutione urgente, a Fide chriſtiana defeciſſe: *Furebat ergo Imperator*, ait Lactantius, *jam non in domeſticos tantum, ſed & in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coegit*. Priſca Diocletiano, antequam Imperator eſſet, nupſerat; unde ejus filia Valeria anno Imperii ejus nono, Galerio Maximiano Cæſari nuptui data eſt, ut anno 291. diximus. Utraque vero, ideſt Priſca, & Valeria Diocletiano ſuperſtites fuerunt, quas Licinius interficiendas juſſit, eodem teſtante Lactantio: *Valeria quoque per varias provincias quindecim menſibus plebejo cultu pervagata, poſtremo apud Theſſalonicam cognita, comprehenſa cum matre* (Priſca) *pœnas dedit. Ductæ igitur cum ingenti ſpectaculo, & miſeratione tanti caſus ad ſupplicium, & amputatis eorum capitibus, corpora earum in mare abjecta ſunt*. Hæc de exitu Priſcæ, & Valeriæ, uxoris, & filiæ Diocletiani Lactantius: quæ ſi Baronio, aut Bollando cognita fuiſſent, fortaſſe Suſannæ Acta pro genuinis non venditaſſent. 3. Cer-

Baron. ann. 294. 295. Pag. ibid. Bolland. 25. Januar.

Lactant. de mort. perſecut. num. 5.

Lactant. cap. 51.

Digitized by Google

3. Certiora ſunt, quæ de paſſione Victoris martyris, & Sociorum narrantur ab auctore antiquiſſimo, aut fortaſſe coævo. Martyrii annus in obſcuro eſt: imperante tamen Maximiano, id accidiſſe Acta ipſa teſtantur, quorum ſummam exhibere ſat erit. Cum itaque poſt Thebeorum cædem Maſſiliam adveniſſet Maximianus, ac immani adverſus Chriſtianos accenſus furore; exquiſitis, acerbiſſimiſque ſuppliciis ad ſacrificandum Idolis compelleret; Victor fidei tuendæ zelo incenſus, Chriſtianorum domos nocte circumiens, ſingulos ad amorem æternæ vitæ, & tranſitoriæ contemptum excitabat. Quare a Gentilibus captus Præfecto ſiſtitur, cui cum Præſes nec deorum cultum ſuadere potuiſſet, aut ut militiæ ſtipendia, ac Cæſaris amicitiam retineret, ad Maximianum Imp. perductus eſt: ſed & iterum ut Chriſti fidem abjuraret fruſtra tentatum, cum per totam urbem raptari eum, ac vexari juſſiſſet Imperator, ac tandem dixiſſet: *Unum tibi elige, aut placare deos, aut cum ſumma infelicitate deperire*; Martyr reſpondit: *Deos ſperno, Chriſtum fateor, quæcumque poteſtis, date ſupplicia, cumulate tormenta*. Ea de cauſa cum acerrime torqueretur, Martyrem ſuum in agone confortans adfuit Chriſtus, cui hæc dixit: *Pax tibi Victor noſter, ego ſum Jeſus, qui in Sanctis meis injurias, & tormenta ſuſtineo: viriliter age, & eſto robuſtus, ego enim tecum ſum fortis adjutor in prælio, qui & fidelis poſt victoriam remunerator in Regno*. Equuleo depoſitum, & in cuſtodiam ductum præſentia ſua iterum conſolatus eſt Chriſtus, ac teterrimum carcerem lucis ſuæ radiis illuſtravit: quo viſo miraculo tres milites, fide ſuſcepta, nocte eadem ſunt baptizati, Alexander ſcilicet, Longinus, & Felicianus, qui in ejuſdem confeſſione perſeverantes, gladio necati, martyrii coronam meruerunt. Victor vero iteratis ſuppliciis tentatus, cum Jovis aram, quaſi litaturus, pede dejeciſſet, minutus pede, *velut quaſdam ſuave olentes primitias ſui corporis dedicavit*; tum mola piſtrina ſuppoſitus, toto corpore quaſſatus, cum adhuc reſpiraret, abſciſſo capite, martyrium complevit; eodemque momento de cœlo vox audita eſt dicens: *Viciſti Victor beate, viciſti*. Victoris, & ſociorum martyrum corpora in mare demerſa, cum ad oppoſitum litus illæſa tranſiiſſent, a Chriſtianis in crypta nativo in ſaxo operoſe, ac decenter exciſa ſepulta ſunt: de quibus multa habet Gregorius Turonenſis, & Venantius Fortunatus.

Jesu Chr. an. 294.

De Actis Victoris Martyris, & Sociorum. *Ruinart. pag. 300.*

Victoris ſupplicia, & martyrium.

Tres milites ad fidem convertuntur, pro eaque Martyres fiunt.

Gregor. Tur. de glor. Martyr. lib. 1. 77. Venant. Fortun. lib. 8. cann. 4.

JESU CHR. AN. 295.

JESU CHRISTI AN. 295. CAII PAPÆ 13.
DIOCLETIANI IMP. 12. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 10.
COSS. NUMINIO TUSCO, ET ANNIO ANULINO.
OLYMP. 268. AN. 3. URBIS AN. 1048.

Maximilianus militare renuit; eaque de cauſa martyrium ſubiit. *Mabill. Analect. tom. 4. Ruinart. pag. 308.*

1. Inter ſinceriora antiquitatis monumenta Acta S. Maximiliani martyris a Mabillonio, & Ruinartio accenſentur, Tuſco, & Anulino Conſulibus ſignata, qui mori magis elegit, quam militari juramento, aut ſacrificiis Gentilium pollui, cujus memoria die 12. Martii in Martyrologiis recenſetur. Paſſus eſt autem Sebaſte in Numidia: *Tuſco, & Anulino Conſulibus IV. Idus Martii Treveſte in Foro, inducto Fabio Victore, una cum Maximiliano, & admiſſo Pompejano advocato, ...: Fabius Victor Temonarius* (ideſt Præfectus Tyronum, ut apud Vegetium lib. 1. cap. 7. de re militari) *eſt conſtitutus cum Valeſiano Quintiano Præpoſito Cæſarienſi cum bono Timone* (ideſt Tyrone) *Maximiliano filio Victoris, quoniam probabilis eſt, rogo, ut incumetur*, ideſt menſuretur. *Dion Proconſul dixit: quis vocaris? Maximilianus reſpondit: Quid autem vis ſcire nomen meum? mihi non licet militare, quia Chriſtianus ſum. Dion Proconſul dixit: Apta illum. Cumque aptaretur, Maximilianus reſpondit: Non poſſum militare; non poſſum malefacere. Chriſtianus ſum. Dion Proconſul dixit: Incumetur. Cumque incumetus fuiſſet, ex officio recitatum eſt: Habet pedes quinque, uncias decem. Dion dixit ad officium: Signetur. Cumque reſiſteret Maximilianus, reſpondit: Non facio, non poſſum militare. Dion dixit: Milita, ne pereas; non milito ſæculo, ſed milito Deo meo. Dion Proconſul dixit: Quis tibi hoc perſuaſit? Maximilianus reſpondit: Animus meus, & is, qui me vocavit. Dion ad Victorem patrem ejus dixit: Conſiliare filium tuum. Victor reſpondit: Ipſe ſcit, habet conſilium ſuum, quid illi expediat. Dion ad Maximilianum: Milita, & accipe ſignaculum; reſpondit: Non accipio ſignoculum, jam habeo ſignum Chriſti Dei mei. Dion dixit: Statim te ad Chriſtum tuum mitto. Reſpondit: Vellem modo facias: Hoc & mea laus eſt. Dion ad officium dixit: Signetur. Cumque reluctaret, reſpondit: Non accipio ſignaculum ſæculi; & ſi ſignaveris, rumpo illud, quia nihil valeo: Ego Chriſtianus ſum, non licet mihi plumbum collo portare, poſt ſignum ſalutare Do-*

Digitized by Google

Domini mei Jeſu Chriſti. Inter multa a Dione addita, ut eidem militiam ſuaderet, quamplurimos alios in exercitibus Diocletiani, & Maximiani, Conſtantii, & Maximi Chriſtianos eſſe dixit: at ipſi ſciunt quid eis expediat, reſpondit Maximilianus, ſe autem militare non poſſe. Quare adverſus eum hanc tandem ſententiam Dion dixit: *Quia indevoto animo militiam recuſaſti, congruentem accipies ſententiam ad cæterorum exemplum*. Tunc decretum ex tabella recitavit, qua Maximilianum, eo quod militare recuſaſſet, gladio animadverti juſſit. Maximilianus autem reſpondit: Deo gratias. Ad ſupplicii vero locum ductus, hilari vultu patrem rogavit, ut ſpiculatori veſtem novam daret, quam ad militiam ſibi paraverat. Martyris corpus Pompejana matrona acceptum Carthaginem detulit, & ſub monticulo juxta Cyprianum martyrem ſecus palatium condidit; *& ita poſt* XIII. *dies eadem matrona diſceſſit, & illic poſita eſt. Pater autem ejus Victor egreſſus eſt domui ſuæ cum gaudio magno gratias agens Deo, quod tale munus Domino præmiſit, ipſe poſtmodum ſecuturus*.

JESU CHR. AN. 295.

JESU CHRISTI AN. 296. MARCELLINI PAPÆ I. DIOCLETIANI IMP. 13. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 11. COSS. DIOCLETIANO AUG. VI., ET CONSTANTIO CÆSARE II. OLYMP. 268. AN. 4. URBIS AN. 1049.

I. Hoc Chriſti anno Cajus Papa, exactis in Pontificatu annis duodecim, menſibus quatuor, diebus aliquot, vivere deſiit decimo Kalendas maii, Diocletiano VI., & Conſtantio Cæſare II. Conſulibus, ut catalogo Bucheriano legitur: de quo etiam Indiculus depoſitionis Epiſcoporum addit: *decimo Kal. Maii, Caii in Calliſti*. Ceterum ſi fides catalogis Romanorum Pontificum habenda, *Cajus fugiens perſecutionem Diocletiani, in cryptis habitans Confeſſor quievit*. Inter Martyres tamen ejus memoria in nonnullis recenſetur Martyrologiis. Nec mirum cum eo titulo ii etiam aliquando exornarentur, qui etſi pro Chriſti fide certantes, vitam cum morte non commutaſſent, nihilominus pro pietate, dum viverent, perſecutiones, ludibria, labores perpeſſi, in pace quieverant: quod Cajo Pontifici contigiſſe dubitari non poteſt, qui ſub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano Pontificatum tenuit. Minus etiam accurata eſt Euſebii Chronologia, dum annis quin-

Caii Papæ obitus.

Euſeb. lib. 7. 32.

 decim

Jesu Chr. an. 296.

Coutan. pag. 306.

Basnag. an. 3.

Blondell. Iſid. cap.

decim circiter, & uſque ad ſua fere tempora Rom. Sedem occupaſſe ait; quem annum decimum tertium vix attigiſſe conſtat. Unicam Cajo Pontif. decretalem, Felici Epiſcopo datam, inſcripſit Iſidorus, qua de Judiciis Eccleſiaſticis, & de Jeſu Chriſti incarnatione pluribus agit, quamque ipſa ſubſcriptio, & integrum caput ex epiſtola S. Leonis ad Leonem Auguſtum ſuppoſititiam prodit.

Marcellinus Cajo Papæ ſuccedit.

2. Cajo defuncto ſucceſſit Marcellinus, natione Romanus ex patre Projecto, ut in Damaſi Chronico legitur, qui Romanam Eccleſiam rexit *annis* VIII. *menſibus* III. *diebus* XXV. *Fuit temporibus Diocletiani, & Maximiani, ex die pridie Kalend. Julias a Conſulibus Diocletiano VI., & Conſtantio II. uſque in Conſulatum Diocletiani IX., & Maximiani VIII.*, ideſt, a labenti anno ad annum 304., cui Chronologiæ & Euſebius conſentit, dum annos novem Eccleſiam gubernaſſe tradit, inceptum annum pro completo enumerans, ut ab Hiſtoricis fieri ſæpe ſolet.

Euſeb. Chron.

Marcellini fama vindicatur.

Nicolai epiſt. 8. ad Michelem Imp. to. 8. Concil. pag. 306.

3. Teterrimo idololatriæ crimine Marcellini Pontificis famam olim aſperſam fuiſſe ſcimus: quod primum a Donatiſtis per calumniam vulgatum, tractu temporis eouſque hominum mentes occupaverat, ut vel ipſe Nicolaus Papa primus idem teſtatum reliquerit, & Damaſi Chronicon, Romanumque Breviarium confirment, ut Baronium, alioſque recentiores prætereamus. Aſt unus præ ceteris audiatur Baronius, qui ut ejuſmodi fabellæ fidem adſtrueret, nullum non movit lapidem, etſi veterem impoſturam non ſolum olfeciſſe videatur, ſed pene tetigiſſe. Unde in Marcellini Acta, quibus iſta narrantur, hæc adnotanda cenſuit: *Eadem acta, etſi veneranda extent antiquitate ſignata, veteribus teſtata monumentis, ac tabulis Eccleſiaſticis conſignata, plurimorumque teſtificationibus confirmata videantur, ut ab his deſciſcere ſtultum, ac tot teſtibus obniti temerarium exiſtimari poſſit; tamen de veritatis certa fide dubitandum, haud leviter admonere videntur, tum ea, quæ a S. Auguſtino ſunt ſcripta adverſus ea, quæ ab adverſariis Catholicæ fidei in Romanam Eccleſiam, quam odio infenſiſſimo ſunt inſectati, per calumniam objecta ſunt, tum etiam, quæ in eiſdem Actis parum ſibi conſtantia notata habentur, tum denique ea, quæ a Græcis de eodem Marcellino dicuntur.* His multa addit, quibus Acta Marcellini Papæ, & Sinueſſana ſynodus eadem de cauſa habita, manifeſtæ falſitatis argumen-

Ann. 302. num. 95.

arguuntur. Deinde ne quem forte Romani Martyrologii, aut Breviarii Romani auctoritas plus æquo moveret, hæc iterum ad rem adnotat: *Sciant, velim, Romanam Eccleſiam antiquitatis tenaciſſimam, quæ ante octingentos annos ita publice lecta reperiit, haud adeo facile convellenda, quamvis ſibi valde moleſta putavit. Ceterum eadem ipſa, Romanam Eccleſiam, non ſicut Evangelium, quod Gelaſius Papa monuit, legere conſueviſſe, vel legenda proponere quælibet Sanctorum Acta, ſed potius ea cuncta Apoſtolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Qua lance cum Marcellini Acta penſantur, eadem apocrypha eſſe, manifeſto conſtat: quibus fruſtra fidem adſtruere, aut vindicare in ſecunda præſertim Annalium ſuorum editione conatus eſt Baronius, tempori, aut aliorum opinioni magis, quam ſuæ inſerviens.

De auctoritate Martyrologii, & Breviarii Romani.

Bar. an. 300. num. 103.

Ann. 303. num. 100. ad 107.

4. Ceterum, quæ de Marcellini lapſu, deque Sinueſſana ſynodo in ejus cauſa habita, vel in Chronico Damaſi, alibique paſſim narrantur, puram, putamque fabulam redolere, atque Donatiſtarum impoſturam eſſe, Eruditorum nemo ætate noſtra dubitat; idque S. Auguſtini auctoritate confirmatur: *Quid ergo, ait, opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt Petilianus, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylveſter traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur; ſed numquid in eo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit; ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Hactenus Auguſtinus, cujus teſtimonio ſcimus, primos Auctores calumniæ in Marcellinum Papam, in Melchiadem, Marcellum, & Sylveſtrum, tunc temporis Romanæ Eccleſiæ Presbyteros, fuiſſe Donatiſtas, qui odio in Melchiadem Pontificem, a quo damnati fuerant, traditionis Codicum ſacrorum, & thurificationis reum inſimularunt; utque crimen veroſimilius redderent, vigente Diocletiani perſecutione, cum idem Melchiades ſub Marcellino Pontifice Presbyter eſſet, contigiſſe addebant. At hæc Donatiſtarum deliria fuiſſe, idem Auguſtinus teſtatur: *De quo judicio, inquit, cum majores iſtorum importuniſſima pervicacia memorato Imperatori,* Co.l-

Marcellini Acta, & Synodus Sinueſſana apocrypha.

Noris Hiſt. Donat. par. 1. cap. 7.

Tillem. to. 5. pag. 613.

Pag. ad an. 302.

Contan. Orſi Baſnag. ann. 296.

Nat. Alex. ſæcul. 3. diſſert. 20.

Auguſtin. lib. de uno Baptiſm. contra Petilianum.

Auguſt. contra Petilianum de unica Baptiſmo.

JESU CHR. AN.296.

Conſtantino, *quererentur, quod non plane, nec recte fuerit examinatum, atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione, vel thurificatione dixerunt*. Et poſt pauca: *Cum hoc ergo nec ante ſuggeſſerint, nec poſtea quam contra eos pro Cæciliano judicatum eſt, ſaltem victi, & irati objiciendum putarint, quid nunc inanes tam ſero connectunt calumnias?* quas in Marcellinum præcipue vulgaſſe, idem narrat Auguſtinus. Innocentiæ Marcellini patrocinatur etiam Euſebius, dum ejus ætate perſecutionem viguiſſe tradit; de ejuſdem autem lapſu, ſeu thurificatione ne verbum addit: unde incredibile eſt, eum Marcellini crimen aut ignoraſſe, aut diſſimulaſſe. Sed quid de re certa conjecturis agimus? De Marcellini non ſolum innocentia, ſed & in perſecutione conſtantia audiatur Theodoretus: *Erat Silveſter ſucceſſor Melchiadis illius, qui poſt Marcellinum eum, qui perſecutionis temporibus inclaruit*. Itaque perſecutione vigente, ob fidei conſtantiam, & confeſſionem inclaruit Marcellinus: quæ ſane fidei apoſtatæ convenire nequaquam poſſunt. Plura in re explorata addere ſuperfluum cenſemus, cumque ipſa Marcellini Acta, in quibus eum Idolis thurificaſſe narratur, tot tantaque falſitatis indicia, & argumenta præſeferant, ea in medium proferre confutaſſe eſt, ut ea legenti conſtabit.

Auguſt. Breviar. collat. cap. 18. & lib. poſt collat. edit. cap. 12. 13.
Euſeb. lib. 7. 32.
Theodorit. hiſt. lib. 1. 3.

In Baſnagium nota.
Baſnag. an. 296. 5.

5. Marcellini innocentiæ totis viribus ſuffragatur Baſnagius: *Fabula eſt*, inquit, *undique diffluens; ex ea tamen anili fabella fructum aliquem decerpimus, nempe perſuaſum olim fuiſſe, Romanum Pontificem poſſe in hæreſim incidere. Quibus etenim creditum Numinibus Marcellinum ſacrificaſſe, illis quidem, & in publicam hæreſim Papam labi poſſe, tueri neceſſe eſt, cum idololatria ſit erroribus longe deterior*. Nullum tamen ex his fructum capiet Baſnagius; quin vanum triumphum ducere exploratum eſt. Quis enim Catholicorum Romanum Pontificem in idololatriam, aut in hæreſim labi poſſe unquam negavit? An hæreſim Summus Eccleſiæ Paſtor docere poſſit, in controverſiam vertitur; nam uti doctorem privatum, peccatis utpote obnoxium, & infirmitatibus circumdatum, in Idololatriæ, aut hæreſis crimen labi poſſe, apud Catholicos in confeſſo eſt, ac ſcriptores communiter docent, non ii ſolum Romanæ majeſtatis, dignitatiſque invidi, aut obtrectatores, ſed vel ipſi aſſertores, defenſoreſque, Melchiorem Canum dico, Bellarminum, & Baronium. Primus hanc de Romano Pon-

An, & quomodo Romanus Pontifex peccare poſſit.

Melchior Canus de locis Theol. lib. 6. cap. 8.

Pontifice quæſtionem tractans, paucis verbis ſic ſolvit: *Non eſt igitur negandum, quin Summus Pontifex hæreticus eſſe poſſit, cujus rei exemplum, unum, & alterum forſitan proferretur; at quod in fidei judicio contra fidem definierit, ne unum quidem proferri poteſt*. Bellarmiuus vero cum eam pluribus agitet quæſtionem, inter cetera adnotat: *Conveniunt omnes Catholici, & hæretici, primo poſſe Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum ſuo cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum præcipue pendent. Secundo, poſſe Pontificem, ut privatum doctorem, errare etiam in quæſtionibus Juris univerſalibus, tam fidei, quam morum*. Baronius vero, non ſolnm in idololatriam labi poſſe Romanum Pontificem, fatetur; ſed & revera lapſum tradidit, dum Sinueſſanæ ſynodi Acta a ſuppoſitionis labe vindicare conatus eſt: *Nec ad excuſanda Pontificum Romanorum peccata, ſi quæ jure objici poſſint, vel lutum quidem, quod dicunt unquam, immò nec tenuem capillum velle deflectere teſtatur*. Ne tamen ex Romani Pontificis lapſu, ſive in idololatriàm, ſive in hæreſim, triumphum Baſuagius ducat, hæc iterum ſapientiſſime idemmet Baronius adnotat: *Quantumlibet enim conſenſerimus, id accidiſſe*, (ideſt Marcellinum Pontificem Idolis ſacrificaſſe), *nihil eſt tamen, quod præjudicium afferat Catholicæ veritati. Quid enim, inquit Tertullianus, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus a regula fuerit; ideo hæreſes veritatem obtinuere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* S. Auguſtinus eadem retractans: *Non ſane parva eſt, parumque glorioſa conſolatio cujuſque noſtrum, ſi ab inimicis Eccleſiæ cum ipſa Eccleſia criminamur, ejus tamen defenſio non in eorum hominum defenſione conſiſtit, quos iſti nominatim falſis criminationibus appetunt. Prorſus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylveſter, Melchiades, Menſurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro ſua defenſione, quod volunt, nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto Terrarum Orbe diffuſæ, nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur; ſi boni fuerunt, in areæ catholicæ tritura, tanquam grana, mundati ſunt; ſi mali fuerunt, in areæ catholicæ tritura, tanquam ſtipulæ, comminuti ſunt; intra iſtam aream boni, & mali eſſe poſſunt*. Hactenus ex S. Auguſtino Baronius: quibus nil verius, nil clarius addi poteſt.

Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 30. lib. 4. cap. 2. & ſequentibus.

Baron. 303. num. 107.

Baron. ann. 302. n. 102.

Tertull. de præſcript. c. 2.

S. Aug. contra Petil. de unic. Baptiſm. cap. 16.

6. Poſt

Jesu Chr. an. 296.

Conſtantius Alectum vincit, & Britanniam recuperat.

6. Poſt Carauſii interitum Alectus tyrannidem in Britannia triennio tenuerat, quem hoc anno Conſtantius Cæſar terra, marique obſeſſum vicit, interemitque, ac Britanniam Romano Imperio reſtituit. *Poſt ſeptennium Alectus ſocius ejus occidit*, ait Eutropius, *atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit, qui ductu Aſclepiodori Præfecti Prætorio eſt oppreſſus; ita Britannia decimo anno recepta*. Hujus victoriæ meminit Victor de Cæſaribus, & Eumenius in panegyrico, Conſtantio Cæſari dicto cap. 15., ubi inter alia de Conſtantii in Britanniam tranſitu, hæc notatu digna refert ignotus Auctor: *Quid ego de receptione Britanniæ loquar, ad quam ita quieto mari navigavit, ut Oceanus ille, tanto victore ſtupefactus, caruiſſe ſuis motibus videretur, ita pervectus, ut non comitata ſit, ſed præſto lata victoria*.

JESU CHRISTI AN. 297. MARCELLINI PAPÆ 2.
DIOCLETIANI IMP. 14. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 12.
COSS. MAXIMIANO HERCULEO AUG. V.,
ET GALERIO MAXIMIANO CÆSARE II.
OLYMP. 269. AN. 1. URBIS AN. 1050.

Diocletianus, Achilleo occiſo, Ægyptum recuperat.

1. Quo tempore Conſtantius Britanniam Romano Imperio reſtituit, Diocletianus Achilleum, qui in Ægypto per ſex annos imperaverat, ſuſtulit, ac Ægyptum recuperavit, ut Euſebius in Chronico ad hunc annum narrat: *Alexandria cum omni Ægypto per Achilleum Ducem a Romana poteſtate deſciſcens, octavo obſidionis menſe a Diocletiano capta eſt. Itaque plurimi per totam Ægyptum gravibus proſcriptionibus, exiliiſque vexati, interfectis his, qui auctores perduellionis extiterant*. De ea Diocletiani victoria Auctor Miſcellæ audiatur: *Acerbe uſus totam Ægyptum gravibus proſcriptionibus, cædibuſque fœdavit*; Alexandriam quippe militibus diripiendam tradidit.

Galerii Maximiani victoria de Perſis.

Lactant. de mort. perſec. cap. 9.

2. Dum hæc in Ægypto agerentur, Galerius Maximianus Cæſar adverſus Perſas eduxit exercitum: *Cum Narſeus Rex Perſarum concitatus domeſticis exemplis ad occupandum Orientem cum magnis copiis inhiaret*, ait Lactantius, *tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticuloſus, animique disjectus, ſimul & exemplum Valeriani timens, non auſus eſt obviam tendere, ſed hunc*, ideſt Galerium, *per Armeniam miſit*,

ſit, ipſe in Oriente ſubſiſtens, & aucupans exitus rerum. Ille inſidiis ſuis Barbaros, quibus mos eſt cum omnibus ſuis ad bellum pergere, multitudine impeditos, & ſarcinis occupatos, non difficiliter oppreſſit, fugatoque Narſeo Rege, reverſus cum preda, & manubiis ingentibus, ſibi attulit ſuperbiam, Diocletiano timorem. Hæc de belli Perſici exitu Lactantius: cujus initio, dum Galerius Perſas cum parva manu aggreſſus eſſet, ab iiſdem fugatus fuerat, ut auctor eſt Rufus Feſtus, & cum eo Eutropius, aliique. Hyematum interea ad Diocletianum Antiochiæ convenit Galerius, ut de reſtaurandis viribus cum eo ageret, a quo *tanta indignatione ſuſceptus eſt*, ait Rufus Feſtus, *ut ante carpentum ejus per aliquot millia paſſuum cucurrerit purpuratus*; nam iter agendo eum exceperat Diocletianus. Reparato tamen exercitu, labenti anno Perſas iterum aggreſſus, inſignem adeo victoriam retulit, ut unico fere prælio bellum finierit: *Cum duobus equitibus ipſe exploravit hoſtes*, ait Rufus, *& cum viginti quinque millibus militum ſuperveniens, caſtris hoſtilibus ſubito innumera Perſarum agmina aggreſſus, ad internecionem cecidit. Rex Perſarum Narſeus effugit; uxor ejus, & filiæ captæ ſunt, & cum maxima pudicitia reſervatæ. Pro qua admiratione Perſæ non modo armis, ſed etiam moribus Romanos ſuperiores eſſe confeſſi ſunt.* Hinc factum, ut Narſeus Meſopotamiam cum quinque tranſtygranis provinciis, ut pacem a Diocletiano obtineret, Romanis reſtitueret, uti pluribus narrant Hiſtorici: ac propterea Perſarum vires eouſque debilitatæ ſunt, ut per annos quadraginta eos inter & Romanos pax fuerit, quam ultimis tantum Conſtantini temporibus Perſæ tandem violarunt. Ob tam inſignem de Perſis victoriam Galerius in ſuperbiam elatus, Cæſaris titulum ultra ferre non potuit, ut ait Lactantius, *quouſque Cæſar* exclamans, ac inſolentiſſime exinde agens, ut ex Marte ſe procreatum & videri, & dici voluerit.

JESU CHR. AN. 297.

Eutrop. Aurel. Victor in Epitome. Rufus Feſtus in Breviar. hiſt. Bizant. tom. 1.

Ruf. ut ſup.

Aurel. Victor Epit. Petrus Patric. de legat. Bizant. to. 1.

JESU CHRISTI AN. 298. MARCELLINI PAPÆ 3.
DIOCLETIANI IMP. 15., ET MAXIMIANI HERCULEI 13,
COSS. ANICIO FAUSTO, ET SEVERO GALLO.
OLYMP. 269. AN. 2. URBIS AN. 1051.

1. Ob Alemannos devictos Conſtantii nomen hoc anno inclaruit: de quibus Euſebius: *Juxta Lingonas a Conſtantio Cæſare*

De geſtis Conſtantii Cæſaris. *Euſeb. Chron. Eutrop. lib. 9.*

JESU CHR. AN.298.

ſare ſexaginta millia Alemannorum cæſa . Sex millia legendum eſſe nos monet Muratorius, juxta Græcum Euſebii textum, quod & veroſimilius eſt . Ex ea autem pugna accepto vulnere Conſtantius diſceſſit; unde ignotus auctor in panegyrico Conſtantini: *Quid commemorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipſius vulnere glorioſam?* de quibus plura Eutropius, & Zonaras.

Diocletiani perſecutio in Milites, & Domeſticos. Diſſert.11. in Cypr. n.68. Pag. not. ad an. 297. Tillem. to. 5. Lactant. de mort. Perſec. cap. 10.

2. Quo anno Diocletianea perſecutio inceperit, in obſcuro eſt. Ejus initia uſque ad annum 301. differenda cenſuit Dodwellus, ut numerum Martyrum ex breviori temporis intervallo facilius minueret. Vix tamen dubitari poteſt, hoc circiter anno in Milites primum, & Domeſticos ſæviiſſe Diocletianum. De hujuſmodi vero perſecutionis cauſa hæc narrat Lactantius. *Cum eſſet Diocletianus in partibus Orientis, ubi belli Perſici exitum præſtolabatur; ut erat pro timore rerum futurarum ſcrutator, immolabat pecudes, & in jecoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam miniſtrorum ſcientes Dominum, cum adſiſterent immolanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſignum; quo facto, fugatis Dæmonibus, ſacra turbata ſunt. Trepidabant Aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant, & quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec magiſter ille Aruſpicum Tagis, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait idcirco non reſpondere ſacra, quod rebus divinis profani homines intereſſent. Tunc ira furens, ſacrificare non eos tantum, qui ſacris miniſtrabant, ſed univerſos, qui erant in palatio, juſſit, & in eos, ſi detrectaſſent, verberibus animadverti, datiſque ad præpoſitos litteris, etiam milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, ut qui non paruiſſent, militia ſolverentur. Hactenus furor ejus & ira proceſſit, nec amplius quidquam contra legem, aut religionem Dei fecit.* Hæc Lactantius, cui conſentit Euſebius: qui & adnotat, in milites primo perſecutionem ſæviiſſe: *Poſtquam Dux Romani exercitus, neſcio quis* (hunc Veturium in Euſebii chronico tradit Hieronymus ad hunc annum, quo legitur: *Veturius magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur, paulatim ex illo jam tempore perſecutione adverſus nos incipiente*) *Poſtquam enim Dux Romani exercitus, neſcio quis, Chriſtianos milites perſequi aggreſſus, eos, qui in exercitu merebant, luſtrare cœpiſſet, ac recenſere; & Chriſtianis liberam eligendi poteſtatem feciſſet, ut vel Imperatorum juſſis obtemperantes, honoris ſui gradum retinerent; vel ſi parere nollent,* *hono-*

Euſeb. lib.8. cap. 4.

honore militiæ nudarentur; *complures Regni Jeſu Chriſti milites nominis illius confeſſionem ſæculari gloriæ, ac felicitati, qua fruebantur, abſque ulla cunctatione prætulerunt*. Ex his autem nonnullos dignitatem, aut vitam pro defenſione pietatis amiſiſſe addit, cum is, qui Religioni noſtræ ſtruebat inſidias, parce adhuc & raro ſanguinem fundere auderet, multitudine Fidelium, ut credibile eſt, deterritus.

Marcellus Centurio militiæ renunciat.

3. Inter Milites, qui ea perſecutione certantes martyrii coronam promeruerunt, celebrior habetur Marcellus Centurio, cujus Acta omni fide digniſſima narrant: *In civitate Tingitana*, Mauritaniæ in Africa Metropoli, *procurante Fortunato Præſide, advenit natalis dies Imperatoris*: qua cum milites lautius ſolito epularentur, atque ſacrificarent, Marcellus Centurio legionis Trajanæ, profana reputans illa convivia, rejecto cingulo militari coram ſignis legionis, clara voce teſtatus eſt, dicens: *Jeſu Chriſto Regi æterno milito*. Hinc vitem, & arma abjecit addens: *Ex hac die militare Imperatoribus veſtris deſiſto, & Deos veſtros ligneos, & lapideos adorare contemno*: ſtupefacti vero milites, & irati, tenuerunt eum, ac rem Anaſtaſio Fortunato Præſidi legionis nunciarunt, qui juſſit eum conjici in carcerem. Poſt epulas Marcellum in conſiſtorio introduci præcepit, eumque Præſes ſic affatus eſt: *Quid tibi viſum eſt, ut contra diſciplinam militarem te diſcingeres, & baltheum, ac vitem projiceres?* Marcellus vero, ſe jam antea apud legionis ſigna, quando dies feſtus Imperatoris celebrabatur, palam publiceque Imperatorum militiæ renunciaſſe, ac Jeſu Chriſto Filio Dei Patris Omnipotentis ſe militare velle reſpondit. Hæc audiens Præſes, ad Aurelium Agricolaum agentem vicem Præfectorum Prætorio, die tertio Kalendarum Novembrium, Marcellum remiſit, una cum epiſtola, qua hactenus geſta exponebantur. Cum vero Chriſti Miles ea omnia, quæ de eodem relata fuerant, denuo confirmaret, *quo furore*, ad eum inquit Agricolaus, *accenſus es, ut projiceres ſacramenta, & talia loquereris?* Deinde hanc in ipſum ſententiam dixit: *Marcellum, qui Centurio ordinarius militabat*; *qui abjecto publice ſacramento, polluiſſe ſe dixit, & inſuper apud Acta præſidialia verba furore plena depoſuit, gladio animadverti placet*. Marcellus autem, cum ad ſupplicium duceretur, Agricolao bene precatus dixit: *Deus tibi bene faciat*, atque ita truncato capite Martyr occubuit.

Jesu Chr. an. 298. Caſſiani confeſſio, & martyrium.

4. Marcello Centurioni S. Caſſianum Commentarienſem, ſeu Notarium addimus, qui in eadem Tingitana urbe, Marcelli fidem æmulatus, officio ſuo renuncians, graphium, & codicem projiciens, ne contra Marcellum capitis ſententiam ſcriberet, martyrii coronam paucis poſt diebus, ideſt tertio nonas Decembris, adeptus eſt, ab eodem Agricolao damnatus capite, ut pluribus Acta referunt.

JESU CHRISTI an. 299. Marcellini Papæ 4.
Diocletiani Imp. 16. Maximiani Herculei Imp. 14.
Coss. Diocletiano Aug. VII.,
Et Maximiano Herculeo VI.
Olymp. 269. an. 3. Urbis an. 1052.

Zabdas Hieroſolymorum Epiſcopus obiit, cui ſuccedit Hermon.

Euſeb. Chron. lib. 7. 32., & lib. 4. 3.

1. Anno Diocletiani Imperatoris decimoquinto, qui cum labenti etiam concurrit, Defuncto Zabda Hieroſolymorum Epiſcopo, Hermon, qui & Thermon dictus eſt, in ejus locum ſuffectus, decimus octavus ejus Eccleſiæ Epiſcopus fuit ex iis, qui ex Gentilibus ordinati fuerant. Nam ante eos quindecim ex Judæis numerat Euſebius, qui de Hermone in hiſtoria addit: *Hermon poſtremus eorum, qui ante illam noſtri temporis perſecutionem (ideſt Diocletianeam) fuerunt, Apoſtolicam Cathedram, quæ illic etiamnum ſervatur, obtinuit.*

Cyrillo Antiochiæ Epiſcopo Tyrannus ſuccedit.

Euſeb. lib. 4. 3.

De Stephano Ep. Laodiceno Euſeb. lib. 7. 32.

2. Eo quoque tempore vita functo Cyrillo Antiocheno Epiſcopo, in ejus locum ordinatus eſt Tyrannus, qui decimus ejus Eccleſiæ Epiſcopus ab Euſebio numeratur. De quo in hiſtoria hæc refert: *Poſt Cyrillum Tyrannus Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ ſuſcepit, cujus tempore Eccleſiarum vaſtatio maxime viguit.* Laodiceæ vero Anatolio ſucceſſerat Stephanus, vir, ut ait Euſebius, qui ob philoſophiæ, & Græcarum diſciplinarum ſtudium, magnam apud multos gloriam fuerat conſecutus: at in Chriſti fide inconſtans fuit, quemadmodum procedente perſecutionis tempore manifeſte declaratum eſt, quo ſimulator potius, atque imbellis, quam verus Philoſophus apparuit. Poſt eum vero Theodotus vir inſignis ſubrogatus eſt, qui eam Eccleſiam priſtino ſplendori reſtituit, ut ait Euſebius.

Conſtantii in ſubditos benignitas.

Euſeb. Conſtant. vita lib. 1. 14.

3. Quantum a Diocletiani crudelitate, & avaritia Conſtantii Cæſaris abeſſet animus, illuſtre facinus ab Euſebio poſteris commendatum probat. Cum enim crebris hominum ſermonibus celebraretur Conſtantius, quod mitis eſſet, ac placidus,

dus ; quodque ob incredibilem erga ſubditos indulgentiam, nullam pecuniam in theſauris reconditam haberet; Diocletianus, miſſis ad eum quibuſdam hominibus, ejus in Republica gerenda negligentiam objurgavit, paupertatem præcipue objiciens. Conſtantius vero, his auditis, Imperatoris legatos, ut apud ſe aliquantiſper manerent, rogavit. Deinde ex omnibus Provinciis, quæ ipſius Imperio parebant, convocato opulentiſſimo quoque, ſe pecunia opus habere ſignificavit. Illi vero, utpote qui jam pridem in votis habuiſſent, ut ſuum erga illum ſtudium teſtificandi aliquando offerretur occaſio, hoc audito, confeſtim auro, argento, ac reliquis opibus theſauros ejus compleverunt, ambitioſe certantes inter ſe, ut ſe invicem in largiendo ſuperarent: quibus geſtis, Conſtantius homines a ſeniore Auguſto ad ſe miſſos theſaurorum ſuorum ſpectatores fecit, admonens, ut ea, quæ vidiſſent, renuntiarent: atque ſe quidem in præſentiarum hæc apud ſe congregaſſe; ceterum ea jampridem apud ipſos dominos, tamquam apud fidos depoſitarum opum cuſtodes, ſibi ſervari. Humaniſſimus autem Princeps poſt eorum diſceſſum, dominis acceſitis, & obſequio illorum ac ſtudio erga ſe magnopere laudato, quæ ſibi oblata, ac in ſuo theſauro recondita fuerant, ſingulis reſtituit, exemplo ſuo edocens divitem eſſe Principem, qui ſubditorum benevolentiam ſibi promeretur.

Conſtantii theſaurus in ſubditorum opibus.

JESU CHRISTI an. 300. Marcellini Papæ 5.
Diocletiani Imp. 17. Maximiani Herculei Imp. 15.
Coss. Constantio Cæsare III.,
Et Galerio Maximiano Cæsare III.
Olymp. 269. an. 4. Urbis an. 1053.

1. Theona Alexandrino Epiſcopo defuncto, in ejus locum Petrus eſt ordinatus, cujus initia ſub hujus anni Conſulibus alligat Auctor chronici Alexandrini; Euſebius vero tribus fere annis, ante generalem perſecutionem anno 303. a Diocletiano excitatam, eum ordinatum fuiſſe tradit: *Poſt Theonam, qui annis novemdecim miniſterio perfunctus eſt, Epiſcopatum Alexandriæ ſortitus eſt Petrus. Qui quidem toto Sacerdotii ſui tempore, quod annis geſſit duodecim, maximam quoque ipſe gloriam eſt conſequutus. Et ante perſecutionem quidem tribus*

Theona Alexandriæ Epiſcopo defuncto, Petrus ſuccedit.

Euſeb. lib. 7. 32.

Renadot. hiſt. Patriarch. Alex. 9.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 300.

bus fere annis Eccleſiam rexit. Deinceps vero reliquum tempus ætatis, arctiore diſciplina ſemet exercens, tranſegit; nec minus interim communi Eccleſiarum utilitati magnifice proſpexit. Quam ob cauſam nono perſecutionis anno capite truncatus, coronam martyrii promeruit. Hæc Euſebius de Petri ordinatione, & martyrio, de quo plura a Severo, aliiſque narrantur, quæ utpote incerta conſulto prætermittimus. De geſtis vero ejus, & martyrio, infra opportuniori loco ſermo habebitur.

De Fidei propagatione in Armenia.

2. Quo tempore, tum in minorem Armeniam, quæ Romano parebat Imperio, cum in majorem, quæ propriis Regibus obtemperabat, Chriſti fides propagata fuerit, cum ignariſſimis juxta ſcimus. Tertio tamen ineunte ſæculo, eoque medio Armeniorum Eccleſiam floruiſſe, nos docet Euſebius, dum tradit, inter ceteras Dionyſii epiſtolas unam ad Meruzanem Armeniæ Epiſcopum fuiſſe datam: *Eſt ad Armenios epiſtola de pœnitentia, quorum Epiſcopus erat Meruzanes*; quam & Hieronymus recenſet, ac a Dionyſio ſcriptam prodit, de pœnitentia, & ordine delictorum. Diu ante Conſtantini ætatem in Armenia Chriſti fidem propagatam fuiſſe, auctor eſt Sozomenus his verbis: *Quoad Armenios attinet, jamdudum antea Chriſti fidem eos ſuſcepiſſe comperi. Ajunt enim, Tiridatem gentis illius Regulum, occaſione cæleſtis cujuſdam portenti, quod in domo ipſius acciderat, & ipſum Chriſtianum eſſe factum, & ſubditis omnibus palam præconem mandaſſe, ut eamdem religionem colerent.* Idem confirmant Gregorii Armeni Acta, quibus de Tiridatis converſione plura narrantur a Baronio Annalibus ſuis inſerta; quæ nihilominus *complura habere, quæ haud cunctis arrident in omnibus*, aperte fatetur. Suſpectæ tamen fidei eadem Acta Bollandus habuit. Metaphraſticum vero ſtylum ſapere Tillemontius cenſuit; quare ſtylo, temporique parcentes prætermittimus, ac ad quartum ſeculum oratio noſtra dilabitur.

Euſeb. lib. 6. cap. 46.

Hier. de Vir. Illuſtr. in Dionyſio.

Sozom. hiſt. lib. 2. cap. 8.

Baron. ann. 311. num. 23.

Bolland. Tom. 3 Junii To. 8. April. Tillem. tom. 5. pag. 112.

SÆCU-

SÆCULUM QUARTUM.

Jesu Chr. an. 301.

JESU CHRISTI an. 301. Marcellini Papæ 6.
Diocletiani Imp. 18. Maximiani Herculei Imp. 16.
Coss. Titiano II., et Nepotiano.
Olymp. 270. An. 1. Urbis an. 1054.

Chriſti Eccleſia ſæculi quarti initio diriſſime vexata.

1. QUartum Eccleſiæ Sæculum ingreſſi, dum res in eo geſtas a longe intuemur, variis, contrariiſque affectibus diſtrahimur; terret enim nos operis tum magnitudo, tum difficultas, ac anticipato intuitu horret animus, refugitque ſtylus, dum noſtris inſonat auribus clamor filiorum Dei ſub Diocletiani perſecutione, & tyrannide clamantium, qui Pharaonis conſilia ſecutus: *Ecce*, inquit, *populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt; venite opprimamus eum, ne forte multiplicetur. Præpoſuit itaque magiſtros, ut affligerent eos oneribus, oderantque filios Iſrael Ægyptii, & affligebant, illudentes eis.* (Exod. cap. 1.) Quæ ſane Chriſtianis ea perſecutione vexatis aptari poſſe, nemo non videt; ita ut ad ea tempora reſpexiſſe videatur Joannes Apoſtolus, in Apocalypſi ſcribens: *Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet*; (Apocalyp. 12. 12.) ultima quippe hæc Gentilium perſecutio numeratur, quæ quidem ceteris & ſuppliciorum crudelitate, ac temporis duratione immanior fuit.

Eccleſiæ res in melius mutatæ.

2. In tanta tamen temporum acerbitate, Chriſtianorumque ſtrage, multa nos recreant, atque ut inceptum opus proſequamur, excitant, tum pax a Conſtantino paulo poſt Eccleſiis reddita, tum Martyrum fortitudo, qui pro Chriſti fide certantes, ſanguine, exemploque ſuo Eccleſiam adeo illuſtrarunt, ut quo acerbiori odio Chriſti Sponſam ejus hoſtes inſectati ſunt, ac penitus extirpare conati, eo clarior, illuſtriorque redderetur, cum vel ipſi Romani Imperii Principes, quos antea uti infenſiſſimos ſuſtinuerat, ſinu ſuo receptos, defenſores deinceps, propugnatoreſque habere cœperit, juxta Iſaiæ prophetiam: *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutritiæ tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te.* (Iſai. 49. 23.) Hanc Eccleſiæ felicitatem etſi exturbarint aliquatenus irruentia hæreſum, ſchiſmatumque monſtra, incredibiliſque inde ſecuta morum corruptela, ac licentia, quibus Eccleſiæ facies eo uſque fœdata eſt,

ut

Jesu Chr. an.301.

ut digna hæc proſequi oratione vix poſſint ; qua tamen conſtantia perſecutores ſuos Eccleſia vicerit , hæreticos quoque , ſchiſmaticoſque ſuperaverit : adeo ut totæ inferorum portæ adverſus illam prævalere non potuerint , ex infra , Deo favente , dicendis luce clarius patebit .

Chriſtianorum mores longa pace corrupti.

3. Quæ non ſine maximo animi mœrore ſua ætate contigiſſe memoraverat Cyprianus , longa ſcilicet Eccleſiæ pace , quæ a Severi Imperio ad Decium per annos fere quadraginta perduraverat , corruptos fuiſſe Chriſtianorum mores ; ita ut ſingulis augendo tantum patrimonio intentis , vix religio in Sacerdotibus eſſet , aut in miniſtris fides integra , vel in operibus miſericordia , ac in moribus diſciplina &c. ; eadem , inquam , quæ Cyprianus deploraverat , & ſua ætate contigiſſe Euſebius adnotat , his verbis : Fideles *priſcis ædificiis jam non contenti , in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis extruerent Eccleſias*. Et poſt pauca : *Sed cum ex nimia libertate in negligentiam , ac deſidiam prolapſi eſſemus ; cum alter alteri invidere , atque obtrectare cœpiſſet ; cum inter nos quaſi bella inteſtina gereremus , verbis tanquam armis quibuſdam , haſtiſque nos mutuo vulnerantes ; cum Antiſtites adverſus Antiſtites , populi in populos colliſi , jurgia , ac tumultus agitarent ; denique cum fraus , & ſimulatio ad ſummum malitiæ culmen adoleviſſet ; tum divina ultio levi brachio , ut ſolet , integro adhuc Eccleſiæ ſtatu , & Fidelium turbis libere convenientibus , ſenſim , ac moderate in nos cœpit animadvertere ; orta primum perſecutione ab iis , qui militabant . Cum vero ſenſu omni deſtituti , de placando Dei numine ne cogitaremus quidem ; quin potius inſtar impiorum quorumdam res humanas nulla ſollicitudine , ac providentia gubernari rati , alia quotidie crimina aliis adjiceremus ; cum Paſtores noſtri , ſpreta Religionis regula , mutuis inter ſe contentionibus decertarent , nihil aliud , quam jurgia , minas , æmulationem , odia , ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes , principatum quaſi tyrannidem quamdam contentiſſime ſibi vindicantes ; tunc demum , ſicut in Pſalmis prædictum eſt , evertit teſtamentum ſervi ſui , profanavit in terra ſanctitatem ejus , per Eccleſiarum ſcilicet ſubverſionem* . Hæc Euſebius de iis , quæ generalem præceſſerunt perſecutionem , quam adverſus milites incepiſſe diximus anno 298.

Euſeb. lib.8. 1.

Pſalm. 88. & 78.

An Euſebius Epiſcoporum diſſidia exageraverit.

4. Hæc quidem , quæ de corruptis Chriſtianorum moribus , Epiſcoporumque diſſidiis narrat Euſebius , in immenſum , ad

ad infamandam chriſtianam Religionem, exageraſſe, Baronius ſcribit, ea potiſſimum ratione motus, quod indicata ab Euſebio Epiſcoporum diſſidia, vigente jam perſecutione, exorta ſunt, ſcilicet in Ægypto Meletianum ſchiſma, aut in Africa Donatiſtarum; immeritas tamen, tamquam violatæ Religionis reum, pœnas Euſebium dediſſe, inde facile patet, quod privata, æque ac publica Epiſcoporum diſſidia ab Euſebio deſignantur. His adde infauſtum Meletianorum ſchiſma, unde in Eccleſias Ægypti tot ſcandala ſunt derivata, non tam ſero, aut vigente perſecutione, ut putavit Baronius, exortum fuiſſe; quin ut adnotavit Pagius, biennio perſecutionem ſchiſma præceſſit. Inſuper & illud notatu dignum eſt, eamdem perſecutionem, cum jam fere aut extincta, aut langueſcere videretur, Maximini edictis iterum in immenſum exarſiſſe, quo tempore, vel ipſo Baronio fatente, Meletianorum ac Donatiſtarum ſchiſmata vigebant, ut veriſſime dicere potuerit Euſebius, Epiſcoporum diſſidia, Chriſtianorumque corruptos mores aliqualem perſecutioni cauſam dediſſe. Sed hiſtoriam perſequamur.

Bar. an. 302. num. 10. 11.

Pag. ad an. Bar. 306. nor. 29.

Meletiani Schiſmatis initia.

5. Meletiani ſchiſmatis initia hoc tempore collocanda eſſe apud omnes convenit; quo autem præciſe anno, diſſident eruditi, atque annum 301., 303., aut 306. infauſti ſchiſmatis natalem fuiſſe contendunt. Athanaſius ad Epiſcopos Ægypti, & Lybiæ anno circiter 361. ſcribens, ante quinquageſimum quintum annum eoſdem cognitos fuiſſe ſcribebat; quare de Meletio, ejuſque ſchiſmate non inopportune paucis hoc loco agendum. Meletium itaque Lycopolis in Ægypto Epiſcopum ſchiſma feciſſe narrat Athanaſius, eo quod eum Petrus Alexandrinus Epiſcopus, multis convictum criminibus, & in primis, quod Idolis ſacrificaſſet, in communi Epiſcoporum Synodo depoſuerat. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque ſe purgare ſtuduit; ſed ſchiſma fecit, in Epiſcopos convitia proferens, & primum Petrum, deinde ejus Succeſſorem Achillam calumniatus eſt, & poſt Achillam, Alexandrum, idque magna cum calliditate, ut cauſam depoſitionis ſuæ calumniis innocentium ulciſceretur, ait Athanaſius, eademque Socrates. Sozomenus vero his addit, Arium Meletio primum faviſſe, cujus partes cum poſtea deſeruiſſet, Diaconum a Petro Alexandrino ordinatum eſſe; ſed rurſus ob hæreſim ab Eccleſia ejectum, cum Meletianis iterum iniiſſe ſocietatem. Rem

Pag. num. 29. ad ann. 306.

Manſ. Append. ad tom. apparat. Baron. pag. 384.

Bar. an. 306.

Athan. Apol. contr. Arian. to. 1. pag. 177.

Socrat. lib. 1. 6. in fin.

Jesu Chr. an. 301. paulo aliter Epiphanius narrat : *Hic Meletius contemporaneus prædicti Hieracis fuit , & deinceps ſucceſſor ; fuit etiam Petri Alexandrini contemporaneus . At Meletii cauſa hoc modo ſe habet : Sectam fecit , non tamen a fide diſceſſit .* Schiſmatis autem faciendi inde cauſam habuiſſe Meletium addit , quod cum ob Chriſti fidem eodem in carcere eſſent Petrus Alex. Epiſcopus , & Meletius , quamplurimos , qui perſecutionis tempore Idolis ſacrificaverant , ac Eccleſiæ communionem ſibi reddi poſtulabant , *Sanctiſſimus Petrus miſericordia motus ſuſcipiendos eſſe cenſebat* : Meletius contra , nonniſi reſtituta Eccleſiæ pace , ac diſcuſſa ſingulorum cauſa , peractaque pœnitentia . Ex qua opinionum varietate in ipſo carcere *diviſa eſt multitudo Presbyterorum , Monachorum , aliorumque Ordinum* , pauci ad Petrum divertentes , ceteri ad Meletium , & obducto in ipſo carcere diviſionis velo , ſeparatim Petrus a Meletio , quiſque cum ſuis oblationem offerebat ; unde , reſtituta etiam Eccleſiæ pace , diro ſchiſmate Eccleſia Alexandrina diviſa fuit . Plus juſto credulum fuiſſe Epiphanium extra dubium eſt , ac veriora de Meletiani ſchiſmatis cauſa , & origine Athanaſium tradidiſſe adnotant viri docti .

Epiph. hær. 68. n. 2. 3.

Petau. in Epiph. ad hær. 68.

Bar. Baſnag. Pag. ad ann. 306.

Meletii temeritas ab Ægypti Epiſcopis caſtigata.

6. Meletium autem non hæreſim docuiſſe , ut ſcribit Epiphanius , ſed ſchiſma adverſus Petrum Alexandrinum Epiſcopum feciſſe , in cujus diœceſi ordinationes peragere , parœcias viſitare , eo inconſulto , auſus eſt , narrant Epiſcopi Ægypti in epiſtola ad eum ſchiſmatis initio data , cum adhuc Eccleſiæ communione frueretur ; quem ideo ut dilectum comminiſtrum admonent , ut ab inceptis tandem ceſſaret . Longioris epiſtolæ fragmentum , ſicuti & alterius Petri Alexandrini ad eumdem Meletium , ex tomo III. , cui titulus : *Oſſervazioni letterarie* , a clariſſimo Maffejo edita , ad tomum Apparatus ad Annales Baronii vulgavit Manſius . Epiſtolæ titulus ſic ſe habet : *Heſichius , Pachomius , Theodorus , Phileas Meletio dilecto , & comminiſtro in Domino ſalutem* . Deinde ſe iis , quæ de eo nunciabantur , fidem vix adhibuiſſe narrant , uſque dum multorum teſtimonio confirmata eadem vera fuiſſe , compertum eſſet ; quare *compulſi ſumus has litteras conficere ad te , qualem etiam commotionem , & triſtitiam communiter omnibus , & ſigillatim unicuique præbuit a te facta ordinatio in parœciis ad te minime pertinentibus , nec dicere etiam prævalemus . Pauca tamen te arguentes non ceſſavimus* . Memorant deinde Eccle-

Apparat. ad Annal. Baron. pag. 387.

Eccleſiæ regulas, quibus Epiſcopis extra Diœceſim ſuam quidquam gerere vetitum erat. Tum ſubdunt: *Tu autem nihil horum conſiderans, nec futura contemplans, nec beatorum Patrum noſtrorum & Chriſto ſuſceptorum per ſucceſſiones, legem, neque magni Epiſcopi, ac Patris noſtri Petri honorem, ex quo cuncti per ſpem, quam habemus in Domino Jeſu Chriſto pendemus, nec noſtris incarcerationibus, & tentationibus, & quotidianis ac multiplicatis opprobriis, nec oppreſſionibus, & anguſtiis apud omnes placatus, omnia pariter evertere auſus es.* Unde tempore perſecutionis Diocletiani a Meletio hæc uſurpata fuiſſe conſtat, quem aliis hiſce adhuc verbis interpellant: *Pro quibus, quæ tibi excuſationis occaſio relinquetur? Sed forſitan dices: egentibus gregibus, ac deſolatis Paſtore non ſubſiſtente, ne multorum incredulitate multi ſubtrahantur, ad hoc perveni.* Falſo tamen hæc ab eo vulgari multis verbis confirmant; quare ut ab his ſe abſtineat, enixe rogant: *Adnuntiamus impoſterum tibi, ut regulæ tutum, & ſalubrem terminum confirmare ſtudeas*, ut ſcilicet intra Diœceſis ſuæ limites ordinationes, aliaque Epiſcopalis Ordinis officia perageret.

Meletius obſtinatior in ſchiſmate perſeverat.

7. Hanc epiſtolam ab Epiſcopis in carcere pro fide, una cum Petro Alexandrino Epiſcopo, detentis datam fuiſſe ſubſequentia indicant; quibus etiam Meletium in ſchiſmate obſtinatiorem evaſiſſe ſcimus. Nam ut epiſtolam ſuſcepit, & legit, nec reſcribere dignatus eſt; *Nec ad eos perrexit ad carcerem, nec ad beatum Petrum iit; omnibus tamen his Epiſcopis, Preſbyteris, ac Diaconibus Alexandriæ apud carcerem martyrium paſſis, ingreſſus eſt ſtatim Alexandriam* (Meletius ſcilicet). *Erat autem in civitate quidam Iſidorus nomine, moribus turbulentus, doctoris habens deſiderium, & Arius quidam habitum portans pietatis, & ipſe doctoris deſiderium habens. Hi poſtquam cognoverunt cupiditatem Meletii, & quid eſſet, quod requireret, ſuccurrentes ei, invidentes ſcilicet Pontificatui beati Petri, ut cognoſcatur concupiſcentia Meletii; Preſbyteros, quibus dederat poteſtatem B. Petrus de parœcia viſitare Alexandriam, latentes Meletio demonſtraverunt. Commendans eis occaſionem Meletius ſeparavit eos, & ordinavit ipſe duos, unum in carcere, & alium in metallo*, ut illis ſcilicet, qui in carcere, aut ad metalla damnati erant, inſervirent, iis remotis, quos Petrus hiſce officiis deſtinaverat.

Epiſtola Petri Alex. Epiſcopi ad Clerum, & populum Alex.

8. Petrus interea Alexandrinus Epiſcopus, his acceptis, ut

Digitized by Google

Jesu Chr. An.301. ut Meletii proterviam, obſtinationemque frangeret, datis ad Clerum, & populum ſuum litteris, eum a communione, uſquedum Eccleſiæ, ac ſibi ſatisfaceret, ſuſpendit, in hæc verba: *Petrus in fide Dei ſtabilitis dilectis fratribus in Domino ſalutem. Quoniam cognovi Meletium nihil per utilitatem, cui nec beatiſſimorum Epiſcoporum, ac Martyrum epiſtola placuit; ſed inſuper ingreſſum noſtram paræciam, tantum ſibi adſumpſiſſe, ut etiam ex mea auctoritate Presbyteros, & quibus permiſſum erat egentes viſitare, conaretur ſeparare, & judicium ſuæ cupiditatis in principatu, quoſdam ſibi ordinaſſe in carcere; modo illud obſervate, ne ei communicetis, donec occurram illi cum ſapientibus viris, & videam, quæ ſunt, quæ cogitavit. Valete*. Hactenus de Petri epiſtola, & de Meletii ſchiſmate, de quo infra non ſemel redibit ſermo.

JESU CHRISTI AN. 302. MARCELLINI PAPÆ 7.
DIOCLETIANI IMP. 19. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 17.
COSS. CONSTANTIO CÆSARE IV.,
ET GALERIO MAXIMIANO CÆSARE IV.
OLYMP. 270. AN. 2. URBIS AN. 1055.

Diocletiani, & Maximiani de perſecutione movenda conſilium.

Lactant. de mort. perſec. cap. 11.

1. Quod in Pſalmo ſecundo legitur: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*, hoc anno renovatum eſt, dum Diocletianum Maximianus Nicomediæ convenit, ut cum eo de chriſtiana evertenda Religione ageret. *In Bithyniam venit hyematum* Diocletianus, ait Lactantius coævus, aut forte ocularis teſtis, *eodemque tum Maximianus quoque Cæſar inflammatus ſcelere advenit, ut ad perſequendos Chriſtianos inſtigaret ſenem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc cauſam fuiſſe cognovi*; quod ſcilicet cum mater Maximiani Deorum apprime cultrix eſſet, ac quotidie ſacrificaret, immenſumque adverſus Chriſtianos concepiſſet odium, filium ſuum adverſus eos incitavit. Ejus quidem furori diu reſtitit Diocletianus, perniciosum eſſe addens inquietare Orbem terræ, & ſanguinem multorum fundere, ac ſatis eſſe, ſi Palatini tantum, ac milites ab ea religione prohiberentur; hominis tamen præcipitis inſaniam ſedare non potuit: quare ad amicorum conſilia res deducta eſt. Admiſſi ergo fuerunt judices pauci, & militares quidam, qui dignitate antecedebant, & interrogati, quorum aliqui, ut-

pote

pote in Chriſtianos infenſi, inimicos deorum, & hoſtes religionum tollendos eſſe cenſuerunt; ceteri vero, intellecta Maximiani voluntate, & timentes, vel gratificari volentes, in eamdem ſententiam ierunt. Nec tamen flexus eſt Diocletianus, ut accommodaret adſenſum, ſed Deos potiſſimum conſulere ſtatuit, miſitque Aruſpicem ad Apollinem Mileſium. Reſpondit ille, ut divinæ Religionis inimicus. Quoniam vero nec amicis, nec Cæſari, nec Apollini poterat reluctari, hanc ſaltem moderationem tenere conatus eſt, ut rem ſine ſanguine tranſigi juberet, cum Cæſar econtra vivos cremari vellet, *qui ſacrificio repugnaſſent*, ait Lactantius de his, quæ Nicomediæ adverſus chriſtianam Religionem hoc anno ſtatuta ſunt, anno vero ſequenti ad effectum perducta.

2. De Diocletiani legatione ad Apollinem Mileſium, de qua Lactantius loco citato, hæc adnotat Conſtantinus: *Apollinem tunc temporis ex antro, & tenebroſo quodam ſpecu, non ex hominis ore oraculum edidiſſe ferebatur, quo juſtos viros in terris degentes obſtare ſibi ajebat, quominus vera prædiceret, atque idcirco falſa ex tripode oracula reddi*. His etiam ſe adfuiſſe, ac audiviſſe narrat: *Te nunc teſtem appello, Deus altiſſime, ſcis qualiter ego tunc temporis admodum adoleſcens illum, qui inter Imperatores Romanos potiorem locum tunc obtinebat*, Diocletianum ſcilicet, *ex Protectoribus ſuis curioſe ſciſcitantem audierim, quinam illi eſſent juſti in terris degentes, & quemdam ex ſacrificulis, qui circa illum erant, reſpondiſſe, eos eſſe Chriſtianos; ille reſponſo hominis, quaſi melle quodam avide abſorpto, gladios ad punienda crimina paratos, adverſus ſanctitatem, omni reprehenſione vacuam diſtrinxit: Statim igitur ſanguinolenta edicta cruentis, ut ita dixerim, mucronibus ſcripſit, & Judicibus præcepit, ut ingenii ſolertiam ſibi a natura inſitam, ad acerbiora ſupplicia excogitanda intenderent*. Sed de cruentis edictis anno ſequenti.

Diocletianus Appollinem conſulit. *Euſeb. vita Conſtantini lib. 2. cap. 50. 51.*

JESU

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 303.

JESU CHRISTI an. 303. Marcellini Papæ 8.
Diocletiani Imp. 20. Maximiani Herculei Imp. 18.
Coss. Diocletiano Aug. VIII.,
Et Maximiano Herculeo Aug. VII.
Olymp. 270. an. 2. Urbis an. 1056.

Diocletianus perſecutionem in Eccleſiam excitat.

1. Annum Diocletianeæ perſecutionis primum attingimus, ſanguine magis, quam atramento conſignandum: etenim

Quis talia fando
temperet a lacrymis?

Hæc perſecutio, quæ decennalis fuit, decima etiam communiter numeratur, quæ & innumeros quidem Martyres fecit; quorum numerum non minuet ſua de paucitate Martyrum diſſertatione Dodwellus, eam in aliquot tantum provinciis ſæviiſſe ſcribens, ac Diocletianum eouſque a fundendo ſanguine abhorruiſſe, ut ne cruciari quidem provinciales permiſerit, ſed Eccleſiæ tantum miniſtros capitali pœna affecerit: quæ tamen, quantave perſecutio fuerit, hiſtoriæ ſeries monſtrabit.

Dodwell. diſſert. 11. in Cypr.

Nicomediæ Chriſtianorum Eccleſia deſtruitur.

Bar. an. 302.
Petav. rat. tempor. par. 2. lib. 4. cap. 10.
Lab. Concil. tom. 1. 937.
Noriſ. hiſt. Donat. tom. 4. cap. 2.
Lactant. de mort. perſec. cap. 12.

2. Perſecutionis initium cum anno Diocletiani decimo nono alligat Euſebius; qui cum ſuperiori æque ac labenti Dionyſiano concurrat, certum omnino perſecutionis initium indicare non poteſt. At liber de mortibus perſecutorum litem dirimit; nam Lactantius, ſive Cæcilius non ſolum annum labentem, ſed & diem exortæ perſecutionis deſignat, dum ait: *Decreta jam perſecutione, inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix, ac potiſſimum terminalia deliguntur, quæ ſunt ad ſeptimum Kal. Martias* (ideſt 23. Februarii), *ut quaſi terminus imponeretur huic Religioni; ille dies primus leti, primuſque malorum cauſa fuit, quæ & ipſis, & Orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxiſſet, agentibus conſulatum ſenibus ambobus* (Auguſtis) *octavum, & ſeptimum* (ideſt anno labenti), *repente adhuc dubia luce ad Eccleſiam profectus cum ducibus, & rationalibus venit, & revulſis foribus, ſimulacrum Dei quæritur, ſcripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, diſcurritur; ipſi vero* (ideſt Diocletianus, & Maximianus Cæſar) *in ſpeculis; in alto enim conſtituta Eccleſia ex palatio videbatur: diu inter ſe concertabant, utrum ignem potius ſupponi oporteret. Vicit ſententia Dio-*

Digitized by Google

Diocletiani, *cavens*, *ne magno incendio facto pars aliqua civitatis arderet*; *nam multæ*, *ac magnæ domus ab omni parte cingebant* (Eccleſiam). *Veniebant igitur Prætoriani acie ſtructa cum ſecuribus*, *& aliis ferramentis*, *& immiſſi undique*; *tamen illud editiſſimum paucis horis ſolo æquarunt*. Hæc Lactantius de iis, quæ Nicomediæ perſecutionis initio ſunt geſta, ubi ipſe tunc aderat; quo Lactantii loco quamplurima a Baronio Annalibus inſerta emendantur. Inter cetera, quæ de multorum millium Martyrum corona ex Actis S. Antimi, Glicerii, aliorumque refert, quos in Nicomedienſi Eccleſia igne conſumptos tradit, de quibus & Martyrologio Romano hæc habentur: Die 25. Decembris *Nicomediæ paſſio multorum millium Martyrum*, *qui cum in Chriſti natali ad Dominicum conveniſſent*, *Diocletiatus Imperator januas Eccleſiæ claudi juſſit*, *& ignem circumcirca parari*, *tripodemque cum thure præforibus poni*, *ac Præconem voce magna clamare*, *ut qui incendium vellent effugere foras exirent*, *& Jovi thus adolerent*; *cumque omnes una voce reſpondiſſent*, *pro Chriſto ſe libentius mori*, *incenſo igne conſumpti*, *eo die naſci meruerunt in Cœlo*, *quo Chriſtus in terris pro ſalute Mundi naſci dignatus eſt*. Hæc in Martyrologio Romano, quæ pluribus in Annalibus narrantur, atque viginti millia Chriſtianorum ea die in cinerem redactos Nicephorus fabulatur. Sed perſecutionis hiſtoriam ex Lactantio perſequimur.

JESU CHR. AN. 303.

Bar. an. 301. 302. *num.* 33. *Martyrol. Rom.* 25. *Decemb.*

3. Diruto templo, *poſtridie propoſitum eſt edictum*, *quo cavebatur*, *ut Religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate*, *tormentis ſubjecti eſſent*, *quocumque ordine*, *ac dignitate*, *aut gradu venirent*: *adverſus eos omnes actio caleret*, *ipſi non de injuria*, *non de adulterio*, *non de rebus ablatis agere poſſent*, *libertatem denique*, *ac vocem non haberent*. *Quod edictum quidam*, *etſi non recte*, *magno tamen animo diripuit*, *& conſcidit*, *cum irridens diceret victorias Gothorum*, *& Sarmatarum propoſitas*. *Statimque productus*, *non modo extortus*, *ſed etiam legitime cæſus cum admirabili patientia poſtremo exuſtus eſt*. Hactenus Lactantius. Euſebius vero: *Novus decimus agebatur annus Imperii Diocletiani*, *cum menſe Diſtro*, *quem Romani Martium vocant*, *apparente die feſto Dominicæ paſſionis*, *propoſita ſunt ubique imperialia edicta*. Quæ Nicomediæ die 23. Februarii propoſita fuerant, in Palæſtina, & Cæſareæ, ubi erat Euſebius, menſe Martio, inſtante feſto Domini-

Edicta contra Chriſtianos proponuntur. *Lactant. c.*13.

Euſeb. lib. 8. 2., & 5.

mini-

JESU CHR. AN. 303.

minicæ paſſionis; ſicuti Alexandriæ, ipſo Paſchatis die, ut teſtatur auctor Chronici Alexandrini, ideſt menſe Aprili: *Quibus Eccleſiæ quidem ad ſolum uſque dirui, ſacri vero Codices abſumi jubebantur; utque honorati quidem infamia notarentur; plebei vero libertate ſpoliarentur, ſi in Chriſtianæ fidei propoſito permanſiſſent*. De laceratione autem edicti Nicomediæ a Chriſtiano quodam, ut ex Lactantio audivimus, hæc addit Euſebius: *Primum quidem ſimul ac edictum contra Eccleſias propoſitum eſt Nicomediæ; vir quidam minime obſcurus, ſed ſæcularium honorum prærogativa imprimis conſpicuus, zelo quodam divino commotus, & ardore fidei incitatus, edictum illud in publico, & illuſtri urbis loco affixum detraxit, & tanquam impium, ac ſceleſtum manibus ſuis diſcerpit; idque duobus Imperatoribus in eadem urbe commorantibus, quorum alter ſenior Auguſtus, primum inter omnes Imperii gradum, alter vero quartum obtinebat. Hic igitur cum primus omnium in ea civitate hujuſmodi facinore inclaruiſſet, ſtatim ea ſupplicia perpeſſus, quæ poſt tantam audaciam ei infligenda eſſe, credibile erat, lætitiam ac tranquillitatem animi uſque ad ultimum ſpiritum conſervavit*. Hunc virum, qui tam forti animo, & edictum proſcidit, & mortem pertulit, Joannem Martyrologia paſſim vocant, cujus memoria die ſeptima Septembris recolitur.

Martyrol. Rom. 7. Septemb.

Nova edicta, eaque ſæviora adverſus Chriſtianos vulgantur.

4. Hæc prima Diocletiani edicta malorum initia fuerunt, & cruenti belli in Chriſtianos excitati leves quædam velitationes; nam, ut narrat Lactantius, *Cæſar Galerius Maximianus non contentus eſt edicti legibus; aliter Diocletianum aggredi parat; nam ut illum ad propoſitum crudeliſſimæ perſecunis impelleret, occultis miniſtris palatio ſubjecit incendium*. Incendium fulmine e cœlo immiſſo excitatum fuiſſe teſtatur Conſtantinus, qui in Palatio tunc aderat. *Hinc neſcio, quo caſu in palatio excitatum* erat incendium, ait Euſebius, *cujus cum noſtros auctores fuiſſe, publicus rumor falſa ſuſpicione jactaſſet, & cum pars quædam conflagraſſet*, ſequitur Lactantius: *Chriſtiani arguebantur, velut hoſtes publici, & cum ingenti invidia ſimul cum palatio Chriſtianorum nomen ardebat; illos conſilio cum Eunuchis habito, de extinguendis principibus cogitaſſe, duos Imperatores domi ſuæ pene vivos eſſe combuſtos. Diocletianus vero, qui ſemper ſe volebat videri aſtutum, & intelligentem, nihil potuit ſuſpicari; ſed ira inflammatus, excarnificari omnes ſuos proti-*

Apud Euſeb. orat. in Sanctorum Cœtum cap. 25.

Euſeb. lib. 8. 6.

Digitized by Google

protinus præcepit. Sedebat ipſe, atque innocentes igne torrebat: item judices univerſi, omnes denique, qui erant in palatio magiſtri, data poteſtate, torquebant. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil uſquam reperiebatur, quippe cum familiam Cæſaris nemo torqueret. Aderat ipſe, & inſtabat, nec patiebatur iram inconſiderati ſenis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rurſum incendium molitus eſt. Id celerius animadverſum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæſar medio hiemis profectione parata prorupit, eodem die conteſtans fugere ſe, ne vivus arderet.

Jesu Chr. an. 303.

5. *Furebat ergo Imperator jam non in domeſticos tantum, ſed in omnes; & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coegit. Potentiſſimi quondam Eunuchi necati, per quos palatium & ipſe ante conſtabat; comprehenſi Presbyteri, ac miniſtri, & ſine ulla probatione ad confeſſionem damnati cum omnibus ſuis deducebantur: omnis ſexus, & ætatis homines ad exuſtionem rapti; nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, ſed gregatim circumdato igni ambiebantur, domeſtici alligatis ad collum molaribus mari mergebantur.* Nec in ceterum populum mitius agebatur; quin judices per omnia Templa diſperſi, univerſos ad ſacrificia cogebant. Carceres pleni erant, tormentorum genera inaudita excogitabantur, & ne cui temere jus diceretur, aræ in Secretariis, ac pro tribunali poſitæ, ut litigatores prius ſacrificarent, atque ita cauſas ſuas dicerent. Litteræ vero ad Maximianum, atque Conſtantium miſſæ ſunt, ut eadem facerent, quorum ſententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens; Conſtantius autem ne diſſentire a majorum præceptis videretur, parietes quidem dirui paſſus eſt, ideſt Eccleſias; Dei autem templum, quod eſt in hominibus, incolume ſervavit. *Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum, tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant:*

Chriſtiani variis ſuppliciis affecti.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas;
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem,

quæ Judices per provincias juſtis, atque innocentibus intulerunt.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 303.

Donatus confeſſor quid pertulerit.

6. *Verum quid opus eſt illa narrare*, ſubdit Lactantius, *præcipue tibi, Donate cariſſime, qui præter ceteros tempeſtatem turbidæ perſecutionis expertus es? Nam cum incidiſſes in Flaccinum Præfectum, non puſillum homicidam, deinde in Hieroclem ex vicario præſidem, qui auctor, & conſiliarius ad faciendam perſecutionem fuit, poſtremo in Priſcillianum ſucceſſorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuiſti. Novies enim tormentis, cruciatibuſque variis ſubjectus, novies adverſarium glorioſa confeſſione viciſti: novem præliis Zabulum cum ſatellitibus ſuis debellaſti, novem victoriis ſæculum cum ſuis terroribus triumphaſti*. Hactenus de his Lactantius, quo ſolo exemplo patet, quantum perſecutores in Chriſtianos furerent. Sed de his Euſebium quoque audire præſtat.

Petri Cubicularii, ſociorumque martyrium. *Euſeb. lib. 8. 6.*

7. Præ omnibus enim ejus ætatis Martyribus & Confeſſoribus Petrum, & Dorotheum, alioſque Imperatoris cubicularios, ob animi conſtantiam, omnibus admirationi fuiſſe adnotat. Qui cum ſummi honoris prærogativa ab Imperatoribus ornati eſſent, nec minus ab iiſdem diligerentur, quam filii; probra tamen pro pietate tolerata, & ærumnas, ac diverſa mortis genera adverſus ipſos excogitata, majoris revera pretii eſſe duxerunt, quam gloriam, ac delicias hujus ſæculi. Perductus itaque ad Imperatores Petrus, juſſuſque Diis ſacrificare, cum id pertinaciter recuſaret, nudato corpore ſublimis tolli præcipitur, & verberibus concidi, ut vel invitus juſſis obtemperaret. Sed cum in eadem ſententia permaneret, ipſis jam oſſibus denudatis; commixtum ſale acetum tabeſcentibus corporis membris carnifices infuderunt, craticula deinceps, & igne reliquum ipſius corpus inſtar carnium, quæ ad cibum parantur, aſſatum eſt; idque non ſimul, ac ſemel, ſed paulatim, ne ſcilicet celeri exitu defungeretur. At Petrus in eadem ſemper ſententia perſeverans, ipſis in tormentis animam exhalavit. Denique id tantum retuliſſe ſufficiet, Dorotheum, & Gorgonium una cum aliis pluribus, qui in palatio miniſtrabant, poſt multa omnis generis certamina, eliſis laqueo faucibus, martyrii coronam adeptos fuiſſe.

Anthimi Epiſcopi, aliorumque martyrium. *Euſeb. ut ſup.*

8. Eo quoque tempore Anthimus Nicomedienſis Epiſcopus ob fidei confeſſionem in eadem urbe capite truncatus eſt una cum ingenti Martyrum multitudine; cum enim Chriſtianos incendii auctores fuiſſe, publicus rumor falſa ſuſpicione jactaſſet, quotquot Nicomediæ erant Dei cultores, acervatim cum famulis,

Digitized by Google

mulis, aut gladio, aut flammis conſumpti periere. Alii plurimi ſcaphis impoſiti in profundum mare projecti ſunt: corpora vero regiorum cubiculariorum, quæ poſt mortem convenienti tradita fuerant ſepulturæ, inde eruta in mare demerſa ſunt, ne eos Chriſtiani in ſepulcris conditos, pro Diis, ut ipſi quidem opinabantur, reputantes, impoſterum adorarent. *Et hæc quidem in ipſo perſecutionis exordio* Nicomediæ geſta ſunt, ait Euſebius. At paulo poſt promulgatum eſt Imperatoris edictum, ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites vincti in carcerem truderentur. Quare quæ poſtea Chriſtianis acciderunt calamitates, omnem prorſus dicendi copiam ſuperant; innumerabilis quippe ubique hominum multitudo cuſtodiæ mancipata eſt, *& carceres olim homicidis, & ſepulcrorum expilatoribus deputati, tunc Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, atque Exorciſtis completi, adeo ut iis, qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus ſupereſſet.* Hæc Euſebius de his, qui Nicomediæ perſecutionis initio ob confeſſionem fidei inclaruerant: quorum plurimi ob Palatinam militiam illuſtres, martyrio illuſtriores evaſerunt, cujuſmodi fuere ſupra laudatus Petrus, Gorgonius, Dorotheus, aliique, ad quos etiam extat Theonæ Alex. Epiſcopi epiſtola Luciano cubiculariorum Principi, ceteriſque inſcripta, qua illuſtribus viris in Diocletiani aula miniſtrantibus chriſtiana, & politica monita præbet, ut apud Dacherium videre eſt.

Dacher. Spicileg. tom. 12. pag. 545.

9. Nec mirum videri debet, Chriſtianos in Diocletiani aula officiis, & dignitatibus præfulſiſſe, cum ex Lactantio ſciamus, Diocletiani uxorem Priſcam, & filiam ejus Valeriam Chriſtianas fuiſſe; utraſque tamen perſecutio proſtravit, &, ut ait Lactantius, *ſacrificio pollui coegit*; quorum exemplum non pauci ſecuti ſunt, ut ab Euſebio adnotatum eſt, etſi neque eorum, qui in perſecutione concuſſi, ac proſtrati ſunt, mentionem ſe facere velle teſtetur, ſed ea tantum ſtylo ſuo perſequi, quæ poſteris uſui, ac exemplo eſſe poſſent.

Priſca, & Valeria Diocletiani uxor, & filia cum aliis a fide deficiunt.

Lactant. cap. 15.

Euſeb. lib. 8. 2.

10. Quare ſequenti capite de varia pro fide certantium fortuna, variiſque tormentorum generibus, quibus vexati, aut tentati plerique fuerunt, hæc adnotat: *Tum vero quamplurimi Eccleſiarum rectores graviſſima ſupplicia alacri animo perpeſſi, illuſtrium certaminum ſpectacula exhibuerunt. Alii quoque non pauci fracti animis, ac debilitati, primo ſtatim impetu præ timore conciderunt. Ex reliquis varia quiſque tormentorum genera*

Confeſſores Chriſti variis modis vexati.

Euſeb. lib. 8. 2.

 ra

JESU CHR. AN. 303.

ra expertus eſt. Hic flagellis conciſus; ille tormentis intolerabilibus, & ungulis excruciatus. Quibus in ſuppliciis nonnulli etiam miſerrimo mortis genere interiere. Alii item alio modo certamen ſuum peregerunt. Hic, contrudentibus eum quibuſdam, & ad impura ac nefaria ſacrificia admoventibus, quaſi ſacrificaſſet, dimittebatur, tametſi revera minime ſacrificaſſet. Alius vero, cum neque prorſus ad aram acceſſiſſet, neque profanum quidquam attigiſſet, nonnullis tamen ipſum ſacrificaſſe dicentibus, hanc calumniam ſilentio diſſimulans abſcedebat. Hi ſemivivi correpti, atque humeris geſtantium ſublati, projiciebantur ut mortui. Illi humi jacentes, per longiſſimum ſpatium pedibus trahebantur, & inter eos, qui ſacrificaverant, computabantur. Alius vero clamabat, & contenta voce teſtabatur, ſe ſacrificia repudiare; alius Chriſtianum ſe eſſe vociferabatur, ſalutaris hujus nominis confeſſionem præſeferens; alius item ſe nec ſacrificaſſe, nec ſacrificaturum unquam, affirmabat. Sed & hi a numeroſa militum manu ad id comparatorum pugnis in os cæſi, ac ſilere coacti, genis, omnique facie verberibus contuſa, violenter expellebantur. Adeo pietatis hoſtes permagni utique æſtimabant, ſi id, quod voluerant, perfeciſſe ſaltem viderentur. Verum hæc adverſus ſanctiſſimos Dei Martyres parum proſpere eis ceſſere. Quorum res geſtas ſi accurate exponere velimus, quænam nobis oratio ad id ſuffecerit? ait Euſebius de iis, quæ perſecutionis initio contigerant.

Martyres Tyri cruciati, beſtiis expoſiti, nil læduntur.

11. Poſt hæc altero vulgato edicto, quo præcipiebatur, ut carceribus incluſi, ſi quidem ſacrificaſſent, liberi dimitterentur, ſi vero id renuerent, tormentis graviſſimis cruciarentur; tanta fuit Confeſſorum multitudo, & Martyrum numerus, præſertim eorum, qui in Thebaide, & Ægypto fortiter certantes martyrio obierunt, ut eorum numerum, nec invenire, vel certamina proſequi oratio poſſit. De his, qui in Palæſtina, & Phœnicia certarunt, hæc ſummatim ex Euſebio adnotamus, quamplurimos apud Tyrum urbem Phœnices flagrorum ictus admirabili conſtantia non ſolum pertuliſſe, ſed & verbera, & beſtiarum, atque Pardorum, & Urſorum, immanium etiam Aprorum incurſus, & Taurorum, quos admoto igne, & candenti ferro adverſus illos incitabant. *Quæ cum gererentur, nos ipſi*, ait Euſebius, *præſentes aderamus; ubi & divinam potentiam Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui tunc Martyres teſtimonium perhibebant, præſentem, & ſemetipſam mani-*

Euſeb. lib. 8. cap. 6. & 7.

Digitized by Google

manifeſte Martyribus exhibentem perſpeximus. Siquidem voraciſſimæ beſtiæ longo temporis ſpatio nec attingere Sanctorum corpora, nec propius accedere ſunt auſæ. Verum in alios quidem, qui a fide noſtra alieni ipſas inſtigabant, impetum ſuum converterunt: ſolos vero Sacroſanctos Athletas, qui nudis corporibus ſtabant, & commotis manibus eas in ſemetipſos provocabant, (id enim facere jubebantur) non contigerunt quidem, immo interdum quidem in eos irruebant; ſed protinus quaſi divina quadam virtute repulſæ, retrocedebant. Quæ cum diutius fierent, non mediocri admiratione defixi erant ſpectatores; adeo ut ob caſſum, & inanem prioris beſtiæ incurſum, altera rurſus, ac tertia in unum eumdemque Martyrem emitteretur. Mirari tunc licebat intrepidam erga hæc Sanctorum Martyrum conſtantiam, & ſtabilem, atque inconcuſſam in teneris corporibus animi fortitudinem. Quippe vidiſſes tunc adoleſcentulum vix dum vigeſimum ætatis annum ingreſſum, abſque vinculis ſtantem, & manibus in Crucis formam expanſis, firmoque, & impavido animo attentiſſime Deo ſupplicantem, nec ab eo, in quo ſteterat loco recedentem, aut ullatenus declinantem; cum interim Urſi, & Pardi furorem, ac mortem anhelitu ipſo ſpirantes, membra illius pene jam morſibus invaderent: qui tamen, neſcio quo pacto, conſtrictis divina quadam, & arcana virtute ipſorum faucibus, retro protinus abſcedebant. Alios vero (nam quinque erant) efferato objectos tauro, qui etſi alios ex infidelium numero cornibus in ſublime jactatos diſcerpſiſſet, ac ſemivivos aſportandos reliquiſſet; cum in Martyres furens, & minabundus irrueret, ne accedere quidem auſus eſt, ſed pedibus terram quatiens, & hinc & illinc jactans cornua, atque ob cadentis ferri ſtimulos furorem, ac minas ſpirans, nihilominus, divina obſiſtente Providentia, retro avertebatur. Atque ita cum illæſi eſſent, aliæ rurſus in illos immiſſæ ſunt beſtiæ, ac tandem poſt multiplices, & horrendos beſtiarum incurſus, cuncti gladio confoſſi, ſepulcri loco marinis gurgitibus demerſi ſunt.

Adoleſcentis conſtantia.

12. In Ægypto quoque innumerabiles pene viri cum uxoribus, & liberis pro Servatoris noſtri doctrina temporalem vitam aſpernati, varia mortis genera ſuſtinuerunt; ac alii poſt ungulas, ac fidiculas, poſt crudeliſſima verbera, & varios ipſo etiam dictu horrendos cruciatus flammis abſumpti ſunt; alii in mare demerſi, alii obtruncatione capitis marty-

Martyres Ægyptii variis tormentorum generibus cruciati.

Euſeb. ut ſup. cap. 8.

rii

Jesu Chr. an. 303.

rii coronam adepti. Nonnulli tormentis ipſis immortui, aut fame conſumpti; alii denique in crucem acti, eodem ſupplicio, quo malefici plectebantur, capite deorſum verſo, clavis confixi ſunt, & vivi ſervati, quoaduſque in ipſis patibulis fame & cruciatibus interirent.

De Martyribus, qui in Thebaide paſſi ſunt. *Euſeb. lib. 8. cap. 9.*

13. Omnem præterea dicendi vim excedunt cruciatus illi, ac dolores, quos apud Thebaidem Martyres pertulerunt, acutis teſtis vice ungularum adhibitis, toto corpore ad mortem uſque lacerati; mulieres vero altero pede religatæ ſublimes, capite deorſum vergente, machinis quibuſdam in altum ſublatæ, nudiſque, ac prorſus intectis corporibus, fœdiſſimum ſimul, atque inhumaniſſimum ſpectaculum cunctis intuentibus præbuerunt. Alii ad arbores, & ramos alligati interiere. Nam cum robuſtiſſimos ramos inflexos machinamentis quibuſdam in unum coire feciſſent, Martyrum cruribus utrinque ad eos religatis, ramos in proprium, ac naturalem ſitum reverti ſinebant, ut membra eorum, adverſus quos hæc excogitaverant, uno ſimul impetu diſcerperentur. Atque hæc omnia non paucis diebus, nec exiguo temporis ſpatio, ſed prolixo aliquot annorum curriculo continuo perpetrata ſunt; atque nunc deni, interdum viceni, & amplius, nonnunquam ad triginta uſque, & ſexaginta, quandoque & centeni viri ſimul, ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis, ac per vices alternatis ſuppliciis addicti. *Cumque nos in illis partibus degeremus* ait Euſebius, *quampluriмos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus. Adeò ut gladii ipſi hebetarentur, & cædere amplius non valentes, frangerentur; ipſique carnifices viribus fatiſcentes, ſibi invicem ſuccederent.*

De Philoromo, & Philea Martyribus.

14. Maximam præceteris, eodem Euſebio teſtante, laudem, atque admirationem ii adepti ſunt, qui etſi opibus, ac nobilitate pollerent, & ob eloquentiam, ac philoſophiæ ſtudium non mediocrem gloriam conſecuti eſſent, tamen veram pietatem, & fidem in Dominum, ac Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum his omnibus prætulerunt. Ex his Philoromus, & Phileas recenſentur, quorum primus illuſtrem magiſtratum adeptus, procuratoris ſcilicet ſummæ rei Alexandriæ gerebat, & pro dignitate, ac prærogativa ſtipatus militibus quotidie jus dicebat. Alter vero Eccleſiæ Thmuitarum Epiſcopus, vir cunctis in patria honoribus, ac muneribus ſumma cum

Jesu Chr. An. 303.

cum laude perfunctus , quos cum cognati , atque amici , quidam etiam ex Magiſtratibus , atque honoratis rogarent , ac judex ipſe cohortaretur , ut ſui ipſorum miſererentur , aut ſaltem uxoribus , & liberis ſuis conſulerent , nunquam adduci potuerunt , ut vitæ ſervandæ cauſa , fidem negarent . Quapropter , in confeſſione perſeverantes , judicis ſententia capite multati , martyrii gloriam promeruerunt .

De Martyribus Alexandrinis ex epiſtola Phileæ. *Euſeb. lib. 8. 10.*

15. His prorſus ſimilia ſunt ea , quæ de Martyribus Alexandrinis in epiſtola ad Thmuitas refert Phileas , cum martyrio proximus eſſet , *ut poſt obitum ſuum pietatem in Chriſtum mordicus retinerent* , quorum virtutem , & in ſingulis tormentis fortitudinem , nulla poteſt oratio recenſere . Cum enim Confeſſores fidei injuria afficere cuilibet Gentilium liberum eſſet , alii fuſtibus , alii virgis , alii flagris aut loris verberati ſunt ; nonnulli ad ſtipitem alligati , ungulis ferreis toto corpore laniati ſunt ; quidam etiam altera manu in altum ſuſpenſi , articulorum , membrorumque omnium diſtentione acerbiſſime vexati , ita ut ex iis plurimi ob tolerata ſupplicia in carcerem truſi , paucos poſt dies doloribus cruciatibuſque oppreſſi vitam finierint . Reliqui vero opportunis remediis refocillati , tempore ipſo , ac diuturna carceris mora fidentiores evaſere ; itaut ad certamen revocati , cum poſtea juberentur eligere , utrum mallent , contactis nefariis ſacrificiis liberi abire , aut ſacrificare abnuentes capite damnari , *omnes nihil cunctati , libenti animo ad mortem perrexerunt* , ut pluribus ex ſupracitata Phileæ epiſtola narrat Euſebius . De epiſtola Phileæ Epiſcopi , & Martyris hæc Hieronymus habet : *Phileas elegantiſſimum librum de Martyrum laude compoſuit , & diſputatione actorum habita adverſus Judicem , qui eum ſacrificare cogebat , pro Chriſto capite truncatur , eodem in Ægypto perſecutore auctore , quo Lucianus Nicomediæ* . Phileæ Epiſcopi , & Philoromi memoria pridie nonas Februarii Martyrologio Romano celebratur .

Hier. de Vir. Ill. in Philea cap.

Chriſtianorum urbs una cum civibus concremata.

16. Integram vero in Phrygia urbem , ob chriſtianæ fidei confeſſionem , igne conſumptam fuiſſe , incredibile videretur , ac fabulæ proximum , niſi teſtes fide digniſſimi , & coævi id teſtatum reliquiſſent , Lactantius ſcilicet , & Euſebius , quorum verba exſcribere præſtat : *Certe* , inquit Euſebius , *Urbem quandam Chriſtianorum in Phrygia milites armati obſidione cinxerunt , injectoque igne totam una cum viris , & mulieribus ,*

Euſeb. lib. 8. 11.

Digitized by Google

Jesu Chr. an.303. *ribus, ac parvulis Chriſtum omnium Deum invocantibus concremarunt. Hanc ſcilicet ob cauſam, quod univerſi ejus urbis incolæ, & Curator ipſe, ac Magiſtratus cum honoratis omnibus, ac plebejis, Chriſtianos ſe eſſe profeſſi, ſacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant.* Hæc Euſebius. Lactantius vero, Præſidum ſævitiam in Chriſtianos redarguens, de incenſa urbe in Phrygia, hæc habet: *Alii ſuo proprio adverſus juſtos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent, & hoc officio viam ſibi ad altiora munirent; aliqui ad occidendum præcipites extiterunt; ſicut unus in Phrygia, qui univerſum populum cum ipſo pariter conventiculo concremavit.*

Lactant. de juſtit. ſeu divin. inſtit. lib. 5. 11.

Variarum gentium varia martyria.

17. Poſt tam immane facinus, quid opus eſt reliquos Martyres nominatim commemorare, aut multitudinem eorum recenſere, aut varias tormentorum ſpecies deſcribere, cum adnotare ſufficiat quamplurimos ſecuribus in Arabia cæſos fuiſſe, alios ſuffractis cruribus interiiſſe, quemadmodum in Cappadocia accidit; nonnullos capite deorſum verſo pedibus ſuſpenſos, leni ac remiſſo igne ſubtus accenſo, flagrantis materiæ fumo ſuffocatos fuiſſe, ut in Meſopotamia factum eſt; alios naſo, auribus, ac manibus truncatos, ceteriſque corporis membris mutilatos, atque conciſos, ut contigit Alexandriæ. *Jam vero ea, quæ apud Antiochiam geſta ſunt, quid opus eſt in memoriam revocare*, ait Euſebius, *ubi alii craticulis impoſiti, non ad mortem uſque, ſed ad diuturnitatem ſupplicii torrebantur. Alii dextras ſuas in ignem immittere maluerunt, quam impia libamenta contingere.* His ſubdit, quoſdam perſecutionis atrocitate permotos ſua ſponte vita ceſſiſſe, priuſquam in perſecutorum manus inciderent, ac ex ſublimibus tabulatis præcipites ſe ſe dediſſe; clariſſimam vero feminam, quam etiam ſanctiſſimam Euſebius appellat, opibus, ac ſplendore generis, bonaque imprimis fama Antiochiæ percelebrem, una cum duabus filiabus virginibus, ætatis flore, decoreque præſtantibus, e militum cuſtodia tantiſper elapſas in flumen ſe ſe præcipitaſſe addit; quarum conſtantiam, aut caſtitatis propoſitum, etſi multis laudibus celebret Euſebius, nunquam tamen uti Martyres Eccleſia habuit; quin uti homicidas deteſtata eſt. Cum ſapiens mortem quidem ferre patienter debeat; *ſed quæ accedit aliunde*, ut ait Auguſtinus de Civit. Dei lib. 19. cap. 4., non quam ſibi quiſquam infert, cum nemini quacumque ex cauſa liceat violentas ſibi manus inferre, ut

De civit. Dei lib. 1. cap. 16. ad 28.

ut alibi pluribus idem perſequitur Auguſtinus ; ac ne quidem aut ob violatam pudicitiam , aut ob timorem perdendæ virginitatis : *Quamobrem non habet* , ait Sanctus Doctor , *quod in ſe morte ſpontanea puniat femina ſine ulla conſenſione violenter oppreſſa , & alieno compreſſa peccato : quanto minus antequam hoc fiat , ne admittatur homicidium certum , cum ipſum flagitium , quamvis alienum , adhuc pendet incertum ?* Quod ſi aliquando earum , quæ ſe ipſas interfecerunt , *martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentantur* ; in exemplum , ait Auguſtinus , ceteris eſſe non poſſunt , atque ſpeciali Spiritus divini inſtinctu id eas feciſſe credendum eſt , ut pluribus ibidem perſequitur .

Loc. cit. cap. 19.

18. Omnem porro dicendi copiam ſuperat , ut vel ipſo dictu horrorem incutiat , nonnullorum in Ponto judicum ſævitia , qui quaſi in certamine poſiti , vexandis Chriſtianis ambitioſius agentes , nova exquiſitaque ſupplicia excogitarunt , ita ut aliis manuum digiti a ſummis uſque unguibus acutis arundinibus transfigerentur : aliis plumbo liquefacto , eoque bulliente , ac fervente terga & latera adurerentur , & corporis partes maxime neceſſariæ torrerentur . Quidam vero in viſceribus , ac pudendis partibus fœdos , atque inexplicabiles cruciatus pertulerunt : neque ullum hæc finem habuerunt , uſque dum judices cædibus feſſi , cum ipſos ſanguinis ſatietas , ac tædium cepiſſet , ne Rom. Imperium , cunctaque loca Chriſtianorum ſanguine contaminarentur , id conſilii ceperunt , ut poſthac chriſtianæ Fidei Confeſſoribus oculus eruеretur , & altero pede debilitarentur : *Hinc nullo jam modo* , ait Euſebius , *recenſeri poteſt numerus , tum eorum , quibus oculi dextri primum quidem ferro effoſſi , deinde vero cauterio aduſti ſunt , tum illorum , quibus ſiniſtri poplites candente ferro ſunt debilitati , & qui poſtea ad æris metalla , quæ in provincia erant , non tam operis faciendi , quam vexationis cauſa condemnabantur : aliorum denique , qui varia viritim ſinguli certamina ſubierunt . Quæ quidem nos nec enumerare ſufficimus ; quippe cum præclara illorum facinora omnem dicendi copiam ſuperent .* Atque in his enarrandis , exageratione nequaquam uſum fuiſſe Euſebium , teſtis eſt Lactantius , dum adnotat , judices non tam vitam , quam fidem perdere , ſollicitos fuiſſe . Unde *in excogitandis pœnarum generibus , nil aliud , quam victoriam cogitant . Vidi ego in Bythinia* (ideſt Nicomediæ , ubi Lactantius

Quid in Ponto Chriſtiani paſſi ſint .

Lactant. de juſtitia , ſeu divin. inſtit. lib. 5. cap. 11.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 303.

tius hoc tempore Rhetoricam docebat) *Præſidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum gentem aliquam ſubjeciſſet, quod unus, qui per biennium magna virtute reſtiterat, poſtremo cedere viſus eſt. Contendunt igitur, ut vincant, & exquiſitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur; & pertinaci ſtultitia jubent curam adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus ſanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri poteſt! non curaſſent tam ſolliciti, quos amarent.* Hæc Lactantius de impia Præſidum in Chriſtianos pietate, & ſævitia.

De præcipuis Eccleſiarum Præſidibus, qui martyrio Eccleſiam illuſtrarunt. *Euſeb. lib. 8. 13.*

19. His de perſecutionis atrocitate generatim ex Euſebio adnotatis, præcipuos Antiſtites, qui ſanguine ſuo Eccleſiam illuſtrarunt, cum eodem Auctore recenſebimus. Horum primus Anthimus Nicomedienſis Epiſcopus fuit, in eadem urbe capite truncatus. Ex Antiochenis vero Martyribus Lucianus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter, vir in omni vita ſanctiſſimus, qui cœleſtem doctrinam primum verbis, & oratione Apologetica Nicomediæ, præſente ipſo Imperatore, poſtea vero etiam rebus ipſis aſſeruit. In Phœnice etiam Chriſtiani Gregis Paſtores, qui pro Chriſto Martyrii palmam adepti ſunt, Tyrannio Eccleſiæ Tyriorum Epiſcopus, & Zenobius Presbyter Sidonienſis, Sylvanus quoque Emiſenæ Eccleſiæ Antiſtes numerantur. Hic quidem in ipſa urbe Emeſa feris objectus, una cum aliis quibuſdam in Martyrum relatus eſt numerum. Illi vero Antiochiæ doctrina veræ fidei, conſtantiſſima in perferendis ad mortem uſque tormentis patientia, Eccleſiam illuſtrarunt. Tyrannio quidem in profundum mare demerſus; Zenobius vero Medicorum omnium præſtantiſſimus, dum ungulis latera ipſi ſulcarentur, in mediis cruciatibus forti animo immortuus. Inter Martyres autem Palæſtinæ Silvanus Gazæ urbis Epiſcopus apud æris metalla, quæ ſunt in Rhæno, cum aliis unde quadraginta, capite truncatus eſt. Sed & quidam Ægyptii Sacerdotes Peleus, & Nilus cum aliquot aliis illic flammis abſumpti periere.

De Pamphylo Presbytero Cæſarienſi, & Petro Alex. Epiſc. aliiſque. *Euſeb. ut ſupra.*

20. Pamphylus etiam Cæſarienſis Eccleſiæ Presbyter non eſt prætereundus, vir ejus ætatis maxima admiratione dignus. Ex iis porro, qui Alexandriæ, & per totam Ægyptum, ac Thebaidem nobili martyrio perfuncti ſunt, primus omnium nominandus eſt Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus,

pus, chriſtianæ Religionis Doctor eximius. Et inter ejus Presbyteros Fauſtus, Dius, atque Ammonius. His addendi ſunt Phileas, & Heſychius, Pachumius, ac Theodorus diverſarum in Ægypto Eccleſiarum Epiſcopi. Sexcenti denique alii minime obſcuri, qui per Eccleſias in illis locis, ac regionibus conſtitutas multis laudibus celebrantur.

Chriſtiana Religio a Hierocle, alioque Scriptore impugnata.

Lactant. divin. Inſt. lib. 5. de juſtit. c. 2.

21. Quo vero tempore Diocletiani edictis vexabantur Chriſtiani, ac eorum Eccleſiæ evertebantur, ſcriptis nonnulli chriſtianam Religionem infamare conati ſunt: *Cum in Bythinia oratorias litteras accitus docerem*, ait Lactantius, *contigiſſetque, ut eodem tempore Dei Templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti, atque abjectæ veritati, neſcio utrum ſuperbius, an importunius inſultarent, quorum alter Antiſtitem ſe Philoſophiæ profitebatur, verum ita vitioſus, ut continentiæ magiſter, non minus avaritia, quam libidinibus arderet: in victu tam ſumptuoſus, ut in ſchola virtutis aſſertor, parſimoniæ, paupertatiſque laudator, in palatio pejus cœnaret, quam domi; tamen vitia ſua capillis, & pallio, & quod maximum eſt velamentum, divitiis prætegebat, quas, ut augeret, ad amicitias judicum miro ambitu penetrabat, eoſque ſibi repente auctoritate falſi nominis obligabat, non modo ut eorum ſententias venderet, verumetiam ut confines ſuos, quos ſedibus agriſque pellebat, a ſuo repetendo, hac potentia retardaret. Hic vero, qui ſuas diſputationes moribus deſtruebat, vel mores ſuos diſputationibus arguebat, ipſe adverſus ſe gravis cenſor, & accuſator acerrimus, eodem ipſo tempore, quo juſtus populus nefarie lacerabatur*, tres contra Chriſti religionem, nomenque Chriſtianum libros edidit; profeſſus ante omnia, Philoſophi officium eſſe erroribus hominum ſubvenire, atque ad veram viam revocare, ideſt ad cultus Deorum, quorum numine ac majeſtate (ut ille dicebat) Mundus gubernetur. Itaque ſe ſuſcepiſſe hoc munus philoſophia dignum teſtatur, ut præferret non videntibus lumen ſapientiæ, non modo ut ſuſceptis deorum cultibus reſaneſcant, ſed etiam ut pertinaci obſtinatione depoſita, corporis cruciamenta devitent, nec ſævas membrorum lacerationes fruſtra perpeti velint. In Principum deinde laudem multa hic Auctor congerit, eo quod eorum pietas, quum in ceteris rebus humanis, tum præcipue in defendendis Deorum religionibus eluceret, dum cohibita anili, & impia ſuperſtitione (ut ipſe ajebat), univerſi homines legitimis

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 303.

ſacris vacarent, ac propitios ſibi Deos experirentur. Ubi autem chriſtianam Religionem infirmare voluit, *ineptus, vanus, ridiculus apparuit; quia gravis ille conſultor utilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, ſed etiam quid loqueretur, neſciebat. Nam ſi qui noſtrorum affuerunt, quamvis temporum gratia conticerent, animo tamen deriſere, utpote quum viderent hominem profitentem ſe illuminaturum alios, quum ipſe cæcus eſſet: reducturum alios ab errore, quum ipſe ignoraret, ubi pedes ſuos poneret: eruditurum alios ad veritatem, cujus ille ne ſcintillam quidem unam vidiſſet aliquando, quippe quum ſapientiæ profeſſor profligare ſapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quod illo potiſſimum tempore id operis eſſet aggreſſus, quo furebat odioſa crudelitas. O philoſophum adulatorem, ac tempori ſervientem! verum hic pro ſua inanitate contemptus eſt, qui & gratiam, quam ſperavit, non adeptus eſt, & gloria, quam captavit, in culpam, reprehenſionemque converſa eſt.*

Scriptoris Ethnici in ſacram Scripturam, & Apoſtolos calumnia.

22. Idem argumentum mordacius perſecutus eſt alius, qui erat e numero judicum, quique auctor in primis faciendæ perſecutionis fuit: quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt. Compoſuit enim libellos duos, non contra Chriſtianos, ne inimice inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, ut humane, ac benigne conſulere putaretur: in quibus ita falſitatem Scripturæ ſacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria; atque adeo multa, adeo intima enumerat, ut aliquando ex eadem diſciplina fuiſſe videatur. Quod ſi fuit, quis eum Demoſthenes poterit ab impietate defendere, qui Religionis, cui fuerat aſſenſus, & Fidei, cujus nomen induerat, & Sacramenti, quod acceperat, proditor factus eſt; niſi forte caſu in manus ejus divinæ litteræ inciderunt? *Quæ igitur temeritas erat*, ait Lactantius, *id audere diſſolvere, quod illi nemo interpretatus eſt? Tantum enim abeſt a divinis litteris repugnantia, quantum ille abfuit a fide, & a veritate: præcipue tamen Petrum, Paulumque laceravit, ceteroſque Diſcipulos tanquam fallaciæ ſeminatores, quos eoſdem tamen rudes, & indoctos fuiſſe teſtatus eſt; nam quoſdam eorum piſcatorio artificio feciſſe quæſtum, quaſi ægre ferret, quod illam rem non Ariſtophanes aliquis, aut Ariſtarchus commentatus eſt*. Hunc Hieroclem fuiſſe inde patet, quod, eodem Lactantio teſte, ſciamus, eum fuiſſe *ex Vicario*

Lactant. de mort. perſec. cap. 16.

cario Præſidem , qui auctor , & conſiliarius ad faciendam perſecutionem , atque ex his , quæ in libro Inſtitutionum quinto , & libro de mortibus perſecutorum narrat , Hieroclem deſignaſſe patet ; cum & perſona , & dignitas , & libri argumentum , & chriſtianæ Religionis odium apprime conveniant : quod & Euſebii auctoritate confirmatur , dum narrat , Hieroclem adverſus chriſtianam Religionem ſcripſiſſe , & in Jeſum Chriſtum , cui Apollonium Thianeum æquabat , aut præferebat , ac in Apoſtolos Petrum , & Paulum convicia , putidaque mendacia eo opuſculo collegiſſe , quæ ibidem ab Euſebio confutata ſunt .

JESU CHR. AN.303. *Divin. Inſt. lib.5. ut ſup. Tillem. tom.3. not.19. in perſecut. Diocler. pag. 606. Baſnag. an. 303. 6. Euſeb. adverſ. Hieroclem.*

23. Quis autem alter Scriptor fuerit , qui , Lactantio teſte , cum Antiſtitem philoſophiæ ſe gereret , *ita vitioſus , ut continentiæ magiſter , non minus avaritia , quam libidine arderet , incertum eſt* . Porphyrium Philoſophum a Lactantio deſignatum fuiſſe , ſcribit Baronius ; quin tamen ei ſubſcribamus , multa obſtant , ut a viris doctis admonemur . Interea quam olim Eccleſiæ operam viri pietate , & doctrina præſtantes exhibuerunt , ut eam ab impugnatoribus , & calumniatoribus , editis apologiis , tutarentur , eamdem inquam hoc tempore præſtiterunt viri doctrina , & eloquentia celeberrimi , & ut Euſebium prætereamus , qui libro ſingulari Hieroclem confutavit , Lactantius , & Arnobius ſeſe offerunt , qui hac ætate Chriſtianam Religionem a Gentilium Philoſophorum calumniis vindicarunt . Atque ut a Lactantio exordiamur , ex multis ingenii ſui monumentis ad nos uſque pervenerunt libri ſeptem Divinarum Inſtitutionum , ac de ira Dei , & de Opificio Dei , quibus addendus liber de mortibus perſecutorum , de quo tamen , an Lactantio inſcribendus ſit , nonnulli dubitant . Qua autem ratione , aut fine Gentilium Philoſophorum calumnias , in chriſtianam Religionem vulgatas , confutandas ſuſceperit , his verbis narrat : *Cum etenim* , ait , *ii , de quibus dixi* , ideſt Hierocles , & Philoſophus alter ignotus , *præſente me , ac dolente ſacrilegas ſuas litteras explicaſſent , & illorum ſuperba impietate ſtimulatus , & veritatis ipſius conſcientia , & ut ego arbitror , Deo ſuſcepi hoc munus , ut omnibus ingenii mei viribus accuſatores juſtitiæ refutarem , non ut contra hos ſcriberem , qui paucis verbis obteri poterant , ſed ut omnes , qui ubique idem operis efficiunt , aut effecerunt , uno ſemel impetu profligarem* , quod pluribus eo in libro , alibique paſſim proſequitur .

De operibus Lactantii. *Baron. ann. 302. num. 51. Pag. not. 10. ad 14. ad an. 302. Helſten. de vita, & ſcriptis Porphyr. cap. 3. Baſnag. ut ſupra an. 303. 6. Vid. Præf. in Lactant. a Valchio Lipſiæ 1735. Thoma Sparcoan Oxonii 1684. Dufrenoi Lactantii Op. Pariſiis 1748. Lactant. Inſt. lib. 5. cap. 4. de juſtitia.*

24. In

JESU CHR. AN.303.

Apoſtoli a Hieroclis calumnia vindicati.

Lact. de juſtit. ſeu divin. inſtit. lib. 5. cap. 3.

24. In Hieroclem vero, ejuſque impiam Jeſu Chriſti cum Apollonio comparationem, apertaque in Chriſti Apoſtolos mendacia addit: *Abfuit ergo ab iis fingendi voluntas, & aſtutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis poſſit indoctus apta inter ſe, & cohærentia fingere, quam Philoſophorum doctiſſimi Plato, & Ariſtoteles, & Epicurus, & Zenon, ipſi ſibi repugnantia, & contraria dixerint? Hæc eſt enim mendaciorum natura, ut cohærere non poſſint. Illorum autem traditio, quia vera eſt, quadrat undique, ac ſibi tota conſentit, & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt. Non igitur quæſtus, & commodi gratia religionem iſtam commenti ſunt, quippe qui & præceptis, & re ipſa vitam eam ſecuti ſunt, quæ & voluptatibus caret, non tantum pro fide mortem ſubierint, ſed etiam morituros ſe eſſe, & ſcierint, & prædixerint, & poſtea univerſos, qui eorum diſciplinam ſecuti eſſent, acerba, & nefanda paſſuros.*

Hieroclis in Chriſtum blaſphœmiæ.

25. *Ipſum autem Chriſtum affirmavit, a Judæis fugatum, collecta noningentorum hominum manu latrocinia feciſſe. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? Credamus hoc plane, nam fortaſſe illi hoc in ſomnis Apollo aliquis nunciavit. Tot latrones ſemper perierunt, & quotidie pereunt, (utique multos & ipſe damnaſti) qui eorum poſt crucem ſuam, non dicam Deus, ſed homo appellatus eſt?* Poſt aliqua Hieroclem confutans, qui Apollonium Thianeum Chriſto comparare auſus fuerat, *quum facta ejus mirabilia*, inquit, *deſtruet, nec tamen negaret, voluit oſtendere Apollonium vel paria, vel etiam majora feciſſe. Mirum, quod Apulejum prætermiſit, cujus ſolent & multa, & mira memorari; cur igitur, o delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit? niſi forte tu ſolus, illo ſcilicet Deo dignus, cum quo te in ſempiternum verus Deus puniet. Si magus Chriſtus, quia mirabilia fecit, peritior utique Apollonius, qui (ut deſcribis) quum Domitianus eum punire vellet, repente in judicio non comparuit, quam ille, qui & comprehenſus eſt, & cruci affixus. At enim ex hoc ipſo fortaſſe inſolentiam Chriſti voluit arguere, quod Deum ſe conſtituerit, ut ille verecundior fuiſſe videatur, qui cum majora faceret, ut hic putat, tamen id ſibi non arrogaverit. Omitto nunc ipſa opera comparare, quia in ſecundo, & in ſuperiore libro de fraude, ac præſtigiis artis magicæ dixi.* Cumque omnes homines immortalitatem exoptent, eaque de cauſa ſibi ſepulcra magni-

Digitized by Google

magnifica ædificent, ſtatuas, imagines ſibi fieri curent; *Stultum eſt*, inquit, *id putare Apollonium noluiſſe &c. Non potuit ergo poſt mortem Deus credi, quia & hominem, & magum fuiſſe conſtabat &c. Noſter vero & potuit Deus credi, quia magus non fuit, & creditus eſt, quia verus fuit*. Ex Prophetis autem id præcipue conſtare docet, ac demum idcirco a chriſtianis creditum fuiſſe Chriſtum, non quod mirabilia fecerit, ſed quia ea patraverit, quæ vaticinio Prophetarum enunciata fuerant. *Quod fecit mirabilia, magum putaſſemus, ut & vos nuncupatis, & Judæi tunc putaverunt, ſi non illa ipſa facturum Chriſtum, Prophetæ omnes uno ſpiritu prædixiſſent. Itaque Deum credimus, non magis ex factis, operibuſque mirandis, quam ex illa ipſa cruce, quam vos ſicut canes lambitis, quoniam ſimul & illa prædicta eſt. Non igitur ſuo teſtimonio, (cui enim de ſe dicenti poteſt credi?) ſed Prophetarum teſtimonio, qui omnia, quæ fecit, ac paſſus eſt, multo ante cecinerunt, fidem Divinitatis accepit, quod neque Apollonio, neque cuiquam magorum potuit, aut poteſt aliquando contingere. Quum igitur talia ignorantiæ ſuæ deliramenta fudiſset, quum veritatem penitus excidere connifus eſset, auſus eſt libros ſuos nefarios, ac Dei hoſtes Philaletes annotare. O cæcum pectus! o mentem cimmeriis (ut ajunt) tenebris atriorem. Diſcipulus hic fortaſſe Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt.* Hæc, & alia in Hieroclem Lactantius, quæ jam exſcribere piget. Extincta jam perſecutione circa annum 320. eos libros Lactantium vulgaſſe, Eruditorum plurimi cenſent. Caveus tamen, & Odinus, ea adhuc vigente circa hunc annum edidiſſe, ſcribunt.

Supra cit. Editores Lactantii Dupin. Tillem.

Caveus hiſt. litt. to. 1. pag. 162. Edit. Oxon. 1740. Odin. de Script. Eccleſ. tom. 1. pag. 309.

26. Ad hæc quoque tempora ſuos adverſus Gentes libros vulgavit Arnobius, ut his indicat verbis: *Trecenti ſunt anni ferme minus, vel plus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & Terrarum in Orbe cenſeri*; & iterum lib. 2. *Ætatis Urbs Romæ, cujus eſſe in Annalibus indicatur, annos ducit quinquaginta & mille non multum ab his minus*. Quare etſi annum præciſe, quo hæc ſcribebat, non indicet; his tamen ferme temporibus libros edidiſſe teſtatur, cum feralia jam Diocletiani edicta, de comburendis Chriſtianorum Codicibus, Templiſque deſtruendis, vulgata eſſent, quorum his verbis meminit: *Quod ſi haberet vos aliqua veſtris pro Religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuiſtis olim libros, iſtos demoliri, diſſol-*

De Arnobio, ejuſque libris

Arnob. lib. 1. lib. 2.

Lib. 4. in fine.

Jesu Chr. an. 303.

JESU CHR. AN.303.

diſſolvere, theatra hæc potius, in quibus infamiæ Numinum propudioſis quotidie publicantur in fabulis; nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari, cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis poſtulatur, magiſtratibus, exercitibus, Regibus? Quis autem Arnobius fuerit, quave occaſione hos libros vulgaverit, his verbis Hieronymus narrat: *Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur, qui cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem ſomniis compelleretur, ut ab Epiſcopis impetraret fidem, quam ſemper impugnaverat, elucubravit adverſus priſtinam Religionem luculentiſſimos libros, & tandem veluti quibuſdam obſidibus pietatis fœdus impetravit.* Hæc de Arnobii ad fidem converſione Hieronymus. De ſe ipſo autem Arnobius, dum Gentilis eſſet, hæc prodit: *Venerabar (o cæcitas) nuper ſimulacra modo ex fornacibus promptos in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos, Elephantorum oſſa, picturas veternoſis in arboribus tentas. Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, beneficia poſcebam, nihil ſentiente de trunco &c.*

Hier. in Chron to. 8. pag. 785.

Tom. 3. Biblioth. PP. lib. 1. p. 436.

Arnobius Chriſtianam fidem a calumniis Gentilium vindicat.

27. Operis initio Gentilium ſtultitiam, vel potius temeritatem arguit, qua Chriſtianis calamitates Orbi Romano irruentes tribuebant: *Quoniam*, inquit, *comperi nonnullos, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, inſanire, bacchari, & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: Poſtquam eſſe in Mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum Orbem periiſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum, ipſos etiam Cœlites, derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inviſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos, ſtatui pro captu, & mediocritate ſermonis contraire invidiæ, & calumnioſas diſſolvere criminationes.* De Gentilium vero querelis, poſt multa ſubdit: *Negliguntur Dii, clamitant, atque in Templis jam ſumma raritas eſt, jacent antiquæ deriſui cærimoniæ, & ſacrorum quondam veterrimi ritus, religionum novarum ſuperſtitionibus occiderunt, & merito humanum genus tot miſeriarum anguſtiis premitur.* Hactenus Arnobius, in quo Hieronymus ſtyli inæqualitatem, nimietatemque, ac confuſionem arguit, jure, vel injuria alii videant; id certum, quæ de Lactantio idem S. Doctor adnotaverat, Arnobio quoque convenire poſſe: *Utinam tam noſtra affirmare potuiſ-*

Hieronym. epiſt. 58.

by Google

potuiſſet , *quam facile aliena deſtruxit* . Nonnulla enim in quinque Arnobii libris occurrunt , quæ catholicæ Fidei convenire vix poſſunt , de quibus conſulendi ſunt Dupinius , Caveus, aliique .

JESU CHR. AN. 303.

Dupin. Biblioth. tom. 3. pag. 603. Caveus to. 1. pag. 161.

Quis hac ætate fuerit Eccleſiæ ſtatus . *Arnob. lib. 1. in fin.*

28. Qui tunc temporis fuerit Eccleſiæ ſtatus , quæve Chriſtianorum in perferendis pro Chriſti fide cruciatibus conſtantia , his verbis idem Arnobius narrat : *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi , quod jam per omnes terras in tum brevi tempore , & parvo immenſi nominis hujus ſacramenta diffuſa ſunt ? quod nulla jam natio eſt tam barbari moris , & manſuetudinem neſciens , quæ non ejus amore verſa molliverit aſperitatem ſuam , & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migraverit ? quod tam magnis ingeniis præditi Oratores , Grammatici , Rhetores , Conſulti Juris , ac Medici , Philoſophiæ etiam ſecreta rimantes magiſteria hæc expetunt , ſpretis quibus paulo ante fidebant ? quod ex dominis eſſe ſervi , cruciatibus affici omnibus ſtatuerint , malint ſolvi conjuges matrimoniis , exhæredari a parentibus liberi , quam fidem rumpere Chriſtianam , & ſalutaris militiæ ſacramenta deponere ? quod , cum genera pœnarum tanta ſint a vobis propoſita Religionis hujus ſequentibus leges , augentur res magis , & contra omnes minas , atque interdicta formidinum animoſius populo obnitatur , & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur ? An numquid hæc fieri paſſim , & inaniter creditis fortuitis incurſibus aſſumi has mentes ? Ita ne iſtud non divinum , & ſacrum eſt , aut ſine Deo eorum tantas animorum fieri converſiones , ut cum carnificis unci , aliique innumeri cruciatus* (quemadmodum diximus) *impendeant credituris , velut a quadam dulcedine , atque nectare ebrii , cuncta contemnant ? O ingratum , & impium ſæculum* ! Multa deinde de ſuppliciorum atrocitate , quibus Gentiles Chriſtianos afficere ſolebant , ibidem adnotat , quæ exſcribere longum eſſet .

Eugenii Rebellio , ejuſque interitus. *Euſeb. lib. 8. 6.*

29. Jam vero cum Diocletianus Chriſto , & Eccleſiæ bellum gereret , ſeditiones aliquot in Imperio exortæ ſunt , dum *alii in Melitina Armeniæ regione , alii in Syria Imperium arripere conati eſſent* , ait Euſebius . Tempus vero , ideſt, hunc annum his verbis indicat : cum *promulgatum eſt Imperatoris edictum , ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites in carcerem vincti traderentur* . Hæc autem fuſius Libanius perſequitur , qui narrat , Syriæ milites Eugenium quemdam Tribunum , ut pur-

Jesu Chr. An. 303.

puram indueret, coegiſſe, quem Antiochenſes ipſa in urbe una cum quingentis militibus paulo poſt interfecerunt. Diocletianus tamen beneficii immemor & ingratus, in Antiochenſium, & Seleucienſium nobiliores gladio animadvertit; inter quos Libanii avus Antiochenſis interfectus eſt, ut idem in oratione ad Theodoſium, & in Antiochico narrat.

Diocletianus Romæ vicennalia agit, & triumphat. *Lactant. de mort. Perſec. cap. 17.*

30. Hoc quoque anno ad finem vergente, *ſcelere perpetrato*, ut ait Lactantius, ideſt, repetitis edictis perſecutione indicta, *Diocletianus cum jam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret; qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembris*. Quo tempore de Perſis nobiliſſimum duxiſſe triumphum Eutropius, & Euſebius tradunt, quo *Narſes, conjux, ſororeſque, & liberi* (Perſico bello capti) *ante currum ducti ſunt*. *Quibus ſolemnibus celebratis*, addit Lactantius, *cum libertatem Populi Romani ferre non poterat impatiens, & æger animi prorupit ex Urbe impendentibus Kal. Januarii, quibus illi nonus Conſulatus deferebatur, tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius, quam Ravennæ Conſul procederet; ſed profectus hyeme, ſæviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem, ac perpetuum traxit, vexatuſque per omne iter, lectica plurimum vehebatur*. Hæc Lactantius, quo auctore ſcimus, eum proximo anno Kal. Januarii Ravennæ fuiſſe, cum nonum iniit Conſulatum.

JESU CHRISTI AN. 304. MARCELLINI PAPÆ 9. DIOCLETIANI IMP. 21. MAXIMIANI HERCULEI IMP. 19. COSS. DIOCLETIANO AUG. IX., ET MAXIMIANO AUG. VIII. OLYMP. 270. AN. 4. URBIS AN. 1057.

Diocletianus Ravennæ, Maximianus Romæ Conſules. *Lactant. de mort. Perſec. cap. 17.* *Pag. not. ad an. 304.*

1. Kalendis Januarii Diocletianus Ravennæ annum Conſul aperuit; Romæ vero Herculeus. De Diocletiano id Lactantius teſtatur, ut anno elapſo diximus. De Maximiano autem ignotus Auctor panegyrici Maximiano, & Conſtantino dicti, quo Maximianum una cum Diocletiano præcedenti anno triumphaſſe, labente vero Romæ octavum Conſulatum geſſiſſe, & Auguſtei Imperii vicennalia celebraſſe narrat: *Te primo ingreſſu tuo*, ad Maximianum ait, *tanta lætitia, tanta frequentia populus excepit, ut, cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſua vix ad portas Urbis admit-*

Digitized by Google

admitteret. Te rurſus vigeſimo anno Imperatorem, octavo Conſulem, ita ipſa amplexu quodam ſuo Romæ voluit detinere, ut videretur augurari jam, & timere, quod factum eſt, nempe Imperii abdicationem, anno ſequenti peractam, ut videbimus.

JESU CHR. AN. 304.

2. Diocletianus interea, *ſæviente frigore, & imbribus verberatus*, ait Lactantius, *morbum levem, ac perpetuum traxit, & æſtate tranſacta Ravennæ, per circuitum Ripæ Strigæ* (ideſt Iſtricæ, unde Dacia Ripenſis) *Nicomediam perrexit, morbo jam gravi inſurgente*: per Illyricum ſcilicet, Pannoniam, Daciam, Byzantium, indeque trajecto Boſphoro Nicomediam; quo ut pervenit, *utcumque ſe morbo premi videret, prolatus eſt tamen, ut Circum, quem fecerat, dedicaret, anno poſt decennalia repleto, deinde ita languore oppreſſus, ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec idibus Decembribus luctus repente in palatio, mæſtitia, & lacrymæ, Judicum trepidatio, & ſilentium. Tota civitate jam non modo mortuum, ſed etiam ſepultum dicebant; cum repente mane poſtridie pervagari fama, quod viveret, domeſticorum, & Judicum vultus alacritate mutari*. Nec defuerunt, qui ſuſpicarentur, celari mortem ejus, donec Cæſar veniret, ne quid forte a militibus novaretur. Kalendis tamen Martii in publicum prodiit vix agnoſcendus, cum toto fere anno ægrotaſſet; corpore tamen aliquantiſper recreatus mente infirmior evaſit, ac demens factus eſt, ita ut certis horis inſaniret. Lactantio conſentit Conſtantinus Imperator teſtis oculatus: *Diocletianus poſt cruentam perſecutionis ſævitiam, ſuametipſa ſententia damnatus, ob vitium inſaniæ, vili quodam clauſus domicilio pœnas dedit. Quid igitur illi profuit, bellum Deo noſtro intuliſſe, ut ſcilicet fulminis ictum aſſidue metuens, reliquam deinceps vitam exigeret? Teſtatur hæc urbs Nicomedia; nec ſilent hi, qui rem oculis viderunt, quorum ex numero etiam ipſe ſum.*

Diocletianus in lethalem morbum incidit.

Lactant. ut ſupra.

De Ripa Striga extat Dodwelli Diſſertatio ad lib. de mort. perſecut: apud Bauldrium Edit. Ultrajecti. an. 1692.

Apud Euſeb. Conſtantin. orat. ad Sanctorum cœtum cap. 25.

3. Anno perſecutionis Diocletianeæ ſecundo, ideſt labenti, Marcellinus Papa cum ſediſſet annos octo, menſes tres, dies viginti quinque obiit, quem poſt annos novem, ultimo incompleto, hoc anno obiiſſe tradit Euſebius, & cum eo Bucherianus, ceterique Romanorum Pontificum Catalogi: *Fuit a die pridie Kal. Junias Coſs. Diocletiano VI., & Conſtantio II.*, ſeu die 3. Junii anni 269. *uſque in Conſulatum Diocletiani nonum, & Maximiani octavum*, ideſt, uſque ad diem 24. Octobris labentis anni.

Marcellini Papæ obitus.

Coutan. pag. 310.

Euſeb. Chron. apud Hieron. tom. 8.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 304.

An Marcellinus PP. martyrio obierit.

Baron. ann. 304. 24. *Martyr. Rom.* 26. *April.* *Pag. not.* 11. *an.* 304. *Baſnag. an.* 296. 8. *Coutan. ut ſupra.* *Euſeb. lib.* 7. 32. *Theodor. hiſt. lib.* 1. 3.

4. Quo mortis genere Marcellinus Papa obierit, martyrio ne, an infirmitate, in controverſiam vertitur; quem capite truncatum martyrio obiiſſe Eccleſiaſticæ tabulæ teſtantur, ait Baronius. Hinc a Martyrologio Romano, & Auctore Pontificalis Martyris titulo exornatur. Eruditorum tamen plurimi Confeſſoribus eum inſcribendum cenſent; quem in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum, non vero Martyrum inſeruit Auctor Bucheriani Catalogi, his verbis: *Decimo Kal. Febr. Marcellini in Priſcilla.* Euſebius vero, qui Marcellini tempore perſecutionem fuiſſe adnotat, de ejuſdem martyrio ne verbum quidem addit: Theodoritus etiam eumdem perſecutionis tempore inclaruiſſe tradit, Martyrem fuiſſe ſilet. Cum tamen perſecutionis tempore pro fide Chriſti multa ſit paſſus, teſte Theodorito, non immerito Martyribus accenſetur, etſi forſitan martyrio vitam non finierit: quod & aliis pluribus accidiſſe jam ſupra indicavimus. Marcellini nomine duæ circumferuntur Iſidorianæ epiſtolæ, ſuo auctori reſtitutæ, ac cenſura notatæ a Dodwello, præcipue in libro, cui titulus *Iſidorus vapulans*. Poſt ejus autem obitum per tres annos, menſes tres, dies vigintiquinque Romana vacavit Sedes, ut in Bucherii, & Damaſi Catalogo legendum eſt, loco annorum VII., menſium trium, ut & ordinatio Marcelli ſucceſſoris indicat; hic enim ordinatus dicitur Maximiano Herculeo X. & Galerio Maximiano VII., qui Conſules in Oriente fuerunt anno 308., quo quidem Romæ, & in Occidente Maxentius Auguſtus, & Romulus ejus filius Conſules fuerunt.

Marcellinus Presbyter, & Petrus Exorciſta Martyres Romani.

Damaſ. oper. edit. Merenda carm. 12.

5. Marcellino Pontifici cognominem Marcellinum presbyterum jungimus, qui unacum Petro Exorciſta in Diocletiani perſecutione Romæ martyrium ſubiit, quorum paſſionem Damaſus Papa his verſibus illuſtravit:

Marcelline tuos, pariter Petre noſce triumphos,
Percuſſor retulit Damaſo mihi, cum puer eſſem
Hoc ſibi carnificem rabidum mandata dediſſe,
Sentibus in mediis veſtra ut tunc colla ſecarent,
Nec tumulum veſtrum quiſquam cognoſcere poſſet.

De Martyribus Palæſtinis, de Procopio, Alphæo, Zachæo & Romano.

6. Palæſtinenſium Martyrum confeſſiones, certamina, martyria ſingulari libro Euſebius expoſuerat, atque ea, quæ ſuiſmet oculis viderat, collegerat. Is tamen deperditus liber eſt,

eſt, aut adhuc latet. Quare iis, quæ ſummatim de Martyribus Palæſtinæ hiſtoriæ ſuæ inſeruit Euſebius, contenti erimus. Horum primus fuit Procopius, qui antequam carceris periculum feciſſet, ſtatim a primo, quod ajunt, limine ad Præſidis tribunal adductus, & ſacrificare Diis juſſus, unum ſe Deum ſcire reſpondit, cui ſacrificandum eſſet eo ritu, quem ipſe ſtatuiſſet; cum vero quatuor Imperatoribus ſacrificare juberetur, ex Homerico carmine hanc protulit ſententiam: *Haud bona res Domini plures, herus unicus eſto ... Rex unus.* Quare apud Cæſaream Palæſtinæ capite truncatus eſt octavo idus Junii, quarta feria. Procopii paſſionem fuſiori ſtylo narrat auctor Latinus, qui, Valeſio, & Ruinartio teſtibus, idem Euſebius cenſetur, cujus fortaſſe Græcum textum Librarii decurtarunt. Acta quidem latina hæc addunt, eum ſcilicet a primæva ætate caſtitati & morum ſanctimoniæ adeo ſtuduiſſe, & corpus ſuum jejuniis ita extenuaſſe, ut pene mortuus videretur; nam pane, & aqua utens, biduum, triduumque, interdum etiam poſt ſeptimum diem ſumebat cibum. De ejuſdem autem origine, & officio hæc adnotat: *Genere quidem Ælienſis,* (ideſt patria Hieroſolymitanus), *converſatione, vel habitatione Scythopolitanus erat, ibi Eccleſiæ tria miniſteria præbebat*, Lectoris ſcilicet, Exorciſtæ, & Interpretis, qui ſacras Scripturas, quæ græce in Eccleſia legebantur, Syro ſermone Græcæ linguæ ignaris exponebat. Fuſiora adhuc Procopii Acta, aliorumque, in ſua Orientalium, & Occidentalium Martyrum collectione inſeruit eruditiſſimus Stephanus Evodius Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ, ut in præfatione ad tom. 2. videri poteſt. Nos brevitatis propoſitum tenentes, his contenti erimus, quæ Euſebius in hiſtoria refert, nec integra ut plurimum Acta exſcribimus, ne multitudine, aut eorum prolixitate fatigemus lectores.

Jesu Chr. an. 304.

Euſeb. lib. 8. cap. 1. 2.

Valeſ. in Euſeb. loc. cit.

Ruinart. pag. 372.

7. *Poſt hunc in eadem urbe Cæſarienſi quamplurimi Eccleſiarum illius provinciæ Antiſtites graviſſima ſupplicia alacri animo perpeſſi, illuſtrium certaminum ſpectaculum exhibuerunt*, ait Euſebius. At alii non pauci præ ignavia primo ſtatim impetu conciderunt: ceteri varia tormentorum genera experti ſunt, flagris ſcilicet conciſi: alii intolerabilibus tormentis, & ungulis excruciati, & vinculis oppreſſi; adeout quorumdam manus, laxata nervorum compage, reſolutæ ſint. Nonnullorum vero cum Gentiles manus apprehendiſſent, & ad

De aliis, qui Cæſareæ Palæſtinæ tormenta ſuſtinuerunt.

Euſeb. ut ſup. cap. 1.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 304.

ad aram adduxiſſent, quaſi ſacrificaſſent, dimmiſſi ſunt. Alii cum ne ſummis quidem digitis thus attigiſſent, nonnullis tantum affirmantibus eos ſacrificaſſe, ſilentio abſcedebant. Semivivus aliquis correptus, ac ſublimis elatus, projiciebatur ut mortuus, & vinculis abſolvebatur, computatus inter eos, qui ſacrificaverant. Alius vociferans, atque conteſtans ſe his, quæ jubebantur, minime aſſentiri, pugnis ore contuſo ſilere, ac abire jubebatur, tametſi haud quaquam ſacrificaſſet. Ex iſtis tamen ſoli Alphæus, & Zacchæus martyrii coronam adepti ſunt, qui poſt flagella, & ungulas, poſt acerbiſſima vincula, & dolores ſuperatos, poſt alia omnis generis tormenta, cum viginti quatuor horarum ſpatio pedes in nervo ad quatuor uſque puncta diſtentos habuiſſent, unum Deum, ac Dominum Jeſum Chriſtum confeſſi, eodem, quo Martyr Procopius, ſupplicii genere, *abſciſſis capitibus*, *interiere die* XVII. *menſis Dii*, *quod eſt apud Ramanos ante diem* XV. *Kal. Decembris*, ait Euſebius.

De Romano martyre, ejuſque paſſione. *Euſeb. lib.* 8. 2.

8. Præ ceteris notatu digna ſunt, quæ circa Romanum Martyrem eodem die Antiochiæ acciderunt. Hic enim cum Palæſtinus genere eſſet, & Cæſarienſis Eccleſiæ Diaconus, & Exorciſta; eo tempore, quo Eccleſiæ deſtruebantur, Antiochiam ingreſſus, cum innumerabiles viros ſimul, ac mulieres una cum parvulis templa deorum confeſtim adeuntes, & ſacrificantes vidiſſet, id minime tolerandum ratus, zelo divini cultus incenſus, propius acceſſit, & contenta voce inclamans, objurgare eos cœpit. Quare ob tam illuſtrem fidei confeſſionem illico comprehenſus, ac Imperatori oblatus, eo quod in chriſtiana Religione tuenda ſumma dicendi libertate uſus eſſet, lingua primum mulctatus eſt, contruſus deinde in carcere, ac diutiſſime maceratus, *tandem cum Imperatoris vicennalia jam adeſſent, & ex ſolemni more univerſis, qui in cuſtodia tenebantur, indulgentia publice per præconem annuntiata eſſet, ſolus ad quatuor uſque puncta diſtentos habens pedes, in ipſo jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio, ſicut optaverat, exornatus eſt. Hæc primo perſecutionis anno*, ideſt ſuperiore, *geſta ſunt*, cum adverſus ſolos fere Eccleſiarum Præſides Perſecutorum immanitas deſæviret. Nonnullos tamen inferioris ordinis Clericos Epiſcopis ſociatos fuiſſe ſcimus, cujuſmodi fuerunt Procopius Lector, & Romanus. Romani autem Martyris paſſionem fuſiori ſtylo narrat idem Euſebius in Tractatu, ſeu Sermone IV.

de

Digitized by Google

de Reſurrectione, a Sirmondo edito, quo auctore ſcimus, poſt linguæ abſciſſionem expeditius, quam antea loquutum fuiſſe, idemque miraculum oratione ſua celebrat Joannes Chryſoſtomus. Sed & Prudentius libro de Corona Martyrum Romanum commemorat, ac laudibus exornat, cui infantem Aſclepiadem addit, qui Romani exemplo, & inſtinctu, rogatus a Judice, num Chriſtus, an Gentilium Dii colendi eſſent, ſolum Chriſtum una cum Patre adorandum eſſe reſpondit; ob eamque confeſſionem hortante, & exultante matre, martyrio eſt coronatus, ut videre eſt apud Ruinartium, & Tillemontium. Librum, ſeu ſermonem de Reſurrectione, quo de Romano hæc narrantur, Euſebio quidem abjudicat Baſnagius; immerito tamen, ut Sirmondus, Ruinartius, Tillemontius, Dupinius, aliique probant, quorum judicio, ne plura addamus, libentiſſime ſubſcribimus.

Orat. 48.

Ruinart. pag. 179. *Tillem. to.* 5. *Baſnag. an.* 303. *num.* 13.

9. Secundo autem perſecutionis anno, ideſt hoc anno: *Cum adverſus nos perſecutionis furor vehementius incaluiſſet, Urbano tunc provinciam regente, primum Imperatoris miſſæ ſunt litteræ, quibus generali præcepto jubebatur, ut omnes ubique locorum, ac gentium, publice Idolis ſacrificia, ac libationes offerrent. Quo tempore Timotheus apud Gazam urbem Palæſtinæ innumera perpeſſus tormenta, tandem tenui, ac lento igne conſumptus, cum ſinceræ erga Deum pietatis luculentiſſimum ſpecimen edidiſſet, conſtanti in omnibus tolerantia coronam martyrii reportavit. Agapius quoque, & Thecla, priſcæ illi cognominis, una cum ſupradicto Timotheo, cum ingentem animi conſtantiam oſtendiſſent, damnati ſunt ad beſtias.* Quæ vero poſtea ſubſecuta ſunt, omnem dicendi vim ſuperant:

Perſecutio Chriſtianos quoſcumque complectitur, ſæviorque fit. *Euſeb. lib.* 7. 31.

De Timotheo, Agapio, & Thecla.

10. Nam inter cetera adoleſcentes numero ſex, quorum primus natione Ponticus, Timolaus vocabatur; alter Tripoli Phoenices urbe oriundus Dionyſius; tertius Dioſpolitanæ Eccleſiæ Subdiaconus Romulus; poſt hos Ægyptii duo Pauſis, & Alexander; poſtremo alter priori illi cognominis, Alexander Gaza oriundus: hi, inquam, omnes, colligatis prius manibus, ut ſe ad ſubeundum martyrium promptos, ac paratos oſtenderent, contento curſu Urbanum, qui tunc forte ad amphitheatrum proficiſcebatur, adierunt, ſe Chriſtianos eſſe confitentes, palamque omnibus facientes, ſe adverſus cuncta diſcrimina confirmatos eſſe. Itaque cum & Præſidem ipſum, & eos, qui adſtabant, non mediocri admira-

Sex Chriſtiani Urbano ultro ſe offerentes martyrio coronati ſunt

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 304.

miratione perculiſſent, cuſtodiæ mancipati ſunt. Paucis autem poſt diebus, cum alii duo ipſis accenſiti eſſent, quorum alter Agapius nomine jamdudum ante illos varia tormenta perpeſſus multis confeſſionibus inclaruerat; alter nomine Dionyſius, qui res ad corporis uſum neceſſarias iis ſubminiſtrabat; omnes uno, eodemque die in urbe Cæſarea, præciſis capitibus, interierunt *die vigeſima quarta menſis Dyſtri, hoc eſt, ante diem nonum Kal. Aprilis*, ait Euſebius.

Sacri Codices, & Vaſa ſacra Gentilibus tradita.

Lactant. de mort. perſec. cap. 16.

11. Cum autem non in ſolos Eccleſiæ Antiſtites, aut Clericos, ſed & in quoslibet cujuſcumque ætatis, generis, aut ſexus Chriſtianos perſecutio efferbuiſſet, &, ut ait Lactantius, *univerſa vexaretur Terra, & , præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſævirent &c.* cum in Africa Imperatorum vulgata fuiſſent edicta, quibus tum ad ſacrificia, tum ad tradendos ſacros Codices, Vaſaque Eccleſiæ cogerentur Epiſcopi, Clerici, ceterique Fideles; Munatius Felix Cirthenſium in Numidia Procurator, vaſa, inſtrumentaque Eccleſiæ, & Sacros libros Paulum Epiſcopum, & Lectores exhibere coegit, ut ex Actis Proconſularibus Auguſtinus his verbis narrat: *Diocletiano octies, & Maximiano ſepties*, ideſt anno ſuperiore, *decimo quarto Kal. Junias ex Actis Munatii Felicis Curatoris Coloniæ Cirthenſium. Cum ventum eſſet ad domum, in qua Chriſtiani conveniebant, Felix Curator Paulo Epiſcopo dixit: Proferte Scripturas legis, & ſi quid aliud hic habetis, ut præceptum eſt, ut juſſioni parere poſſitis. Paulus Epiſcopus dixit, Scripturas lectores habent, ſed nos, quod hic habemus, damus. Felix Curator Paulo Epiſcopo dixit: Oſtende lectores, aut mitte illos. Paulus Epiſcopus dixit: Omnes cognoſcitis. Felix Curator Reipublicæ dixit: Non eos novimus. Paulus Epiſcopus dixit: Novit eos officium publicum, ideſt, Edeſius, & Junius Exceptores. Felix Curator Reipublicæ dixit: manente ratione de lectoribus, quos demonſtrabit Officium, vos, quod habetis, date. Sedente Paulo Epiſcopo, Montano, & Victore . . . . Atolio, & Memorio Presbyteris, adſtante Marte, cum Elio Diacono, Marcudio, Catulino, Silvano, & Caroſo Subdiacono, Januario, Meraclo, Fructuoſo, Miggine, Saturnino, Victore, & cæteris foſſoribus contra ſcribente Victore Aufidii in breve ſic, calices duo aurei; item Calices ſex argentei, urceola ſex &c.*; lectores quoque Codices ſacros tradidere. Alii vero, ut narrat Optatus, corpus

Auguſtin. contra Creſc. lib. 3. 29.

Optat. adverſus Parmen. lib. 1.

pus ſuum potius, quam ſacras Scripturas, aut Eccleſiæ vaſa ignibus tradere elegerunt. Ex Epiſcopis, qui inſtrumenta divinæ legis tradidere, Donatus Maſculitanus, Victor Ruſſiccadenſis, Marinus ab Aquis Tibitanis, Donatus Calamenſis, & homicida Purpurius Limatenſis numerantur. Purpurius vero *interrogatus de filiis ſororis ſuæ, quod eos in carcere Milei necaſſe diceretur, confeſſus eſt, dicens: Et occidi, & occido non eos ſolos, ſed & quicumque contra me fecerit.*

Felicis Epiſcopi martyrium.

12. Inter Epiſcopos vero, qui Fidei confeſſione, & martyrio Africanam Eccleſiam eo tempore illuſtrarunt, Felix Tibizacenus, ſeu Tibiurenſis Epiſcopus recenſetur, qui ſeipſum perſecutoribus, ne ſacros Codices exhiberet, tradidit: cujus Acta ſincera poſt Baronium emendatiora vulgarunt Balutius, Dacherius, & Ruinartius; ſignata quidem *Diocletiano octies, & Maximiano ſepties Conſulibus Auguſtis*, ideſt anno elapſo, quo poſt Diocletiani edicta in vincula conjectus eſt, ad labentem tamen reſervatus, ut Acta teſtantur. Itaque cum vulgatum eſſet edictum Imperatorum, ut ſacri Codices traderentur: *Programma poſitum eſt in civitate Tibiurenſi die nonarum Juniarium. Tunc Magnilianus Curator juſſit ad ſe perduci ſeniores plebis. Eadem die Felix Epiſcopus Carthaginem fuerat profectus. Aprum vero Presbyterum ad ſe juſſit perduci, & Gyrum, & Vitalem Lectores. Quibus Magnilianus Curator dixit: Libros deificos habetis? Aper dixit: Habemus. Magnilianus Curator dixit: Date illos igni aduri. Tunc Aper: Epiſcopus noſter apud ſe illos habet. Magnilianus Curator dixit: Eritis ergo ſub Officio, donec Anulino Proconſuli rationem reddatis. Poſtera autem die Felix Epiſcopus venit Carthagine Tibiuram. Tunc Magnilianus Curator juſſit, Felicem Epiſcopum ad ſe perduci per Officialem, cui Magnilianus Curator dixit: Felix Epiſcope da libros, vel membranas quaſcumque habes. Felix Epiſcopus dixit: Habeo; ſed non do. Magnilianus Curator dixit: Prius eſt, quod Imperatores juſſerunt, quam quod tu loqueris; da libros, ut poſſint igni aduri. Felix Epiſcopus dixit: Melius eſt me igne aduri, quam Scripturas deificas; quia bonum eſt obedire Deo magis, quam hominibus. Magnilianus Curator dixit: Prius eſt, quod Imperatores juſſerunt, quam id, quod tu loqueris. Felix Epiſcopus dixit: Prius eſt præceptum Domini, quam hominum. Magnilianus dixit: Recogita tecum.*

Balut. tom. 2. Miſcell. Dacher. Spicileg. tom. 12. Ruinart. pag. 376.

JESU CHR. AN. 304. Felicis Epiſcopi iterata confeſſio.

13. Poſt triduum itaque ad Magnilianum Curatorem iterum ductus Felix, & interrogatus, cum in eadem ſententia perſtitiſſet, Vincentio Celſino Decurioni civitatis Tibiurenſium traditus eſt, ut eum ad Proconſulem duceret: quare octavo Kalendas Julias iu carcere detentus, die ſequenti ante lucem Proconſuli oblatus eſt, qui Felicem interrogavit: *Quare Scripturas ſupervacuas non reddis? Felix Epiſcopus dixit: Habeo, ſed non dabo. Tunc juſſit, eum alligatum in ima carceris mitti*. Poſt ſexdecim autem dies e carcere eductus, in vinculis hora noctis quarta, Anulino Proconſuli iterum ſiſtitur, cui dixit Anulinus: *Quare Scripturas ſupervacuas non reddis? Felix Epiſcopus reſpondit, non ſum eas daturus*: quapropter Anulinus ad Præfectum Prætorio illum mitti, ac majoribus vinculis ligari juſſit. Poſt dies vero novem Præfectus Prætorio ad Imperatores eum navigare coegit.

Felicis iter per Siciliam uſque Nolam, ubi Martyr occubuit.

14. Felix itaque catenis vinctus in nave impoſitus eſt, ac in capſa navis diebus quatuor fuit, volutatus ſub pedibus equorum, panem, & aquam non guſtans, ac jejunus in Portum pervenit, & in civitate Agrigento exceptus eſt a fratribus cum ſummo honore. Inde Catanam tranſiit, poſtea Meſſanam, & Taurominium, ubi navigaverunt in partes Lucaniæ, ac Venuſium deinde in Apulia perductus, Præfecto iterum exhibitus, ab eoque interrogatus, quare Scripturas Dominicas non daret, *reſpondit*: *Habeo quidem, ſed non do. Præfectus dixit: Felicem gladio interficite. Felix Epiſcopus dixit voce clara: Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare. Ductus itaque ad paſſionis locum (cum etiam ipſa Luna in ſanguinem converſa eſt) die tertio Kalendas Septembris, Felix Epiſcopus, elevans oculos in Cælum, clara voce dixit: Deus gratias tibi. Quinquaginta & ſex annos habeo in hoc ſæculo. Virginitatem cuſtodivi, Evangelia ſervavi, fidem, & veritatem prædicavi, Domine Deus Cæli, & Terræ Jeſu Chriſte, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum, cui eſt claritas, & magnificentia in ſæcula ſæculorum*.

De Criſpina Martyre. *Aug. enarr. in Pſalm.* 120. 13. *Pſalm.* 137. 3.

15. Africanam quoque Eccleſiam martyrio illuſtravit Criſpina, de qua Auguſtinus: *Sæviebant perſecutores in Criſpinam, cujus hodie natalitia celebramus. Hanc enim, Fratres, numquid eſt, qui in Africa ignoret? clariſſima enim fuit, nobilis genere, abundans divitiis, ſed hæc omnia ſiniſtra erant, ſub capite erant*. Et iterum: *Quomodo gaudebat Sancta iſta Cri-*

Criſpina, cujus hodie ſolemnitas celebratur; gaudebat, cum tenebatur, cum ad Judicem ducebatur, cum in carcerem mittebatur, cum ligata producebatur, cum in cataſta levabatur, cum audiebatur, cum damnabatur. Criſpinæ Acta Mabillonius edidit, quibus ſub Anulino Proconſule apud Coloniam Thebeſtinam anno 304. martyrium conſummaſſe patet. Actorum hæc ſumma eſt. Introducta a Commentarienſi ad Anulinum: *Præcepti ſacri jam cognoviſti ſententiam*, ad eam dixit Proconſul. Ipſa vero: *Quid præceptum ſit, neſcio*. Anulinus Proconſul reſpondit: *ut omnibus Diis noſtris pro ſalute Principum ſacrifices*. Negante Criſpina, ſe diis unquam ſacrificaturam, poſt varias interrogationes in eamdem rem, & reſponſiones, ad ignominiam eam decalvari juſſit: ſed in eodem conſilio perſiſtente, *Anulinus Proconſul de libello ſententiam legit: Criſpinam in ſuperſtitione perdurantem, quæ Diis noſtris ſacrificare noluit, gladio animadverti juſſit. Beata Criſpina reſpondit: Chriſto laudes ago, qui me de manibus tuis dignatus eſt liberare. Paſſa eſt apud Coloniam Thebeſtinam die nonarum Decembrium*.

Jesu Chr. an. 304.

Mabill. Analect. tom. 3. Ruinart. pag. 494.

16. Sanctorum Martyrum Dativi, Saturnini, & Sociorum Acta, etſi ab Auctore Donatiſta collecta videantur, ab iiſque anno 411. in Collatione Carthaginenſi producta; nihilominus a Catholicis uti genuina recepta fuerunt, eorumque auctoritate probarunt, perſecutionis tempore Concilium Epiſcoporum duodecim congregatum fuiſſe, uti refert Auguſtinus in breviculo Collationis diei 3. num. 17. Annum, quo paſſi ſunt Martyres, ex Auguſtino ſcimus, dum ait: *Geſta Martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis, Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies, & Maximiano octies*, ideſt, hoc anno. Ne vero in deſcribendis Actis Lectores detineamus, hæc adnotaſſe ſufficiet. Cum Diabolus temporibus Diocletiani, & Maximiani bellum Chriſtianis indixiſſet, ac divinæ Scripturæ ad comburendum peterentur, Baſilicæ ſubverterentur, ac undique ad certamina fortiſſimi pugiles properarent, accidit, ut in civitate Abitinenſi in domo Octavi Felicis Chriſtianorum aliqui Dominicum ex more celebrarent; eaque de cauſa a Stationario milite comprehenſi ſunt, Saturninus ſcilicet, cum filiis quatuor, ideſt Saturnino juniore, & Felice Lectoribus, Maria ſanctimoniali, & Hilarione infante. Unaque cum iis Dativus, qui & Senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus,

Acta SS. Dativi, Saturnini, & Sociorum.

Balut. tom. 2. Miſcell. Ruinart. pag. 405.

JESU CHR. AN.304.

gatus, Januarius, Caſſianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Reſtituta, Prima Eva, Rogatianus, Givalius, Rogatus alter, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Dantus, Felix, Margarita, Major, Honorata, Regiola, Victorinus, Peluſius, Fauſtus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, Secunda, item Matrona, Januaria: qui omnes ad forum perducti, ac Chriſti fidem confeſſi, in vincula conjecti ſunt, atque ad Anulinum Proconſulem Carthaginem miſſi; cui cum oblati fuiſſent, Dativus a Proconſule interrogatus, cujus conditionis eſſet, & utrum Collectam feciſſet, ſe & Chriſtianum, & in collecta fuiſſe reſpondit: *Statimque jubetur Officium eumdem in equuleum ſublevare, extenſumque ungulis præcidi. Sed cum carnifices juſſa crudelia atroci velocitate complerent, ſtarentque ſævientes in dictis, & denudatis ad vulnera Martyris lateribus erectis ungulis imminerent, ſubito ſeſe per medium Thelica fortiſſimus Martyr tormentis objecit, & clamavit: Chriſtiani ſumus nos; nos, inquit, collegimus. Statimque Proconſulis furor exarſit, & ingemiſcens, ſpirituali gladio graviter vulneratus, Martyrem Chriſti graviſſimis ictibus tutudit, in equuleum ſuſpenſum extendit, ungulis perſtridentibus laniavit*. Quo tempore Thelica invictus Dei miles gratias quam maximas reddebat, ac interrogatus a Proconſule, quis Collectæ auctor fuerit, reſpondit: *Saturninus, & omnes*; ac cum diu, direque torqueretur, atque a Proconſule dictum eſſet, *oportebat juſſionem Imperatorum, & Cæſarum cuſtodire*, libera voce dixit: *Non curo, niſi legem Dei, quam didici, ipſam cuſtodio, pro ipſa morior, in ipſa conſumor, præter quam non eſt alia*.

Dativi, & Thelicæ confeſſio.

17. Dativus interea, qui Thelicæ fortiſſimum prælium de proximo ſpectaverat, cum ſe Chriſtianum eſſe, & Collectam feciſſe teſtaretur, emerſit ſubito Fortunatianus ſanctiſſimæ martyris Victoriæ frater, vir togatus, ſed a Religionis chriſtianæ cultu alienus; ac ſuſpenſum in equuleo Martyrem his fere verbis apud Proconſulem arguebat: *Hic eſt, o Domine, qui per abſentiam patris noſtri, nobis hic ſtudentibus, ſororem noſtram Victoriam ſeducens, hinc de ſplendidiſſima Carthaginis civitate, una cum Secunda, & Reſtituta, ad Abitinenſem Coloniam ſecum uſque perduxit; quique nunquam domum noſtram ingreſſus eſt, niſi tunc quando quibuſdam perſuaſionibus puellares animos illiciebat*. At Victoria non tulit, Collegam, & Com-

Dativi certamen, & confeſſio.

Digitized by Google

& Commartyrem ſuum falſo crimine accuſari ; ſtatimque Chriſtiana libertate prorumpens : *Nullius*, inquit, *perſuaſione profeſſa ſum, nec cum ipſo ad Abitinas veni. Hoc poſſum per cives probare. Omnia mea ſponte, atque voluntate perfeci. Nam & in Collecta fui, & Dominicum cum Fratribus celebravi, quia Chriſtiana ſum. Tunc impudens Advocatus maledicta exaggerabat in Martyrem. Et contra Martyr glorioſus de equuleo cuncta vera reſponſione ſolvebat*. Quare Anulinus ardeſcens ira, ungulis Martyrem torqueri juſſit. At inter atrociora ſupplicia immobilis Chriſti Confeſſor perſeverabat, ac dignitatis ſuæ memor Dativus preces Domino ſub ipſo carnifice fundebat : *O Chriſte Domine, non confundar* : quibus dictis, beatiſſimus Martyr, quod a Domino popoſcerat, continuo obtinuit. Nam Proconſulis juſſu a tortura ſtatim ceſſavere carnifices. Interrogatus deinde, utrum in Collecta fuerit, ac confeſſus, ſe fuiſſe, & Dominicum cum Fratribus congrua devotione celebraſſe, in ſeſe Proconſulis furorem rurſus acrius excitavit, ac iterum ſulcantibus ungulis laniatus eſt. At Martyr inter ſæviſſimos cruciatus priſtinam ſuam repetens orationem : *Rogo*, ait, *Chriſte, non confundar. Quid feci? Saturninus eſt Presbyter noſter*. Continuo ipſe Saturninus ad certamen vocatus eſt. JESU CHR. AN.304.

18. Saturnino itaque dixit Proconſul : *Tu contra juſſionem Imperatorum, & Cæſarum feciſti, ut hos omnes colligeres? Reſpondit Presbyter Saturninus : Domini ſpiritu ſuggerente, ſecuri Dominicum celebravimus. Proconſul ait : Quare? Reſpondit : quia non poteſt intermitti Dominicum. Qui mox ut hæc dixit, contra Dativum ſtatim jubetur aptari. Spectabat interea Dativus lanienam corporis ſui, potius quam dolebat; & ad Dominum precabatur, dicens : Subveni, rogo, Chriſte, habe pietatem : ſerva animam meam, cuſtodi ſpiritum meum, ut non confundar : rogo, Chriſte, da ſufferentiam. Cui cum a Proconſule diceretur : ex hac ſplendidiſſima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra præceptum Imperatorum, & Cæſarum facere ; fortius, atque conſtantius acclamabat : Chriſtianus ſum. Qua voce Diabolus ſuperatus : Parce*, dixit Proconſul, atque cum aliis in carcerem trudens, paſſioni eum quoque reſervavit. Interea, cum Saturninus Presbyter in equuleo adhuc penderet, eumque Proconſul interrogaſſet, num ipſe ceteros ad Collectam adunaſſet :

Saturninus Collectam ſe celebraſſe confeſſus torquetur.

JESU CHR. AN. 304.

naſſet : *Etiam ego*, ait Saturninus , *præſens in Collecta fui*; Emeritus Lector ad certamen exſiliens : *Ego ſum Auctor*, inquit , *in cujus domo Collectæ factæ ſunt* . Proconſul nihilominus , ad Saturninum iterum : *Quare contra præceptum faciebas ?* cui Saturninus : *Intermitti Dominicum non poteſt* : *Lex ſic jubet* . Proconſul vero non debuiſti rem facere contra præceptum Imperatorum . Cumque in ſenile corpus Presbyteri tortores ſævirent, Saturninus Chriſtum precabatur , ut ſui miſereretur , ac decollari juberet . Quare Proconſul edita voce *Parce*, cum a tortura lictores ceſſaſſent, Saturninum exoptato deſtinavit ſupplicio .

Emeriti confeſſio.

19. Poſt Saturninum , Emeritus Proconſuli oblatus eſt , ad quem : *In tua* , ait Anulinus , *domo Collectæ factæ ſunt contra præcepta Imperatorum ? Emeritus vero , in domo mea* , inquit , *egimus Dominicum* . Sed iterum : quare permittebas illos ingredi ? *Fratres mei ſunt* , *& non poteram illos prohibere* , reſpondit Emeritus , *quoniam ſine Dominico non poſſumus* . Statimque in equuleo ſuſpenſus , extenſuſque vexari jubetur. Cumque multa in eamdem ſententiam dixiſſet , ad eum Proconſul : *Habes Scripturas aliquas in Domo tua ? Habeo* , reſpondit Emeritus , *ſed in corde meo* . Et Proconſul : *in Domo tua* , inquit , *habes , an non ?* At Martyr : *in corde meo illas habeo* . Cumque ſemel , & iterum eadem reſpondiſſet , Proconſul tortoribus , *Parce* , inquit , addiditque : *Pro meritis veſtris omnes , ſecundum confeſſionem veſtram , pœnas meritas perſolvetis* .

Felicis, aliorumque confeſſio.

20. Interea , cum Perſecutorum rabies Martyrum ſanguine ſaginata langueſceret , ad Felicem , alioſque Proconſul ait : *Spero , vos hanc partem potius eligere , qua poſſitis vivere , ut juſſiones conſervetis* ; at una voce Confeſſores: *Chriſtiani ſumus . Non poſſumus niſi Domini Legem ſanctam uſque ad effuſionem ſanguinis cuſtodire . Non quæro , ait Proconſul , utrum Chriſtianus ſis , ſed an Collectam feceris , vel Scripturas aliquas habeas* . Iis vero reſpondentibus : *Collectam glorioſiſſime celebravimus , ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus ſemper* ; tunc Anulinus in Felicem graviter commotus , eum fuſtibus tandiu cædi juſſit , ut in tormentis animam exalaret : cui Felix alter ſociatus eſt , qui eadem fuſtium illiſione animam inter tormenta emittens , martyrii palmam promeruit .

Felix in tormentis : alter Felix in carcere moritur.

Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus junior , Felix interrogantur, & torquentur.

21. His in confeſſione ſucceſſit Ampelius , qui Proconſuli

ſuli interroganti, utrum Collectam frequentaſſet, alacri voce reſpondit: *Cum Fratribus feci Collectam, Dominicum celebravi, & Scripturas Dominicas habeo mecum, ſed in corde meo conſcriptas*: eaque confeſſione edita, cervicibus contuſus, in carcerem conjectus eſt. Hunc ſequutus eſt Rogatianus, qui confeſſus Domini nomen, ſupradictis Fratribus conjungi meruit. Quintus vero vocatus, nomen Domini egregie magnificeque confeſſus, cæſus fuſtibus in carcerem truditur, condigno martyrio reſervatus. Hunc ſequebatur Maximianus, in confeſſione ſocius. Poſt quem Junior Felix, cum ſimiliter etiam ipſe fuſtibus cæderetur: *Ego*, inquit, *devota mente celebravi Dominicum, Collectam cum Fratribus feci, quia Chriſtianus ſum. Qua confeſſione ſupradictis fratribus meruit etiam ipſe ſociari*. Jesu Chr. an. 304.

22. Eamdem cum ceteris animi conſtantiam præſetulit Saturninus junior, filius Saturnini Presbyteri, quem cum Proconſul interrogaſſet, num Collectæ interfuiſſet, reſpondit: *Chriſtianus ſum*. *Non a te quæro hoc*, ait Proconſul, *ſed utrum egeris Dominicum? Cui reſpondit Saturninus: Egi Dominicum, quia Salvator eſt Chriſtus; quo nomine Salvatoris audito, Anulinus exarſit, & in filium patrium inſtaurat equuleum*; *extenſoque Saturnino*: *quid inquit*, *Saturnine*, *profiteris? Vides*, *ubi poſitus ſis? Habes Scripturas aliquas? Reſpondit*: *Chriſtianus ſum*. Proconſul vero ait: *Ego quæro, an conveneris*, *& Scripturas habeas? Reſpondit*: *Chriſtianus ſum*. Tunc Proconſul poſt aliqua: *Quoniam permanes*, *inquit*, *in obſtinatione tua*, *etiam tormentis oportet te affici*: *dic*, *an aliquas Scripturas habeas*; *& ad officium dixit*: *Vexa illum*; *cumque diriſſime torqueretur*, *fortiſſimis vocibus exclamabat*: *Scripturas Dominicas habeo*, *ſed in corde meo*. *Rogo*, *Chriſte*, *da ſufferentiam*, *ſpes eſt in te*. Anulinus vero: *Quare contra præceptum faciebas? Quia Chriſtianus ſum*, ſubdidit Saturninus. Quo audito: *Parce*, ad lictores ait Proconſul, *& ſtatim ceſſante tormento*, *in patrium conſortium relegatur*. Junior Saturninus fidem libere confitetur, direque torquetur.

23. Cumque in noctem jam dies vergeret, ad reliquos Proconſul: *Vidiſtis*, inquit, *eos*, *qui perſeveraverunt*, *quid ſuſtinuerunt*, *vel quid in ſua confeſſione perſtantes*, *adhuc habeant ſuſtinere? Et ideo qui vult veſtrum ad indulgentiam pervenire*, *ut ſalvus eſſe poſſit*, *profiteatur*. Confeſſores vero Sancto Spiritu ferventes, fortius, clariuſque uno ore dixerunt: *Chriſtiani ſumus*. Qua voce perterritus Anulinus, atque concuſ- Victoriæ Virginis, Saturnini junioris, aliorumque confeſſio, & martyrium.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 304.

cuſſus, reliquos etiam martyrio deſtinavit. Præ ceteris Victoria virgo celebratur, quæ cum virginitatem Deo voviſſet, eamque invitam parentes viro cuidam deſpondiſſent, ipſa nuptiarum nocte, e domo paterna clam ſeſe per præceps puella dimiſit, illuſoque ſimul cum parentibus ſponſo, media pene de ipſa nuptiarum frequentia proſiliens, ad ædem pudicitiæ, ideſt ad Eccleſiam, intacta confugit; ibique in perpetua virginitate perſeveravit, uſquedum virginitatis palmam una cum martyrii corona promeruit. Unus interea Hilarianus adhuc ſupererat, filius Presbyteri Saturnini, qui ætatem ingenti devotione vincens, interrogatus, an cum patre Collectam celebraſſet, libera voce reſpondit: *Chriſtianus ſum, & mea ſponte, atque voluntate cum patre meo, & cum fratribus feci Collectam*. Proconſul vero ad eum, tanquam ad puerum: *amputabo*, inquit, *& comam tibi, & naſum, & auriculas; & ſic te dimitto*. At Hilarianus: *Quidquid*, ait, *facere volueris, fac, quia Chriſtianus ſum*. In carcerem itaque recipi juſſus, ingenti cum gaudio, Deo gratias egit, ut referunt Acta. Quem vero exitum hæc habuerint, Acta non addunt: in vinculis tamen fame necatos fuiſſe Martyrologia adnotant. His porro nonnulla, nec pauca a collectore Donatiſta addita ſunt, quæ cum ad hiſtoriam Donatiſtarum pertineant, hoc loco prætermimus, videnda ſi lubet apud Balutium, & Baronium, qui ea etiam confutat.

Martyrol. Rom. 3. Idus Februar.
Balut. tom. 2. Miſcell.
Baron. ann. 303. num. 60.

Theodoti Ancyrani Acta, deque eorumdem Auctore.
Boll. tom. 4. Maii die 18.
Tillem. to. 5. pag. 660.
Ruinart. Act. Martyr. pag. 353.
Baſnag. 304. 3.

24. Theodoti Ancyrani Acta, a Leone Allatio ex Bibliotheca Vaticana eruta, edidit Papebrochius. Horum paſſionem ad initia Diocletianeæ perſecutionis anno 303., vel 304. alligandam eſſe, Ruinartius cenſet, atque inter ſincera, & ſelecta Martyrum Acta inſeruit, utpote a Nilo oculato teſte deſcripta. Ea tamen Baſnagius, conjecturis aliquot innixus, minus ſincera eſſe probare nititur, & a Græculo Monacho poſt Juliani Imperatoris ætatem conficta, ac vulgata contendit; quominus tamen ejuſdem opinioni ſubſcribamus, tum Acta ipſa, cum eruditorum virorum auctoritas prohibet. Ne tamen longiores, quam par eſt, ſimus, ea ſtrictim complectemur.

Theodotus Cauponariam artem exercens, Fideles in multis adjuvat.

25. Cum igitur Theotecnus ſæviſſimus Chriſtianorum hoſtis, & perſecutor Ancyræ Præfecturam gereret, Theodotus cauponariam exercebat artem, *non lucri cauſa, ſed ut caupona ſua fieret portus ſalutis perſecutionem patientibus*, quos omni

omni pietatis officio proſequebatur, Chriſtianos adhortans, ut fortiter pro Chriſto certarent, atque tormenta perferrent. Cumque Theotecnus panem, & vinum profanis luſtrationibus inquinari juſſiſſet, ne immaculata hoſtia Deo offerri poſſet; Theodotus panem, & vinum antea emptum, ad peragenda myſteria Chriſtianis miniſtrabat; quin *converſa erat taberna in ædem orationis, in hoſpitium Peregrinorum, in Altare Sacerdotum, ad offerenda ſacra dona*. Interea accidit, ut Victor quidam Theodoti amicus a perſecutoribus comprehenſus in carcerem conjiceretur, quem Theodotus nocte, carcerem ingreſſus, confortabat, ut nil præter Chriſtum, & vitæ innocentiam curaret: quibus verbis confirmatus tormenta fortiter ſuſtinuit. At cum martyrio proximus eſſet, ad deliberandum inducias petiit, ac paulo poſt ex acceptis plagis mortuus eſt in carcere, dubium relinquens confeſſionis ſuæ exitum.

Jesu Chr. an. 304.

Victoris exitus incertus.

26. Theodotus vero cum ad vicum quemdam, *Melum* nomine, ad quadrageſimum circiter ab Ancyra lapidem, ubi Valentis Martyris reliquiæ erant, quæ in flumen *Halyos* conjectæ fuerant, perrexiſſet, Chriſtianos aliquot ob perſecutionem profugos ibidem invenit, ac Frontone Presbytero e vicina urbe convocato, cum iiſdem cibum ſumpſit, rogavitque Presbyterum, ut eo in loco condendis Reliquiis aptiſſimo ædem ſacram ædificaret, interea ſe curaturum promittens, ut ſacræ Reliquiæ haberentur, *deditque pro pignore anulum ſuum, indicans; vel alium ſe miſſurum, vel ipſummet venturum; feſtinabat enim certaminis ſui curſum abſolvere*. Nec ſua eum fefellit ſpes; nam eo tempore Virgines ſeptem, ideſt Tecuſa, Alexandra, Phaine, Claudia, Euphraſia, Matrona, & Julia comprehenſæ, cum eas Præſes a fide revocare non potuiſſet, juvenibus violandæ traditæ fuerunt. At ſanctæ Virgines, ne inquinarentur, Chriſtum toto corde deprecantes, illæſæ abierunt; nam Tecuſa ad adoleſcentum impudentiorem converſa: *Quodnam, o fili*, ait, *ex me tibi lucrum, aut quæ voluptas eſſe poteſt commiſceri corporibus ſenio, jejunio, morbo, cruciatuque, ut vides, conſumptis?* jam enim ſeptuageſimum ætatis annum ſupergrediebatur, reliquæ etiam vix minoris ætatis erant. Quæ cum Tecuſa dixiſſet, ſtatim adoleſcentes, poſito libidinis æſtu, Virginibus compatientes abierunt. Præſes autem Dianæ, & Minervæ Sacerdotes fieri decrevit, eaque de cauſa Virgi-

Septem virgines in flumine projectæ Martyres fiunt.

JESU CHR. AN. 304.

nes *nudatis corporibus*, *in curribus ad verecundiam*, *irriſionemque* ad vicinum lacum ductæ ſunt, ubi Dearum ſimulacra lavanda erant, recurrente tunc ipſa lavandorum Idolorum anniverſaria die. Cum autem eo miniſterio defungi recuſaſſent, eodem loco eas Præſes demergi juſſit.

Theodotus ad ſepelienda corpora excitatur.

27. At Theodotus viſione excitatus Virginum corpora ſepulturæ tradidit; ſenior enim Tecuſa eidem apparens in ſomno: *Dormis*, inquit, *fili Theodote*, *& nulla te noſtri cura tangit? ne, obſecro, ſinas corpora ſub aquis laci fieri eſcam piſcibus*; *nam & poſt duos dies magnum te expectat certamen*. Quare Theodotus ad lacum properans ſiccum invenit uſque ad locum, ubi ſeptem Virginum corpora inſepulta jacebant. Cuſtodes vero eo loco poſiti, territi Soſandri Martyris apparitione, qui clypeo armatus, & galea, undique ignem ſpirabat, aufugerant. *Facta die*, *Civitas univerſa æſtuare cœpit propter raptum ſacrorum Corporum*; *cunctis enim ſubito manifeſtavit fama*, *& mox ut Chriſtianus conſpiciebatur*, *trahebatur in quæſtionem*. Polycronius inter eos ad Præſidem ductus, & ad quæſtionem poſitus, Theodotum Virginum corpora abſtuliſſe retulit, indicavitque locum, ubi ſepultæ fuerant; unde Gentiles effoſſas inde Reliquias combuſſerunt.

Theodotus martyr occubuit.

28. Ut vero hæc Theodotus novit, Præſidi ſe obtulit, a quo varie, multumque tentatus, cum nec promiſſa admitteret, nec tormentis flecteretur, tandem gladio percuſſus martyrii gloriam adeptus eſt: cujus corpus a flammis miraculo ſervatum Fronto Presbyter, cui Theodotus ipſe mandaverat, ut locum recondendis Reliquiis aptum extrueret, &, anulo dato, Reliquias ſe daturum promiſerat, obtinuit, ut pluribus ibidem Nilus auctor narrat, cui ſi fides habenda, cum Theodoto & in cuſtodia fuit, & cuncta oculis ſuis ſpectavit. Horum Martyrum memoria die decima octava Maii Martyrologio Romano recolitur: de quibus plura apud Ruinartium, & Tillemontium videri poſſunt.

Tillem. to. 5. pag. 660.

Theodoræ Virginis, & Didymi Acta.
Ambroſ. de Virg. lib. 2. cap. 4.
Ruinart. pag. 427.

29. Theodoræ Virginis, & Didymi Acta tantam ſibi fidem vindicant, ut ſincera, & Proconſularia habeantur: digna ſane, ut integra Annalibus insererentur; brevitatis tamen ſtudio præcipua tantum adnotabimus. *Cum itaque Proculus Alexandriæ pro tribunali ſediſſet*, dixit: *Vocate Theodoram Virginem*. *Ex officio dictum eſt*: *Adſiſtit Theodora*. Judex dixit: *Cujus conditionis es?* Theodora reſpondit: *Chriſtiana*

na ſum. Judex dixit: *Ingenua es, an ancilla?* Theodora reſpondit: *Jam tibi dixi, Chriſtiana ſum. Chriſtus autem adveniens liberavit me; nam in ſæculo hoc ex ingenuis parentibus genita ſum*. Judex vero, Curatore Civitatis ad ſe vocato, ab eodem ſciſcitatus eſt, quid de Theodora ſciret. Cui Lucius Curator: *Per claritatem tuam*, inquit, *ingenua eſt, & honeſta, & de optimo genere*. Judex dixit: *Quia ſi ingenua, quare nubere non voluiſti?* Theodora reſpondit: *Propter Chriſtum; adveniens autem in carne in hoc Mundo abſtraxit nos a corruptione, & vitam æternam nobis promiſit. Unde, me permanente in fide ipſius, credo intactam permanere*. Judex dixit: *Juſſerunt Imperatores, vos, quæ eſtis virgines, aut Diis ſacrificare, aut injuria meritorii provocari*. Theodora reſpondit: *Puto, non ignorare te, quoniam Dominus voluntatis inſpector eſt; nam voluntatem caſtitatis Deus adſpicit. Quod ſi autem hoc facere cogis, non eſt meritorium, ſed violentia &c.* Porro meritorii infamia idem eſt ac meretricio addici. Cumque hæc, aliaque plura, & exhortando, & minitando addidiſſet Proculus, tandem ad Virginem: *Do*, inquit, *tibi tridui ſpatium, & per Deos, niſi conſenſeris, in meritorium te ſtatuam*. Poſt tres dies, cum in eadem ſententia perſiſteret ſancta Virgo, ducta eſt ad lupanar, ubi cum eſſet, Deum precata eſt, ut ab ea infamia liberaretur: eodemque tempore militari habitu ingreſſus eſt Didymus, qui Virginem hortatus eſt, ut, mutato habitu, fuga ſibi conſuleret. Itaque Virgo militari habitu, pileoque tecta, vultuque demiſſo, quaſi vereretur ex lupanari egredi, intacta, & incolumis evaſit. Didymus autem ejus loco in lupanari remanſit; hinc factum, ut cum alius ingreſſus eſſet, atque Virginis loco virum inveniſſet, ſtupefactus intra ſe dixit: *Putas & virgines in viros demutat Jeſus? Audiebam, quoniam demutavit aquam in vinum, & fabulam exiſtimabam, id quod facilius erat; nunc autem, quod majus eſt, video, quoniam in virum demutavit virginem, & timeo ne me demutet in mulierem*. At Didymus, ſe Virginem dimiſiſſe narravit; iiſque ad judicem perlatis, ſtatim Didymum ad ſe adduci juſſit, qui interrogatus, cur id feciſſet, ac ubi eſſet Theodora, id ſe neſcire reſpondit, ſimulque Chriſtianum ſe eſſe profeſſus, ad tormenta Proconſulis præcepto ductus eſt. Didymus vero in Chriſti confeſſione perſeverans, ſeque unquam Diis ſacrificaturum fore obteſtans, abſciſſo capite

Jesu Chr. an. 304.

JESU CHR. AN. 304. pite martyrium ſubiit, ejuſque corpus igne crematum eſt. Virginem vero Theodoram eidem ſociatam fuiſſe narrat Ambroſius, dum utriuſque certamina, martyriumque celebrat.

Theodora cum Didymo martyrium ſubiit.

Ambroſ. de Virginibus lib. 2. cap. 4.

30. *Fertur puella*, ait, *ad locum ſupplicii cucurriſſe; certaſſe ambos de nece, cum ille diceret: Ego ſum juſſus occidi, te abſolvit ſententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, ſed prædem pudoris optavi: ſi pudor quæritur, manet nexus, ſi ſanguis expoſcitur, fidejuſſorem non deſidero, habeo unde diſſolvam; in me lata eſt iſta ſententia, quia pro me lata eſt. Certe ſi pecuniæ te fidejuſſorem dediſſem, & abſente me Judex tuum cenſum fœneratori adjudicaſſet, eadem me ſententia convenires, meo patrimonio ſolverem tuos nexus. Si recuſarem, quis me indignam digna morte cenſeret? Quanto major eſt capitis hujus uſura? Morior innocens, ne moriar nocens. Nihil hic medium eſt: hodie aut rea ero tui ſanguinis, aut Martyr mei. Si cito redii, quis me audet excludere? Si moram feci, quis audet abſolvere? Plus legibus debeo: rea non ſolum fugæ meæ, ſed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non ſufficiebant injuriæ. Eſt in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinavi, non martyrium. Tibi ceſſi veſtem, non profeſſionem mutavi*. Et poſt aliqua: *Poſſumus uterque ſatisfacere ſententiæ, ſi me prius patiaris occidi. In te non habent aliam, quam exerceant pœnam; in virgine obnoxius pudor eſt. Itaque glorioſior eris, ſi videaris de adultera Martyrem feciſſe, quam de Martyre adulteram reddidiſſe. Quid expectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt, nec diviſa eſt corona, ſed addita. Ita ſancti Martyres invicem ſibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter effectum*. Hactenus de his Ambroſius, a quo cum hæc Antiochiæ contigiſſe dicantur, in Actis vero Alexandriæ; duas Theodoras, Alexandrinam unam, Antiocheuam alteram nonnulli finxerunt, quæ eodem modo e lupanari mirabiliter eductæ, poſtmodum, ſervata virginitate, martyrium ſubierint: Baronius etiam cum unicam in Notis ad Martyrologium Romanum agnoviſſet, poſtmodum in Annalibus opinionem retractans, duas fuiſſe teſtatur. At vix ovum ovo ſimilius invenire eſt, quam quæ in Actis, & ea, quæ apud Ambroſium leguntur, ut de eadem utroque loco agi certiſſimum ſit. Nec mirum, ea, quæ Alexandriæ contigerunt, tanquam Antiochiæ facta ab Am-

Boll. die 28. Aprilis.

Baron. ann. 309. num. 33.

Ruinart. præfat. in eadem Acta.

Baſnag. an. 304. 6.

Ambroſio narrari ; cum enim fama id didiciſſet, facile eidem fuit, hæc coram populo enarranti, memoriæ lapſu, Antiochiam pro Alexandria dicere.

JESU CHR. AN.304.

31. Hoc quoque anno, *Conſulatu Diocletiani nono, & Maximiani Auguſti, octavo Kal. Aprilis* Theſſalonicæ martyrio coronatæ ſunt ſanctæ fœminæ Agapes, Chionia, & Irenes, quarum Acta *pura & ſincera, prout a Notario ex*[illegible]*a fuere, extant, proinde digna, ut Annalibus intexa*[illegible], ait Baronius. In iis itaque poſt præfationem Auctoris, ut rem paucis comprehendamus, legitur eas coram Dulcetio Præſide accuſatas fuiſſe, eo quod immolatis eſcis veſci recuſaverint: quas ideo ſingulatim cum Præſes interrogaſſet, ac ſe Chriſtianas eſſe confeſſæ eſſent, Eutychiam quidem utpote gravidam in carcerem remiſit, in Agapem vero & Chioniam hanc dixit ſententiam: *Quoniam iniquis mentibus, & contrariis ſententiis elatæ, contra divinum edictum Dominorum Auguſtorum, ac Cæſarum fecerunt, & nunc etiam temerariam, vanam, & piis omnibus execrabilem Chriſtianorum Religionem colunt, igni tradendas jubeo. Agatho autem, Caſia, & Philippa, & Irene, quoad mihi placuerit, ſerventur in carcere*, ſubdidit Dulcetius; nec multo poſt Irenem ad ſe revocatam, cum iterum iterumque interrogaſſet, utrum Imperatoris edictis parere vellet, ac Diis immolare, illa vero recuſaſſet, eam Dulcetius juſſit, in lupanari nudam conſtitui, cuſtodes etiam minatus, ſi vel uno temporis momento e lupanari egredi eam permiſiſſent. Attamen ne unus quidem ad eam accedere, vel turpe aliquid in eam tentare auſus eſt. Quare iterum eam Dulcetius ad ſe revocatam, ut in ſententia perſeverare, ac Chriſti fidem liberrime fateri audivit, hanc ſententiam protulit: *Quoniam Irene Imperatorum juſſui parere, Diiſque immolare noluit; quin immo nunc quoque in Chriſtianorum ordine, ac Religione perſeverat: hac de cauſa, ut antea duas ejus ſorores, ita & ipſam viventem nunc comburi jubeo.* Quare ad ſupplicii locum perducta, hilaris per ignem tranſiens Martyr effecta eſt, ut pluribus Acta narrant.

Agapes Chioniæ, & Irenes, aliorumque confeſſio, & martyrium.
Ruinart. pag. 421.
Baron. 304. 40.

32. Sirmienſem Eccleſiam ſanguine ſuo Irenæus Epiſcopus illuſtravit ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, cujus memoriam die 25. Martii Latina Eccleſia, Græca vero 23. Auguſti celebrat. *Probo Pannoniæ Præſidi hoc anno octavo Idus Aprilis oblatus* Irenæus Epiſcopus, ab eoque mandatum acci-

Irenæi Sirmienſis Epiſcopi martyrium.
Ruinart. pag. 432.
Bell. di 25. *Martii.*

Jesu Chr. an. 304. accipiens, ut Imperatoribus obtemperans Diis ſacrificaret; reſpondit: *Qui Diis, & non Deo ſacrificat, eradicabitur*. Probus vero: *Clementiſſimi Principes juſſerunt aut ſacrificare, aut tormentis ſuccumbere debere*. Sed iterum Irenæus: *Mihi præceptum eſt, tormenta magis ſuſcipere, quam Deum denegans, dæmoniis ſacrificare*. Probus Præſes dixit: *Aut ſacrifica, aut faciam te torqueri*. Cui Irenæus: *Gaudeo ſi feceris, ut Domini mei paſſionibus particeps inveniar*. Cum ergo invictus Præſul acerbiſſimis cruciatibus vexaretur, ab eoque peteret Probus: *Quid dicis Irenæe? Sacrifica*; Præſidi reſpondit: *Sacrifico per bonam confeſſionem Deo meo, cui ſemper ſacrificavi*. Advenientes autem parentes ejus, ac eum torqueri videntes deprecabantur, ut ſui & ipſorum misereretur. At Irenæus filiorum, uxoris, & parentum conſilia æque ac Præſidis minas, & tormenta ſpernens, tandem gladio percuſſus martyrio coronatus occubuit, ut ejuſdem Acta referunt. Irenæo Epiſcopo Montanus Singidunenſis in Pannonia Eccleſiæ Presbyter addi poteſt, qui paulo poſt Irenæum, una cum Euſebio Epiſcopo, aliiſque ejuſdem Probi Præſidis ſententia martyrium ſubiit, ut narrat auctor paſſionis Sancti Pollionis Gibalenſis Eccleſiæ Lectoris. Quæ quidem etſi ſincera, & Proconſularia habeantur; ea tamen, ſicuti & alia multa, conſulto præterimus, ut nonnulla etiam de iis, qui in Italia eadem vigente perſecutione paſſi ſunt, vel breviter adnotemus.

MontaniPresbyteri martyrium. *Ruinart. pag. 435.*

33. Suos itaque Martyres, & quidem plurimos, in hac Diocletiani, & Maximiani perſecutione ſe habuiſſe gloriatur Italia, & ſane ut Lactantius adnotat: *Terram præter Gallias vexatam eſſe, & ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimas beſtias ſævire*. De Italia vero: *Senex Maximianus libens paruit per Italiam non adeo clemens*. His adde non ſolum Maximianum, vigente ea perſecutione, in Italia fuiſſe, ſed & Diocletianum, ut anno elapſo adnotavimus. Quo tamen ſævior perſecutio fuit, eo magis Martyrum memoria, numerus, eorumque certamina in obſcuro remanſerunt; ita ut aliquorum vix memoria ſuperſit, tamquam paucæ poſt naufragium tabulæ. Ex his Euplius Diaconus numeratur, Catanæ in Sicilia martyrio coronatus, cujus Acta poſt Baronium, Bollandum, Cotelerium, emendatiora, & auctiora ex pluribus MS. Codicibus, præcipue vero ex Vallicellano, Collectioni ſuæ

Perſecutio in Italia ſæviſſima. *Lactant. de mort. Perſec. cap. 16.*

Baron. 303. 146. Boll. die 12. Aug. Cotelr. to. 1. monum. Eccleſ. Græc.

Ruinart. pag. 438.

Euplius Diaconus, poſt iteratam Fidei confeſſionem, martyrium ſubiit.

ſuæ inſeruit Ruinartius, in quibus hæc narrantur: *Diocletiano novies, & Maximiano octies*, ideſt hoc anno, *pridie idus Auguſti in Catanenſium civitate cum eſſet extra velum Secretarii*, Euplius Diaconus proclamavit, dicens: *Chriſtianus ſum, & pro Chriſti nomine mori deſidero*. Audiens hæc Calviſianus Conſularis, dixit: *Ingrediatur, qui clamavit. Et cum ingreſſus fuiſſet Euplius Secretarium Judicis Evangelia portans, unus ex amicis Calviſiani, nomine Maximus, dixit: Non decet tales chartas eum tenere contra regalem præceptionem*. Calviſianus Conſularis dixit ad Euplium. *Unde hæc ſunt? de domo tua exierunt?* Euplius reſpondit: *Non habeo domum. Hoc & Dominus meus Jeſus Chriſtus novit*. Calviſianus Conſularis dixit: *Tu ea huc deportaſti?* Euplius dixit: *Per me ea huc deportavi, ſicuti & ipſe vides. Invenerunt me cum illis*. Calviſianus dixit: *Lege ea*. Euplius aperiens legit: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*. Et alio loco: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Cum hæc, & alia legeret, Calviſianus Conſularis dixit: *Hoc quid vult eſſe?* Euplius dixit: *Lex Domini mei, quæ mihi tradita eſt*. Calviſianus Conſularis dixit: *A quo?* Euplius reſpondit: *A Jeſu Chriſto Filio Dei vivi*. Tam libera fidei confeſſione edita, eum Calviſianus ſub quæſtione interrogari juſſit. Quapropter in equuleo ſuſpenſus, & ungulis laniatus, cum ſe Chriſtianum eſſe, & Scripturas tenere, & legere dixiſſet, neque ſe Diis unquam ſacrificaturum, ſed unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adorare addidiſſet, Calviſianus intra velum interius ingrediens, ſententiam dictavit; & foras egreſſus cum tabella: *Euplium Chriſtianum*, ait, *edicta Principum contemnentem, Deos blaſphemantem, nec reſipiſcentem, gladio animadverti jubeo*. Quare ligato ad collum ejus Evangelio, quod ſecum ferebat, proclamante præcone: *Euplius Chriſtianus inimicus Deorum, & Imperatorum*, ductus eſt ad ſupplicium; corpus vero a Chriſtianis ſublatum, & aromatibus conditum ſepultum eſt.

Soteris Virginis & Martyris elogium

Ambroſ. de exhort. Virgin. cap. 12., & ad Marcell. ſoror. de virgin. lib. 3.

34. Ad hunc quoque annum, Diocletiano novies, & Maximiano octies, Soteris Virginis martyrium ſpectat, cujus Acta etſi perierint, multa tamen, memoria & notatu digna narrat Ambroſius; quam & ſibi cognatione conjunctam fuiſſe adnotat. Inter cetera, nimium in virginibus veſtium aut vul-

JESU CHR. AN.304. vultus cultum condemnans, addit: *At non Sancta Soteris, ut domeſticum piæ parentis proferamus exemplum; (habemus enim nos Sacerdotes noſtram nobilitatem Præfecturis, & Conſulatibus præferendam, habemus, inquam, Fidei dignitates, quæ perire non norunt) at non, ut dixi, Soteris vultus ſui curam gerebat; quæ cum eſſet decora facie valde, & nobilis virgo majorum proſapia, Conſulatus & Præfecturas parentum ſacra poſthabuit fide, & immolare juſſa non adquievit; quam perſecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet, aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperit, ſoli invelata, atque intecta martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret ſacrificium, ubi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim ſtipendio pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum ejus vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis ejus, & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt. Etruſcum juvenem veteres fabulæ ferunt, cum, propter admirandam oris proprii pulchritudinem, in amorem incenderet fœminas, ſtigmatibus inaraſſe vultum ſuum, ne qua eum poſſet amare. Videro, utrum caſtus fuerit illius animus; affectus tamen non innocens, propter quem in ſe animadverterit. Ille tamen ſola excepit vulnera, ne noceret; hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei, quam acceperat, reſervaret.* Et iterum de eadem Sotere ad Marcellinam ſororem: *Sed quid alienigenis apud te, ſoror, utor exemplis, quam hæreditariæ caſtitatis inſpirata ſucceſſio parentis infuſione Martyris erudivit? Unde enim didiciſti, quæ non habuiſti, unde diſceres, conſtituta in agro, nulla ſocia virgine, nullo informata doctore? Non ergo diſcipulam, quod fieri ſine magiſterio non poteſt, ſed hæredem virtutis egiſti. Qui enim fieri poſſet, ut ſancta Soteris tibi non eſſet mentis auctor, cui auctor eſt generis? Quæ perſecutionis ætate, ſervilibus quoque contumeliis ad faſtigium paſſionis evecta, etiam vultum ipſum, qui inter cruciatus totius corporis liber eſſe conſuevit injuriæ, & ſpectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit &c.* Hæc & alia de Soteris virginis Martyrio Ambroſius, quam Romæ paſſam fuiſſe, Hieronymianum Martyrologium, aliaque tradunt: ubi & Soteris Eccleſiam, & cœmeterium fuiſſe ſcimus ex Anaſtaſio in vita Stephani Papæ Tertii.

Lib. 3. de virgin. cap. 6.

Boll. die 10. Febr.

35. Æter-

35. Æternæ quoque ſe famæ commendavit Beata Agnes, cujus martyrium *omnium gentium litteris, atque linguis celebrant Eccleſiæ*, teſte Hieronymo, *quæ & ætatem vicit, & tyrannum, & titulum caſtitatis martyrio conſecravit*. Ejus martyrium ad hunc annum revocandum eſſe Ruinartius cenſet: cujus etſi Acta ſincera non ſuperſint; multa tamen de ejuſdem virginis caſtitate, ac conſtantia in perferendis pro Chriſti fide tormentis, habent Eccleſiæ Patres Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Maximus, Prudentius, quorum elogia hoc loco referre longum eſſet.

Agnetis Virginis martyrium, & elogia. *Ruinart. pag.* 504. *Hier. ad Demet. Virg. Ambroſ. lib.* 1. *de Virg. c.* 2. *Aug. Serm.* 273. 354. *Prudent. hym.* 14.

36. Afram autem ex meretrice Martyrem præterire non poſſumus, de qua hæc narrantur: *Apud provinciam Rhetiam in civitate Auguſta cum Chriſtianorum eſſet ſæva perſecutio*, hoc anno ſcilicet, *contigit Afram, quam notam habebat fama publica, quod eſſet Lupanaria, a perſecutoribus comprehendi; quæ cum fuiſſet Judici oblata, dum interrogaſſet Judex, & cognoviſſet quæ eſſet*, dixit: *Sacrifica diis, quia expedit tibi magis vivere, quam inter tormenta deficere*. Afra reſpondit: *Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans in Deum geſſi; hoc autem quod me jubes facere, nunquam factura ſum*. Gajus judex dixit: *Accedens ad Capitolium ſacrifica*. Afra reſpondit: *Capitolium meum Chriſtus eſt, quem habeo ante oculos meos; ipſi quotidie crimina mea, & peccata confiteor. Et quia indigna ſum ipſi ſacrificium offerre, me ipſam pro nomine ejus cupio ſacrificare, ut corpus, in quo peccavi, dum pœnas pertulerit, abluatur*. Cumque ex meretricio eam hactenus vixiſſe audiiſſet Judex, multis eam verbis hortatus eſt, ut ſacrificaret, quam Chriſto placere, & Chriſtianam eſſe non poſſe dicebat. At Afra ſe quidem Chriſtiani nominis indignam confeſſa; de Dei tamen Chriſtique pietate confidere dixit, qui & meretricem ſuis pedibus admiſit, ac publicanos peccatoreſque recepit; cumque multa utrinque dicta eſſent, tandem Gajus hanc in eam ſententiam tulit: *Afram publicam meretricem, quæ ſe Chriſtianam profeſſa eſt, & noluit ſacrificiis participare, vivam incendi præcipimus*. Quare a miniſtris rapta, perducta eſt in inſulam Lyci fluminis, ubi ad ſtipitem ligata, igneque conſumpta, martyrium conſummavit. Ejus corpus cum ſepulturæ tradidiſſet Hilaria Afræ mater, & Digna, Eunomia, & Eutropia Afræ ancillæ, & in meretricio ſociæ, ab ipſo Gajo judice, eodemque ſupplicio, ideſt igne,

Afra ex meretrice Martyr. *Ruinart. pag.* 500.

Hilaria, Digna, Eunomia, & Eutropia Afræ in martyrio ſociantur.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 304. Afræ in martyrio ſociari meruerunt, ut eadem Acta pluribus narrant.

De Conſtantii Cæſaris geſtis tempore perſecutionis. *Euſeb. in vita Conſtant. cap. 15. 16.*

37. Ut Diocletiani edicta de vexandis Chriſtianis ad Conſtantium perlata ſunt, atque ubique pietatis cultores a Præſidibus provinciarum vexarentur: *Conſtantio ſoli*, inquit Euſebius, *ſapiens quoddam conſilium venit in mentem. Palatinis omnibus, qui in ipſius Aula militabant, ad ipſos uſque Judices in ſummis poteſtatibus conſtitutos, data eligendi, utrum mallent, facultate, hanc conditionem detulit, ut ſi quidem dæmonibus ſacrificaſſent, manere ipſis in palatio, & conſuetis honoribus frui liceret; ſi vero id facere renuiſſent, ab ipſius aditu excluderentur, & ab ipſius notitia, ac familiaritate removi diſcederent. Cum ergo univerſi bifariam dirempti eſſent; aliuſque in hanc, alius in illam partem diſceſſiſſent, & uniuſcujuſque propoſitum, ac ſententia explorata fuiſſet; tunc eximius Princeps conſilium ſuum, quod hactenus latuerat, detegens; illorum quidem timiditatem, ac nimium ſui ipſorum amorem condemnavit; hos vero ob devotam divino Numini conſcientiam magnopere probavit. Ac deinde illos quidem tanquam Dei proditores, ne Principis quidem obſequio dignos judicavit. Nam quomodo, inquit, fidem erga Principem ſuum ſervaturi ſunt, qui erga Deum perfidi eſſe deprehenduntur? Itaque hujuſmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos eſſe cenſuit. Illos vero, quos Deo dignos eſſe veritatis ipſius teſtimonio conſtaret, eodem erga Principem animo futuros eſſe affirmans, Protectores, atque Imperii ipſius Cuſtodes conſtituit; ejuſmodi homines inter præcipuos amicorum, & maxime neceſſarios habendos eſſe dicens, multoque pluris æſtimandos, quam maximarum opum theſauros.* Hæc Euſebius de Conſtantii Cæſaris in Chriſtianos benevolentia: de quo etiam Lactantius addit, quod acceptis de perſecutione excitanda Diocletiani edictis, *Ne diſſentire a Majorum præceptis videretur, conventicula, ideſt parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt; verumtamen Dei templum, quod eſt in hominibus incolume ſervavit.*

Conſtantius in fide conſtantes in aula retinet; Apoſtatas expellit.

Lact. de mort. Perſec. c. 15.

An perſecutio in Britannia ſævierit.

38. Cum itaque Conſtantius Chriſtianos in palatio retinuerit, ſummoque honore dignos habuerit, ac parietes tantum, teſte Lactantio, dirui paſſus ſit; quæſtio hinc oritur, num Britanniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, quæ ejus parebant Imperio, eadem Diocletiani perſecutione vexatæ fuerint. De Britannia quidem nil certe dicere poſſumus, cum veterum monumen-

numenta perierint, ſi Gildam excipias, qui Albanum, ejuſque ſocios ea perſecutione martyrio coronatos tradit; cujus certamen Fortunatus canit:

Gilda de excid. Britann. Biblioth. to. 8. pag. 708.

Egregium Albanum fœcunda
. . . . . Britannia profert.

Ejuſque Reliquias Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus, dum extinguendis Pelagii erroribus in Britannia eſſet, in Gallias detulit.

39. De Galliis itaque, num Diocletianea perſecutione vexatæ fuerint, inquirendum reſtat, quas quidem Martyrum ſanguine hoc tempore exundaſſe ſub Rictiovari præfectura, tradit Baronius; pluresque ibidem Treviris, Pictavis, Ebreduni, Ambiani, Rhemis, alibique paſſim martyrio coronatos fuiſſe commemorat. Gallias tamen ab univerſali infeſtatione excipit Lactantius: *Vexabatur ergo*, ait, *univerſa Terra, præter Gallias*. Idemque confirmat, cum addit, parietes Eccleſiarum dirui quidem permiſiſſe Conſtantium, *ne a majorum præceptis diſſentire videretur; at Dei Templum, quod eſt in hominibus incolume ſervavit*. Euſebius vero in Vita Conſtantini tradit, Conſtantium, acceptis Diocletiani epiſtolis de movenda perſecutione, Chriſtianos non ſolum e palatio non ejeciſſe, aut vexaſſe, ſed apoſtatis abs ſe rejectis, in Fide conſtantes cariſſimos habuiſſe: quod alibi etiam confirmat: *Conſtantius concitati adverſus nos belli nullatenus particeps fuit; ſed cum veri Dei cultores, qui ſub Imperio ſuo degebant, immunes ab omni noxa, & calumnia ſervaſſet, nec aut Eccleſiarum ædes ſubvertiſſet*, (aliquas tamen ſubverti paſſus eſt, ut ex Lactantio ſcimus) *aut quidquam adverſus noſtros eſſet molitus, tandem feliciſſimum, ac beatiſſimum vitæ exitum conſecutus eſt*, idemque teſtantur Lucianus, Dignus, Naſſutius, Capito, Fidentius in libello, paucos poſt annos Conſtantino oblato: *Rogamus te, o Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater, inter ceteros Imperatores, perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia*. Neque his obſtant, quæ alibi Euſebius ſcribit, Gallias ſcilicet cum ceteris Occidentis provinciis eadem perſecutione biennio vexatas fuiſſe: *Quæ ulterius ſitæ ſunt regiones, Italia videlicet tota, & Sicilia, Gallia quoque, & quæcumque ad*

Utrum perſecutio Gallias vexaverit.

Baron. 303. num. 124.

Lact. de mort. Perſec. c. 16.

Cap. 15.

Euſeb. Conſt. vita lib. 1. 15.

Hiſt. lib. 8. 13.

Apud Optatum de Schiſm. Donat. lib. 1.

Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap. 13.

Occaſum ſolis porriguntur, *Hiſpania*, *Mauritania*, *& Africa*, *cum vix duobus primis perſecutionis annis integris furorem belli expertæ eſſent*, *Divini Numinis præſentiſſimum auxilium*, *& pacem brevi ſunt conſecutæ*. Nam ne Euſebium ſibimet adverſari dicamus, dum hoc loco Gallias aliquatenus, cum ceteris Occidentalibus provinciis, tunc temporis divexatas fuiſſe adnotat, eo ſenſu explicanda ſunt, quod ibidem Chriſtianorum Eccleſiæ, Conſtantio annuente, dirutæ ſunt; ceterum Chriſtianorum ſanguine fœdatas fuiſſe, cum non ſemel diſerte id neget, de ejuſdem ſententia nos dubitare non ſinit. At quid de Martyribus fiet, quos Galliarum Eccleſiæ ea in perſecutione ad Deum tranſmiſiſſe narrantur? Numquid e publicis eradendi ſunt tabulis, aut temere inſcriptos fuiſſe dicemus? Nequaquam, ſed potius Martyres in aliis perſecutionibus paſſos, ad hanc, quæ omnium ſæviſſima fuit, a recentioribus inſcriptos, aut cum eruditiſſimo Pagio, Martyres, *qui Diocletiano*, *& Maximiano ſævientibus in Gallia paſſi dicuntur*, *morte affectos fuiſſe initio Imperii Diocletiani*, *cum Maximianus Herculeus adhuc Cæſar ibidem agebat*. Et ſane hactenus nemini datum eſt Acta ſincera proferre, quibus, Conſtantio ibidem Imperante, Chriſtianorum ſanguinem fuſum fuiſſe conſtet.

Pag. an. 303. num. 7. 8.

An Hiſpania Diocletiani perſecutione vexata fuerit.

40. Hiſpanias quoque non aliter, ac Gallias a Diocletiani perſecutione immunes fuiſſe Dodwellus ſcribit, quæ unacum Gallis Conſtantii Imperio parebant; tota tamen erravit via. Nam Hiſpaniæ non ad Conſtantii, ſed ad Maximiani imperium pertinebant, quod nos his verbis docet Lactantius: *Maximianus*, *cum ipſam Imperii ſedem teneret Italiam*, *ſubjacerentque opulentiſſimæ provinciæ*, *vel Africa*, *vel Hiſpania*, ideſt Africa, & Hiſpania. Iterum id innuit idem Lactantius, cum a generali perſecutione, qua univerſa Terra vexabatur, Gallias tantum excepit: *ab Oriente uſque ad Occaſum vexabatur univerſa Terra*, *præter Gallias*; qui Hiſpaniam addidiſſet, ſi cruentæ vexationis immunis fuiſſet. Cum Lactantio conſentit Euſebius, qui Hiſpanias hac perſecutione afflictas tradit: *Hiſpania*, *Mauritania*, *& Africa cum his duobus primis perſecutionis annis integris furorem belli expertæ eſſent*; ergo biennio ſaltem Diocletianea perſecutio Hiſpanias vexavit: quod ex Eliberitana Synodo aliquanto poſt celebrata confirmatur, *qua flamines*, *qui poſt fidem lavacri*, *& regenerationis ſacrifica-*

Dodwell. diſſert. V. in Cypr. cap. 75.
Lactant. de mort: Perſec. cap. 8.
Cap. 16.
Euſeb. de Marty. Pal. cap. 13.
Elib. Synod. can. 2.

Jesu Chr. an. 304.

ficaverunt, placuit eos nec in fine accipere communionem; etenim ſi nulla in Hiſpaniis perſecutio hac ætate viguit, quis ad ſacrificandos Fideles compulit? Id tandem Martyrum evincunt Acta, præ ceteris Vincentii Diaconi Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ, omni fide digniſſima, ac quarto ineunte ſæculo adeo vulgata, ut toto Orbe chriſtiano celebrarentur: *Quæ hodie regio*, ajebat Auguſtinus, *quæve provincia ulla quouſque vel Romanum Imperium, vel Chriſtianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii*. Et iterum: *Voluptatem interioribus oculis hauſimus, cum Beati Vincentii glorioſa paſſio legeretur*. Et ſermone 274.: *Longam lectionem audivimus, patienter audiſtis, & diu ſtando, & audiendo, tamquam Martyri compaſſi eſtis*.

Auguſt. ſerm. 274.275.276

41. Eadem porro Vincentii Acta, quæ Hipponenſi populo Auguſtinus legenda propoſuit, adhuc ſuperſunt, ut Ruinartius demonſtrat, in quibus hæc habentur: *Vincentius patre Euticio genitus, Agreſſi nobiliſſimi Conſulis filius, matre vero Enola ex Oſcæ orta, poſt litterarum ſtudia Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Diaconus a Valerio Epiſcopo eſt ordinatus, cui doctrinæ miniſterium, prædicationiſque officium commiſerat; cui obeundo Valerius, ob linguæ vitium impar erat*. Cum itaque his Vincentius intentus eſſet, una cum Valerio Epiſcopo, Daciani Judicis juſſu in carcerem Valentiæ conjectus eſt, ut & famis miſeria, ac catenarum ſtridore, & vexatione itineris, facilius eorum conſtantia frangeretur; cumque eos ob diutinam vexationem jam defeciſſe crederet, nec corpore prævalere, nec ſpiritu, productos e carcere cum corpore, viribuſque integros conſpexiſſet, largiori paſtu, & potu eos indulſiſſe credidit, ac ad Epiſcopum converſus: *Quid agis*, inquit, *tu Valeri? quid ſub nomine religionis contra Principes facis? Neſcis, quia qui regalia decreta ſpernunt, de vita periclitantur? juſſerunt Domini Orbis & Principes, ut Diis libamina perſolvatis*. Deinde ad Vincentium: *& tu Vincenti verbis meis ſalubriter obaudi, quem & nobilitas generis, & decor commendat gratiſſimæ juventutis*. Cumque reticeret Epiſcopus, utpote miræ ſimplicitatis, & impeditioris linguæ; Vincentius: *Si jubes, Pater*, ait, *reſponſis Judicem aggrediar*: Et beatus Valerius: *Dudum, fili cariſſime, divini verbi tibi curam commiſeram, ſed & nunc pro fide, pro qua adſtamus, reſponſa committo*. Quare Vincentius ad Dacianum, Religionis chriſtia-

Valerius, & Vincentius comprehenſi fidem confitentur.

Ruinart. Acta martyr. pag. 389.

Google

Jesu Chr. an. 304.

ſtianæ, ac unius Dei cultores ſe eſſe dixit, idque cum multis confirmaſſet verbis, Dacianus ira exardens: *Amovete hinc Epiſcopum*, inquit; *juſtum eſt enim ſubire eum exilium, quoniam Imperiale contempſit edictum*: Rebellem vero, ideſt Vincentium, gravioribus deſtinavit tormentis.

Vincentius diriſſime torquetur.

42. Cumque crudeliſſime S. Diaconus torqueretur, ad eum Dacianus hæc & alia dixit: *Quid dicis Vincenti? vel ubi conſpicis tuum jam miſerabile corpus? At ille, Dei præſentia roboratus, alacri vultu reſpondit: Hoc eſt, quod ſemper optavi, hoc eſt, quod votis omnibus exquiſivi. Nemo mihi amicior, nec familiarior fuit. Tu ſolus meis maxime votis concordas. Ecce jam in ſublime agor, & ipſos Principes tuos, ſæculo altior deſpicio &c.* Iratus interea Dacianus *cœpit & tortores, ac carnifices ſuos virgis, ac fuſtibus amplius deſævire*, cui Vincentius: *Quid dicis, Daciane? Ecce jam de Apparitoribus tuis vindicor &c., ultionem mihi in pœna ipſe feciſti*. Hæc, aliaque cum addidiſſet S. Diaconus, ac ut Idolis ſacrificaret, diu acriterque fruſtra tentatus, in tenebricoſum carcerem teſteis fragmentis ſubſtratum conjectus eſt.

Angelica viſitatione Vincentius dignatus, paulo poſt Martyr occubuit.

43. Sed vix quies feſſos cuſtodum artus, ſomno vincente, occupaverat, cum carceris tenebræ in lucem commutatæ ſunt, & teſtarum aſperitas in redolentium florum jucunditatem. Quare inviϲtiſſimus Dei Athleta refectus, pſalmum Deo, & hymnum dicere cœpit. Turbati vero cuſtodes, ac vehementi ſtupore attoniti, *clauſas fores adeunt, & introſpicientes per rimas Deitatis miniſtros ſiderea venuſtate coruſcare cernebant; antrum tartareum tenebris pridem horribile immenſa luce ſplendere, teſtarum aculeos multipliciter florere, ſanctumque Dei Martyrem ſolutis cunctis nexibus deambulantem pſallere*. Quamobrem divino mox terrore, atque reſpectu compuncti, relicto Gentilitatis errore, chriſtianæ Religioni fideliter ſeſe dedere cuſtodes. Quæ ut Daciano relata ſunt, S. Martyrem juſſit in lectulum transferri, fomentiſque foveri. *Nolo enim*, ajebat, *glorioſiorem facere, ſi inter tormenta defecerit*. At Vincentius in lectulum delatus, ac Chriſtianorum præſentia ſtipatus & recreatus, mox ſpiritum Deo reddidit; corpus vero Martyris, cum Dacianus inſepultum feris dilaniandum objici juſſiſſet, corvus ab avium, ac lupi voracitate mirifice defendit. In mare deinde ſubmerſum, S. Martyris revelatione detractum, honorificentiſsima ſepultura donatum eſt, ut

Vincentii corpus feris objectum miro modo ſervatum, Fideles ſepulturæ tradunt.

ut pluribus Acta referunt, cujus paſsionem verſibus ſuis Prudentius cecinit, aliique Patres celebrarunt. Hiſpanis Martyribus Eulaliam addimus, cujus in paſsione conſtantiam hymno octavo canit Prudentius: Jesu Chr. an. 304. *Prudent. de Coron. hymn. 5.* De Eulalia Virgine, & Martyre.

Germine nobilis Eulalia
Mortis & indole nobilior,
Emeritam ſacra virgo ſuam,
Cujus ab ubere progenita eſt
Oſſibus ornat.

Duas Eulalias Hiſpanæ Eccleſiæ celebrant, quarum unam Emeritæ cum Prudentio certaſſe ferunt, cujus memoria die decima Decembris celebratur: alteram Barcinone, de qua die duodecima Februarii.

44. Longiores ſane, quam inſtituti noſtri ratio patitur, eſſemus, ſi vel præſtantiora Martyrum Acta ſummatim etiam exponenda eſſent, cujuſmodi ſunt Tarachi, Probi, & Andronici, qui repetitis confeſsionibus, renovatiſque certaminibus labenti anno 304. Tarſi primum, deinde Mopſueſtiæ, tandem Anazarbi iterum iterumque vexati martyrium conſummarunt. Horum Acta Pamphilus, Marcianus, Lyſias, Agathocles, Parmenon, Diodorus, Felix, aliique a Sebaſto Spiculatore ducentis denariis empta Fidelibus Iconii miſerunt, ut iis quoque manifeſta fierent, & ut eadem ceteris, qui ſunt Piſsidiæ, & Pamphiliæ fratribus tranſmitterentur. Signata ſunt autem Coſs. Diocletiano, & Maximiano iterum, ideſt, *Diocletiano novies, & Maximiano octies*, ut Eruditi legendum cenſent, die duodecima Junii. De eorumdem vero confeſsionibus, & certaminibus ad alia properantes nil addimus, ac ad Ruinartium harum rerum curioſos delegamus. Acta Tarachi, Probi, & Andronici. *Ruinart. pag. 456. Tillemont. to. 5. pag. 703.*

45. Hoc unum cum Ruinartio addimus, quod horum Martyrum Acta *commendatione non indigent; cum ex horum lectione, & ex Eruditorum omnium conſenſu certum ſit, nullum fere ex antiquis monumentis, aut pretioſius, aut ſincerius haberi*. Communi tamen Eruditorum judicio adverſatur Baſnagius, atque eadem falſa, & ſuppoſititia judicat: nec mirum, cum vel ſola Chriſtianorum in colligendis Martyrum Reliquiis ſollicitudo Calviniano Scriptori ſuſpecta, ac inviſa ſit. Ne tamen in eo confutando patientia Lectorum, aut otio abutamur, ad Tillemontium remittimus, qui etſi ante Baſnagium Andronici confeſſio. *Ruinart. pag. 454. Tillem. hiſt. Eccleſ. tom. 5. pag. 702.*

Jesu Chr. an. 305.

gium ſcripſerit, Baſnagii tamen argumenta, ne ſophiſmata potius dixerim, in anteceſſum diſſolvit.

JESU CHRISTI an. 305. Sedes Vacat.
Constantii Imp. 1. Galerii Maximiani Imp. 1.
Coss. Constantio V., et Maximiano V.
Olymp. 271. an. 1. Urbis an. 1058.

Diocletianus, & Maximianus Imperio ſe abdicant.

Lactant. de mort. Perſec. cap. 17. & 18.

1. Cum toto fere anno 304. ægrotaſſet Diocletianus, ut vix quiſquam eum inter vivos numeraret, *Kal. Martii in publicum vix agnoſcendus* prodiit, ait Lactantius, eodemque tempore: *Maximianus Galerius Cæſar advenit, non ut patri gratularetur, ſed ut eum cogeret Imperio cedere. Jam conflixerat cum Maximiano ſene, eumque tenuerat injecto armorum civilium metu. Aggreſſus eſt ergo Diocletianum, primum molliter & amice, jam ſenem eſſe dicens, jam minus validum, & adminiſtrandæ Reipublicæ inhabilem, debere illum requieſcere poſt labores*. Exemplum etiam Nervæ protulit, qui Imperium Trajano tradiderat.

Diocletianus invitus Imperio cedit.

2. Dura quidem hæc Diocletiano videbantur; ſiquidem poſt tantam faſtigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidere, periculoſum eſſe ajebat, cum præcipue in tam longo imperio multorum ſibi odia concitaſſet. Quare Maximiano offerebat, ut & ipſe Imperatoris inſignia ſi cuperet, & nomen ſumeret. At Maximianus, qui totius Orbis Imperio inhiaverat, nequaquam id fieri poſſe reſpondit, cum inter duos concordia facile ſervari poſſet, nullo modo inter quatuor pares; minaciterque addidit, ſi ſponte cedere noluiſſet, conſulturum ſe ſibi, ne amplius minor, & ultimus eſſet. Quindecim deinde annos ſe in Illyricum, vel ad Ripam Danubii tamquam relegatum exegiſſe ajebat; *cum alii intra laxiores, & quietiores terras delicate imperarent*. His auditis, Diocletianus morbo, & ætate langueſcens, acceptis etiam Maximiani Herculei litteris, quibus didicerat augeri ab eo exercitum; *cum lacrymis, fiat*, inquit, *ſi hoc placet*.

Maximiani Galerii in creandis Cæſaribus conſilium.

3. Cum itaque Imperio cedere vel invitus conſenſiſſet Diocletianus, ac ſtatutum eſſet, ut Conſtantius, & Maximianus Galerius Cæſares, in locum Maximiani Herculei, & Diocletiani ſuccederent, reſtabat, ut communi conſilio duo Cæſares crearentur. Erat autem Maximiano Herculeo filius, Ma-

Maxentius Galerii Maximiani gener, *homo*, ut ait Lactantius, *pernicioſæ, ac malæ mentis adeo ſuperbus, & contumax, ut neque patrem, neque ſocerum ſolitus ſit adorare, & idcirco utrique inviſus fuit. Conſtantio quoque filius erat Conſtantinus, ſanctiſſimus adoleſcens, & faſtigio illo digniſſimus, qui inſigni & decoro habitu corporis, & induſtria militari, & probis moribus, & comitate ſingulari, a militibus amaretur, a privatis & optaretur. Eratque tunc præſens, jampridem a Diocletiano factus Tribunus Ordinis primi*. At Maximianus Galerius utroſque recuſavit; primum quidem, ideſt Maxentium, utpote ſuperbiorem, qui patrem æque ac ſocerum contemnebat; alterum vero, Conſtantinum ſcilicet, quia, eo Cæſare creato, *non potero quæ velim agere*, repoſuit Maximianus. *Eos igitur oportet nuncupari, qui ſint in mea poteſtate, qui timeant, qui nihil faciant niſi meo juſſu*. Quos ergo faciemus? interrogavit Diocletianus, *Severum*, inquit: *Illum ne ſaltatorem*, repoſuit Senex, *temulentum, ebrioſum, cui nox pro die, & dies pro nocte? Dignus*, inquit, *quoniam militibus fideliter præfuit, & eum miſi ad Maximianum, ut ab eo induatur. Eſto, ſeu ita fiat, alterum Cæſarem quem dabis? Hinc*, inquit *Maximianus*, *oſtendens Dajam, adoleſcentem quemdam ſemibarbarum, quem recens juſſerat Maximinum vocari de ſuo nomine*. Cumque Diocletiano ignotus eſſet: *Quis eſt hic, quem mihi offers? Meus*, inquit, *adfinis*, reſpondit Maximianus; tum ille gemebundus: *Non*, inquit Diocletianus, *eos homines mihi das, quibus tutela Reipublicæ committi poſſit. Probavi eos*, ait Maximianus, quare Diocletianus, tu qui regimen Imperii ſuſcepturus es, videris: *Ego ſatis laboravi, & providi, quemadmodum me imperante Reſpublica ſtaret incolumis. Si quid acceſſerit adverſi, mea culpa non erit*.

4. Itaque Kalendis Maiis Diocletianus Imperator, & Maximianus Galerius Cæſar extra Urbem progreſſi: *Ibi erat locus, ad millia fere tria, in cujus ſummo Maximianus Herculeus purpuram ſumpſerat; & ibi columna cum Jovis ſigno fuerat erecta*; eodemque loco purpuram Diocletianus exuit. Interea cum novi Cæſares creandi eſſent, qui Conſtantii, & Galerii Maximiani locum tenerent: *Conſtantinum omnes intuebantur; nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi, & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti, gaudebant, optabant, & vota faciebant*, ait Lactantius.

Jesu Chr. an. 305. Lactant. ut ſup.

Maximinus, & Severus Cæſares creantur.

Lactant. ut ſupra cap. 19.

Jesu Chr. An. 305.

tius. Aliter tamen res contigit; nam convocato exercitu, *Diocletianus cum lacrymis alloquitur milites, ſe invalidum eſſe, requiem poſt labores petere, Imperium validioribus tradere, alios Cæſares ſubrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repente pronunciat Severum, & Maximinum Cæſares. Obſtupeſcunt omnes; in tribunali Conſtantinus adſtabat. Rurſum ſciſcitari inter ſe, num Conſtantini immutatum nomen eſſet, cum in conſpectu omnium Maximianus, manum retrorſum extendens, protraxit a tergo Dajam, Conſtantino repulſo, & exuto veſtem privatam, conſtituit in medium. Mirari omnes, qui eſſet, unde eſſet. Nemo tamen reclamare auſus eſt, cunctis inſperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit ſuam, qua ſe exuit, & Diocles iterum factus eſt. Tum deſcenditur, & rheda per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daja vero ſublatus nuper a pecoribus, & ſilvis, ſtatim Scutarius, continuo Protector, mox Tribunus, poſtridie Cæſar accepit Orientem calcandum, & conterendum; quippe qui neque militiam, neque Rempublicam ſciret, jam non pecorum, ſed militum paſtor.*

Maximianus Herculeus Mediolani Imperio renunciat, ac Severum Cæſarem dicit. *Eutrop. lib. 9.*

5. Qua die Diocletianus Nicomediæ Imperio ceſſit, ut Galerio traderet, & Maximinum Dajam Cæſarem dixit, Maximianus Herculeus Mediolani Conſtantio Cæſari Imperium renunciavit, & Severum Cæſarem nuncupavit: *Cum ingraveſcente ævo*, ait Eutropius, *parum ſe idoneum Diocletianus moderando Imperio eſſe ſentiret, auctor Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, & ſtationem tuendæ Reipublicæ viridioribus, junioribuſque mandarent, cui ægre collega obtemperavit, tamen uterque una die privato habitu Imperii inſigne mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani*. Abdicato Imperio, Diocletianus in Dalmatiam abiit, ac prope Salonam in agro quietam vitam duxit; Maximianus vero Herculeus in Campaniam, unde ortum habuerat, tranſiit: quo cum eſſet, biennio vix elapſo, purpuram, quam invitus fere depoſuerat, iterum induit, ut ſuo loco videbimus. Ceterum abdicando Imperio par utrique cauſa non fuit; nam Diocletianus morbo, ſenioque tabeſcens Reipublicæ adminiſtrandæ impar erat; Maximianus vero Herculeus ſocii inſtinctu, & Galerii minis invitus Imperio ceſſerat. Hinc Auctor Panegyrici Conſtantino, & eidem Maximiano anno 307. recitati, de eadem abdicatione

Digitized by Google

ne hæc habet. *Tale eſt, quod omnibus nobis incluſo gemitu mœrentibus facere voluiſti, non quidem tu Reip. negligentia, aut laboris fuga, aut deſidiæ cupiditate victus, ſed conſilii inter vos placiti conſtantia, & pietate fraterna, ne quem totius vitæ, ſummarumque rerum ſocium ſemper habueras in alicujus facti communitate deſereres. Verum longe diverſa in vos erat cauſa declinandi, aut ſuſtinendi laboris, quamquam etſi totam excuſationem ætatis afferres, ſic quoque tibi Reipublicæ curis non erat abnuendum.*

Quo anno Diocletianus Imperio renunciaverit.

6. Hanc Diocletiani, & Maximiani Herculei abdicationem anno elapſo 304. eruditorum plurimi alligarunt; quin eamdem *maximo conſenſu*, ut ait Petavius, veteres, ac recentiores ad eum annum referunt; ejuſque opinioni apertiſſime favere videtur Euſebius, dum ſecundo vix elapſo perſecutionis anno, ad privatam vitam ſe contuliſſe veteres Imperatores tradit. Euſebio accedunt Idacius in faſtis, & Auctor Chronici Alexandrini, qui Conſulatu Diocletiani nono, & Maximiani octavo id geſtum referunt. At poſtquam Lactantii, ſive Cæcilii liber de mortibus Perſecutorum in lucem prodiit, quo hæc diſtincte narrantur, Eruditorum nemo dubitavit, hoc anno potius, quam elapſo, Diocletianum & Maximianum Imperio renunciaſſe. Lactantius enim rerum geſtarum teſtis oculatus fuit, cujus auctoritatem ceteris præferendam non eſt dubitandum, ut pluribus argumentis Pagius, & Baſnagius demonſtrant.

Baron. ann. 304. 1.
Petav. de Doct. temp. lib. 11.
Euſeb. lib. 8. 13.
Tillem. not. 19. pag. 609. tom. 4. hiſt. Imp.
Pag. ad ann. 304. Baron.
Murat. Baſnag. 305.
Noriſ. hiſt. Donat. tom. 4. cap. 3.

Nova Imperii diviſio.

7. Etſi alias plures Imperatores Romano præfuerunt Imperio, novo tamen & inuſitato, quin & infauſto exemplo tunc accidit, ut Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus illud adepti, inter ſe partirentur: *Imperium Romanum totum in duas partes diviſum eſt, quod quidem nunquam antea factum memoratur*, ait Euſebius: quam diviſionem Romanis ingratam, & noxiam fuiſſe tradit Porphyrius in carmine ad Conſtantinum:

Euſeb. lib. 8. 13.

.... Lacerata cruentis
Imperiis pars feſſa poli diviſa gemebat.
Sceptra & Auſoniæ mœrebat perdita jura.

Subſequutas tamen Imperio calamitates intermiſſioni Ludorum Sæcularium, qui hoc anno celebrandi fuiſſent, adſcribit Zozimus:

Zozim. lib. 2. 7.

mus : *Ludis negleɛtis , cum Imperio ſe abdicaſſet Diocletianus , paulatim quaſi delituit , taciteque redaɛtum eſt ad barbariem .*

Improbi mores Galerii Maximiani.

8. Innumeræ tamen , quæ ſubſequutæ ſunt Imperio clades non tam ejuſdem partitioni , aut Ludorum Sæcularium intermiſſioni adſcribendæ ſunt , quam perditiſſimis Galerii Maximiani , Maximini , & Severi Cæſarum , deinde Maxentii , & Licinii moribus , ut ex dicendis conſtabit . De Galerii Maximiani Auguſti ambitione , avaritia , & libidine hæc ex Lactantio adnotaſſe ſufficiet : *Maximianus , Senibus expulſis , jam ſolus ſe totius Orbis dominum eſſe ferebat ; nam Conſtantium , quamvis priorem nominari eſſet neceſſe , contemnebat , quod & natura mitis eſſet , & valetudine corporis impeditus : hunc ſperabat brevi obiturum , & ſi non obiiſſet vel invitum exuere facile videbatur .* Et paulo poſt : *Adeptus igitur maximam poteſtatem ad vexandum Orbem , quem ſibi patefecerat , animum intendit . Nam poſt deviɛtos Perſas , quorum hic ritus , hic mos eſt , ut Regibus ſuis in ſervitium ſe addicant , & Reges populo ſuo , tamquam familia utantur , hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere , quem ex illo tempore viɛtoriæ ſine pudore laudabat . Et quia id aperte jubere non poterat , ſic agebat , ut & ipſe libertatem hominibus auferret . In primis honores ademit . Torquebantur ab eo non modo Decuriones , ſed primores civitatum egregii ac perfeɛtiſſimi viri . Et quidem in cauſis levibus atque civilibus ; ſi morte digni viderentur , cruces ſtabant ; ſin minus compedes parati . Matres-familias ingenuæ ac nobiles in gynecaeum rapiebantur . Si quis eſſet verberandus , defixi in ſtabulo pali quatuor ſtabant , ad quos nullus unquam ſervus diſtendi ſolebat . Quid luſorium vel delitias ejus referam ? Habebat Urſos ferociæ , ac magnitudinis ſuæ ſimillimos , quos toto Imperii ſui tempore elegerat . Quotiens deleɛtari libuerat , horum aliquem adferri nominatim jubebat . His homines non plane comedendi , ſed obſorbendi objeɛtabantur ; quorum artus cum diſſiparentur , ridebat ſuaviſſime ; nec unquam ſine humano cruore cœnabat . Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit . Id exitii primo adverſus Chriſtianos permiſerat , datis legibus , ut poſt tormenta damnati lentis ignibus urerentur .*

Laɛtant. de mort. perſec. cap. 20. 21. 22. 23.

Chriſtianos igne torqueri , & occidi Galerius jubet.

9. *Qui cum deligati fuiſſent , ſubdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu , donec callum ſolorum contraɛtum igni* ab

ab oſſibus revelleretur . Deinde incenſæ faces & extinctæ admovebantur ſingulis membris , ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus . Et inter hæc ſuffundebantur facies aqua frigida , & os humore abluebatur , ne areſcentibus ſiccitate faucibus cito ſpiritus redderetur ; quod poſtremo accidebat , quum per multum diem decocta omni cute vis ignis ad intima viſcera penetraſſet . Poſt obitum igne cremabantur corpora Chriſtianorum , & in pulverem comminuta jactabantur in flumen , aut in mare .

Jesu Chr. an. 305.

10. Quod Chriſtianis cruciandis primum uſurpaverat , in omnes deinde conſuetudine quadam exercere cœpit , ita ut pro gratia haberetur , ac beneficii loco , cum quis obtruncatione capitis vitam finiret . Eo etiam imperante , eloquentia extincta eſt , Cauſidici ſublati , Juriſconſulti aut relegati , aut necati . Litteræ autem inter malas artes habitæ , & qui eas noverant , pro inimicis , hoſtibuſque execrati . Licentia rerum omnium , ſolutis legibus , adſumpta & judicibus data . Judices militares humanitatis litterarum rudes , ſine adſeſſoribus in Provincias immiſſi . Id vero publicæ calamitatis , & communis luctus præcipue fuit , cenſus in provincias & civitates ſemel miſſus , Cenſitoribus ubique diffuſis , & omnia exagitantibus ; ita ut agri glebatim metirentur , vites & arbores numerarentur , animalia omnis generis ſcriberentur , hominum capita notarentur , in civitatibus urbanæ ac ruſticæ plebes adunatæ , fora omnia gregibus familiarum referta , unuſquiſque cum liberis , cum ſervis aderant , tormenta ac verbera perſonabant ; filii adverſus parentes ſuſpendebantur , fideliſſimi quique ſervi contra dominos vexabantur , uxores adverſus maritos , & cum dolor vicerat , ea adſcribebantur quæ non extabant . Nulla ætatis , valetudinis excuſatio admittebatur . Ægri & debiles deferebantur ; parvulis adjiciebantur anni , ſenibus detrahebantur . Luctu & mœſtitia plena omnia erant , ac quæ victores adverſus victos jure belli fecerant , ea ille adverſus Romanos facere auſus eſt . Poſt hæc pecuniæ pro capitibus pendebantur , & merces pro vita dabatur . Non tamen iiſdem Cenſitoribus fides habebatur ; ſed alteri poſt primos mittebantur , tanquam plura inventuri . Interea minuebantur animalia , & mortales obibant ; & nihilominus ſolvebantur tributa pro mortuis , ut nec vivere jam , nec mori ſaltem gratis liceret .

Maximiani in omnes crudelitas.

11. *Men-*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 305.

Galerius Maximianus mendicos in mare præcipitari juſſit.

11. *Mendici ſupererant ſoli, a quibus nihil exigi poſſet, quos ab omni genere injuriæ tutos miſeria, & infelicitas fecerat. At quin homo impius miſertus eſt illis, ut non egerent. Congregare omnes juſſit, & exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem miſericordem, qui providerit, ne quis, illo imperante, miſer eſſet! Ita dum cavit, ne quis ſimulatione mendicitatis cenſum ſubterfugiat, multitudinem virorum miſerorum contra omne jus humanitatis occidit.*

De Maximini crudelitate & avaritia.

12. Galerii Maximiani morum corruptelam æquabat, fortaſſe etiam vincebat Maximinus Cæſar, & ut ingenitam ſuperſtitionem, ac immenſum in Chriſtianæ fidei ſectatores odium prætereamus, de ejuſdem rapacitate, libidine, & intemperantia hæc narrat Euſebius: *Non unam dumtaxat urbem, aut regionem, ſed univerſas provincias Imperio ſuo ſubjectas auri, argentique, & pecuniarum exactionibus, & indictionibus graviſſimis, variiſque ſubinde condemnationibus vexavit, atque oppreſſit, ſed & locupletiſſimum quemque paternis, avitiſque ſpolians bonis, ingentes opes, ac nummorum acervos aſſentatoribus ſuis donabat. Jam vero temulentiæ, & crapulæ eo uſque obnoxius fuit, ut in compotationibus inſaniret, ac fureret, & ea imperaret ebrius, quorum poſtridie ſobrium pœnitebat.*

Euſeb. lib. 8. 14.

Maximini effuſa libido.

13. Crudelitatem, & avaritiam ſuperabat effuſa libido, ita ut, eodem Euſebio teſte, quocumque iter ageret, ſtupra & adulteria perpetraret. Hinc factum, ut aliquæ cum raperentur ad ſtuprum, vitam citius, quam caſtitatem prodere voluerint. Ex his mulierem quamdam chriſtianam, Alexandrinarum omnium nobiliſſimam atque opulentiſſimam celebrat Euſebius, quæ effrænatam Maximini libidinem devicit; nam cum eam Tyrannus ſæpiſſime de ſtupro fruſtra interpellaſſet, bonis omnibus ſpoliatam exilio damnavit. Euſebio Lactantius conſentit, qui de ſuperſtitione, & libidine Maximini turpiora adhuc enarrat. Eum ſcilicet nullam prateriiſſe diem, quin in palatio ſacrificaret, ac immolatis carnibus veſceretur, cujus menſæ nil prorſus apponebatur, niſi aut delibutum, aut ſacrificatum, aut perfuſum mero eſſet, ut quiſquis ad cœnam vocatus eſſet, inquinatus, atque impurus exiret. Inſuper Sacerdotes maximos per ſingulas civitates deſtinavit, ut ſacrificia quotidie facerent, quos etiam candidis clamydibus indutos incedere juſſit. Rapacitas vero, & avaritia Maximini tanta fuit,

Lact. de mort. perſec. cap. 37

Cap. 36.

fuit, ut ſi quid Diocletianus, vel Maximianus reliquerant, hic abraſerit. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obſignabantur. Hinc fames agris non ferentibus, hinc caritas inaudita. *De libidine vero, quid dicam*, inquit Lactantius, *neſcio; vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Eunuchi lenones ſcrutabantur omnia, ubicumque liberalior facies erat, ſecedendum patribus, aut maritis fuit. Detrahebantur nobilibus fœminis veſtes, itemque virginibus, & per ſingulos artus inſpiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili eſſet indigna. Si qua detractaverat, in aqua necabatur, tanquam majeſtatis crimen eſſet. Sub illo adultero, aliqui conſtupratis uxoribus, quas ob caſtitatem & fidem cariſſimas habebant, cum dolorem ferre non poſſent, ſeipſos etiam necaverunt. Sub hoc miniſtro pudicitiæ integritas nulla, niſi ubi barbaram libidinem deformitas inſignis arcebat. Poſtremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem ſine permiſſu ejus duceret, ut ipſe in omnibus nuptiis prægustator eſſet. Ingenuas virgines imminutas ſervis ſuis donabat uxores. Sed & comites ejus ſub tali principe imitabantur .... ſuorum cubilia impune violabant; quis enim vindicaret? mediocrium vero filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ, quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur, nec recuſari licebat, ſubſcribente Imperatore, qui aut pereundum eſſet, aut habendus gener aliquis barbarus*. Hactenus de Maximini Cæſaris moribus Lactantius. Neque Severo Cæſarum altero caſtigatiores erant; quem ut Cæſarem deſtinatum novit Diocletianus, ad Galerium dixit: *Illum ne, Cæſarem, ſaltatorem, temulentum, ebrioſum, cui nox pro die, & dies pro nocte, quique ignobilis, & moribus, & natalibus, ebrioſus, & Galerio amicus?*

JESU CHR. AN. 305.

Lact. de mort. perſec. cap. 18

Maximinus Cæſar perſecutionis ignem magis accendit.

Euſ. de Martyr. Paleſt. cap. 4.

14. Cum itaque a tribus hiſce prædonibus Romana vexaretur Reſpublica, acerbiſſimam eodem tempore perſecutionem Chriſtianos ſuſtinuiſſe mirum eſſe non debet. Quam Diocletianea etiam acerbiorem fuiſſe Euſebius adnotat; nam narrata veterum Imperatorum abdicatione, & Maximini Cæſaris nuncupatione, addit: *Maximinus Cæſar eo tempore ad Imperium evectus*, per Cæſaream dignitatem, *quaſi qui odii in Deum, & impietatis ſibi innatæ inſignia oſtentare vellet, violentius quam ſuperiores Principes perſecutioni noſtrorum incubuit*. Qua de cauſa novam perſecutionis epocham notavit ab anno tertio Diocletianeæ perſecutionis: *Cum Maximinus*

ſecun-

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 305. *ſecundum adverſus noſtros bellum excitaſset anno tertio perſecutionis Diocletiani, & per omnes provincias miſſa eſsent Tyranni edicta, quibus Rectores jubebantur operam dare, ut omnes omnium urbium incolæ Diis publice ſacrificarent; cumque præcones per univerſam Cæſaream cunctos patresfamilias ad Dæmonum templum juſsu Præſidis evocarent, ac præterea Tribuni militum ſingulos ex tabella nominatim citarent &c.* Ex his autem, quæ Cæſareæ, ubi morabatur Euſebius, facta ſunt, de geſtis alibi conjectari poſſumus, quorum vix memoria ſupereſt.

Apphianus Urbanum Palæſtinæ Præſidem ſacrificantem redarguit.

15. Inter ceteros, qui Cæſareæ pro Chriſti fide certantes martyrii gloriam adepti ſunt, Apphianus, & merito, & ordine primus recenſetur, qui Pagas Liciæ locupletiſſimis parentibus natus, Beryti ſæcularibus ſtudiis vacaverat. In patriam deinde reverſus, cum ejus parentes *ex divinæ legis præceptis vivere recuſaverint*, patria, domoque paterna relicta, Cæſaream abiit, *ibi nobiſcum verſatus*, ait Euſebius, *ex divinæ Scripturæ lectione multum fructum collegit*, & congrua arctioris diſciplinæ exercitatione ad martyrium ſemet roboravit. Cum itaque omnes ubique locorum Chriſtiani inexplicabili malorum turbine concuterentur, adoleſcens *viginti annos natus*, Dei zelo ſuccenſus, *ad portas urbis Cæſareæ admirabile exemplum ſinceræ erga verum Deum pietatis, cunctis illius incolis ſpectandum præbuit; dum nemini communicato conſilio, clam nobis, qui in eadem domo degebamus, clam univerſa militum coborte, qui circa Præſidem ſtabat; ad Urbanum tunc forte libantem, intrepidus acceſſit, fidentique animo comprebenſa ejus dextera, e veſtigio quidem ſacrificium omittere ipſum coegit. Mox, inſtar prudentiſſimi monitoris, cum divina quadam gravitate hortari eum cœpit, ut ab errore deſiſteret; quippe abſurdum eſſe, ut poſthabito veri, ac ſolius Dei numine, ſimulacris, ac dæmonibus homines ſacra faciant &c.*

Euſ. de Martyr. Palæſt. cap. 4.

Apphiani confeſſio, & martyrium.

16. Quem hæc exitum ſortita ſint, quove furore a militibus, & a Præſide exceptus fuerit Apphianus, facile quiſque intelligit; ferarum ſcilicet more diſcerptus, innumeriſque verberibus affectus, in carcerem juſſu Præſidis conjectus eſt, pedibus in nervo diſtentis: poſtera autem die Urbano oblatus, ac ſacrificare juſſus, lateribus non ſemel, ſed iterum ac ſæpius ad ipſa uſque oſſa, & viſcera ſulcatis, ac plumbatarum ictibus in os, ac cervicem tandiu verberatus eſt, ut tume-

tumefacta facie, ne ab illis quidem, qui eum optime norant, agnoſceretur. Cumque tot ſuppliciis S. Martyris conſtantia non frangeretur, *tortores, juſſu Præſidis, linum oleo madefactum pedibus ejus circumponentes, ignem poſtea ſubjecerunt. Quo facto quantos beatiſſimus Martyr dolores perſenſerit, nulla, ut arbitror, ratione explicari poteſt*, ait Euſebius. *Ignis ſiquidem conſumptis ejus carnibus ad oſſa uſque penetrabat; adeout univerſus humor corporis ceræ inſtar liquefactus ſtillatim diffueret*. His tamen cruciatibus ne minimum quidem ceſſit.

Jesu Chr. an. 305.

17. Quare rurſus carceri nuncupatus, ac tertio poſt die Judici oblatus, eademque fidei confeſſione renovata, ſemivivus in profundum mare demerſus eſt. *Ea vero, quæ continuo ſubſecuta ſunt, illis fortaſſe ſi retulero, incredibilia videbuntur, qui oculis ſuis hæc minime viderunt. Verum tametſi id procul dubio eventurum intelligam, facere nullo modo poſſum, quin rem geſtam poſterorum memoriæ commendem, quippe cum univerſi propemodum incolæ urbis Cæſareæ teſtes hujus miraculi extiterint. Nulla certe ætas tam ſtupendæ rei ſpectaculo non interfuit*. Cum ſcilicet beatiſſimi Martyris corpus cum tanto maris fragore, ut & cælum, terramque concuſſerit, ad Urbis portas continuo apparuit, die ſecundo menſis Xanthici, quod eſt ante diem quartum nonas Apriles, feria ſexta, ait Euſebius.

Apphiani Martyris corpus in mare demerſum ad littus venit.

18. Apphiani fidem imitati ſunt Ulpianus adoleſcens, qui *iiſdem pene diebus*, quibus Cæſareæ Apphianus certavit, in urbe Tyro, poſt crudeles plagas, & acerbiſſima flagrorum verbera, una cum cane, & aſpide in culeo ex crudo bovis corio incluſus, in mare præcipitatus eſt. Nec multo poſt Ædeſius Apphiani Martyris frater, poſt iteratam fidei confeſſionem, poſt diuturnos carceris, & vinculorum cruciatus, ad metalla Palæſtinæ olim etiam damnatus, cum hoc tempore Alexandriæ eſſet, ac Judicem in Chriſtianorum cauſa debacchari, & pene furere cerneret, graveſque viros variis contumeliis afficere, nunc mulieres eximia caſtitate præditas, atque etiam virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus turpitudinis tradentem, fratris exemplo, cum ingenti animi fiducia accedens, verbis ſimul & factis illum pudore, atque ignominia perfudit; quare *multiplices & ipſe tormentorum cruciatus fortiter perpeſſus, tandem in mare præcipitatus, eodem, quo frater, genere mortis interiit*.

De Ulpiano, & Ædeſio Martyribus. *Cap. 5.*

JESU CHR. AN. 305.

Philippus Heracleæ Epiſcopus Baſſo Præſidi ſiſtitur, fidemque confitetur.

Bar. an. 362. num. 80. Martyr. Rom. die 22. Octob. Mabill. Analect. tom. 4. Ruinart. pag. 442.

19. Philippi Epiſcopi martyrium ad Juliani tempora retulit Baronius, quem Adrianopoli Epiſcopum fuiſſe ſcribit. Acta tamen a Mabillonio vulgata eum Heracleæ Præſulem, atque anno 304., vel labenti 305. martyrio coronatum fuiſſe teſtantur, de quo poſt plurima narrant: quod cum perſecutio immineret, Severum Presbyterum, & Hermen Diaconum cœleſti pabulo impenſius fovebat, ut quos habuerat in myſteriorum celebratione conſortes, haberet etiam in confeſſione collegas, & in paſſione ſocios. Die vero feſto Epiphaniæ populum admonuit, ne impiorum minas, aut tormenta timeret; dumque hæc S. Epiſcopus loqueretur, Ariſtemachus Stationarius civitatis advenit, ut Præſidis juſſu, impreſſis cera ſignis Eccleſiam clauderet. Hunc ſecutus eſt Baſſus Præſes, qui cum plebem una cum Philippo Epiſcopo congregatam vidiſſet: *Quis ex vobis*, inquit, *Chriſtianorum Magiſter eſt, aut Doctor Eccleſiæ?* Reſpondit Philippus: *Ego ſum ille, quem quæris*. Tunc Baſſus Imperatoris edicta commemoravit, quibus Chriſtianorum collectæ prohibebantur, & Chriſtianos, aut ad ſacrificia cogendos fore, aut ad pœnam rapiendos, juſſum erat: deinde vaſa omnia aurea, vel argentea, vel cujuſcumque metalli, aut artis una cum Dominicis Scripturis, ſibi tradi mandavit, *ne idem poſt tormenta faciatis*. Cui Philippus: *Si te noſtra, ut dicis, tormenta delectant, paratus eſt animus ad ferendum. Vaſa quæ poſtulas, quæcumque apud nos ſunt, mox accipe. Facile enim nos, qui a vobis pellimur, iſta contemnimus. Non enim pretioſo metallo Deum colimus, ſed timore; nec ornatus Eccleſiæ Chriſto plus poteſt placere, quam cordis. Scripturas vero nec accipere tibi, nec dare mihi convenit*. Qua fidei confeſſione edita, torqueri eum Præſes juſſit.

Hermes Diaconus torquetur, cum Philippo in carcerem conjicitur.

20. Cumque diu Philippus excruciaretur, Hermes Diaconus Præſidi dixit: *Etſi omnes Scripturas noſtras acceperis, ut nulla prorſus in Orbe Terrarum veſtigia veræ hujus traditionis appareant, nequaquam tamen efficies, ut Chriſti Religio apud poſteros deficiat*. Quibus dictis, ingreſſus eſt Diaconus, ubi vaſa omnia, & Scripturæ latebant, quem ſecutus eſt Publius adſeſſor Præſidis, homo furandi, ac rapiendi avidus, qui cum nonnulla abſcondere, & auferre tentaſſet, reſtitit ei Hermes Diaconus; at Publius reſiſtentem ſibi, fracta facie, effuſo etiam aliquanto cruore, fœdavit. Quibus cognitis Baſſus, ira-

Digitized by Google

iratus eſt Publio, & Hermen curari juſſit; Scripturas vero officio tradi, Philippum & cæteros ad forum adduci præcepit, ut ceteros terreret exemplo. Dum ad forum Chriſti Confeſſores perducerentur, Præſes Eccleſiam dirui, ac cremari, una cum ſacris Scripturis juſſit: *Tanta vero ad Cœlum flamma preceſſit, ut ſtantes ſingulos formido ab ſpectando arceret*.

Philippus, & Hermes ad ſacrificia tentantur, ſed fruſtra.

21. Interea Philippus longa oratione adſtantem populum exhortatus eſt, ut, idolorum vanitate relicta, ad Deum verum converteretur. Ad Cataphronium vero idolorum Sacerdotem, ejuſque miniſtros profana ſacra portantes, dixit Hermes: *Cœnam iſtam, quam cernitis, diabolica eſt invocatio, & ut polluat nos conſtat eſſe allatam*, eodemque tempore Baſſus forum ingreſſus, ingenti diverſi ſexus & ætatis multitudine adſtante, Philippo dixit: *Immola victimas numini*; reſpondit Philippus: *Quomodo poſſum lapides colere Chriſtianus*? At Baſſus: *Dominis noſtris ſacrificia rite ſolvenda ſunt*. Philippus vero: *Docti ſumus*, inquit, *parere majoribus, & obſequium Imperatoribus exhibere, non cultum*. Tum Baſſus: *Civitatis ſaltem ſacrifica Fortunæ; adſpice quam pulchra, quam læta eſt, quam ad obſequium ſuum omnem plebem libenter admittit*. Reſpondit Philippus: *Vobis debet placere, qui colitis; me vero non poterit ars hominis a cæleſti honore ſubtrahere. Moveat te vel præſentis Herculis tam pulchrum, ac tam immâne ſimulacrum*, addidit Præſes; cui Philippus: *Heu miſeros, & deflendos, qui Divinitatis ſacroſanctum numen ignorant! Heu infelices vos, qui cæleſtia ad terrena transfertis, & veritatis ignari invenitis, & facitis quod colatis! &c.* Quare Baſſus Philippi conſtantiam admiratus ad Hermen ſe convertit, ac iratus dixit: *Vel tu ſacrificium ſolve numinibus*. Reſpondit Hermes: *Non ſacrifico, Chriſtianus ſum*; cujus conditionis eſſet interrogatus: *Decurio ſum*, ait, *& Doctori meo in omnibus obſecundo*. Tunc Baſſus: *Si Philippus ad ſacrificium fuerit adductus, ſequeris auctorem*? Reſpondit Hermes: *Nec ego ſequar, nec ille vincetur; par enimnobis & virtus & animus eſt*. Cum vero Præſes incendium minitaretur, ſi in ſententia perſiſteret, leviorem, ac momentaneum ignem ſe ſpernere dixit ſanctus Diaconus, qui perennis incendii vim ſciret, quod diſcipulos diaboli longa tabe conſumpturum eſt. Rogatus Hermes, ut ſaltem diceret: *Valete Principes noſtri*, id etiam renuit; quare Baſſus truci vultu, & irata voce in carcerem eos trudi præcepit, eodem-

Jesu Chr. an. 305.

demque tempore protervi quidam viri tanto impetu alapam Philippo impegerunt, ut ſolo caderet. Sed ſanctiſſimus ſenex ſereno vultu e terra ſurrexit, nec indignationem oſtendens, nec dolorem. Diebus inde aliquot tranſactis, e carcere in domum Pancratii cujuſdam ſub cuſtodia recepti ſunt, ubi certatim non ſolum præſentia, ſed & omni officiorum genere Chriſtiani eos exceperunt, uſquedum in carcerem non multo poſt iterum conjicerentur.

Baſſo ſuccedit Juſtinus, qui Confeſſores crudelius vexat.

22. Dum hæc autem agerentur, Baſſo Præſidi annuus ſucceſſor advenit Juſtinus quidam, Baſſo longe crudelior, qui Philippo ad ſe vocato ait: *Tu es Epiſcopus Chriſtianus?* Reſpondit Philippus: *Ego ſum, negare non poſſum*. Juſtinus itaque commemoratis Imperatorum edictis, quibus Chriſtiani ad ſacrificia compellebantur, graviſſima minatus ſupplicia, niſi obtemperaſſet; atque Philippum in ſua ſententia perſeverantem, pedibus vinctum, per mediam urbem raptari, ac ſi ſupervixerit, iterum in carcerem trudi juſſit; quare Sanctus Epiſcopus, innumeris acceptis vulneribus, & per ſingula corporis membra laceratus, rurſus ad carcerem, fratrum manibus eſt reportatus. Paulo poſt cum Severus quidam presbyter diligentiſſime inquireretur, ſponte in medium prorupit, ac Juſtino oblatus, cum eadem conſtantia Juſtini exhortationes, ac minas reſpuiſſet, in carcerem quoque una cum Philippo receptus eſt.

Philippus, Severus, & Hermes, exactis in carcere menſibus ſeptem, Adrianopolim perducuntur.

23. Hermes deinde oblatus, illique iiſdem a Juſtino dictis, in carcerem iterum, utpote in ſuſcepta fide perſeverans, conjectus eſt, Adrianopolim deinde tranſlati ſunt, quo ut pervenit Præſes, *altera die publice in Thermis ſedens Philippum præcipit induci, & ait illi: quid hucuſque tractaſti? nam dilatio iſta ad mutandum tibi fuerat permiſſa. Sacrifica ergo, ſi vis liber effugere*. Cum id facere Sanctus Epiſcopus recuſaſſet, virgis eum diriſſime cædi juſſit: Hermes vero Diaconus, etſi in confeſſione fidei perſeveraſſet, a vexatione tamen tunc liber evaſit, eo quod, cum magiſtratum ibidem olim geſſiſſet, *obſequiis ſuis officium ſibi Præſidis obligaverat, qui occaſione redhibendæ gratiæ, pro ejus ſalute trepidabant*.

Philippus, & Hermes iterum Præſidi ſiſtuntur, igneque damnantur.

24. Poſt diem tertium Chriſti Confeſſores ad ſe iterum adduci juſſit Juſtinus, atque ad Philippum: *Cur tanta temeritate*, ait, *aptaris, ut, ſalute contempta, Imperatoris detrectes*

ſtes obedire mandatis? Philippus vero ſe Dei timore, non temeritatis inſtinctu ſacrificia averſari teſtatus eſt. Quare relicto eo ad Hermen Juſtinus converſus: *Si hunc ſenectus, vicina jam morte, cogit bona hujus lucis horrere, tu ſacrificando proſperiora non neglige.* At Hermes, eamdem ſibi cum Philippo mentem eſſe dixit, cumque plura in eam rem adderet, iratus Præſes exclamavit: *Tu ſic loqueris quaſi me poſſis facere Chriſtianum?* Reſpondit Hermes: *Non te ſolum, ſed & circumſtantes ſingulos opto fieri Chriſtianos; ceterum me ſacrificaturum eſſe ne credas.* Tunc Præſes, communicato cum adſeſſoribus conſilio, ſententiam tandem edidit, ut Philippus, & Hermes, præcepta Imperatorum negligentes, Romani etiam nominis appellatione indigni, vivi comburerentur. | JESU CHR. AN. 305.

25. Severus autem Presbyter, qui in carcere remanſerat, etſi de ſociorum exitu gauderet, dolebat tamen, quod eorumdem paſſionibus ſociari non meruiſſet; ac flexis genibus Deum deprecabatur, ut eadem ignis paſſione ſe quoque dignum faceret. Voti ſui compos factus, poſtera die Philippo & Hermeti in martyrio ſociatus eſt; ac ad ſupplicii locum perducti, atque ex more ad ſtipitem ligati, cum multa ad circumſtantes Hermes dixiſſet, ac filium ſuum per Vologium quemdam chriſtianum admonuiſſet, ut apud ſe depoſita cunctis fideliter redderet, a miniſtris flamma ſupponitur, *quibus ardentibus, quamdiu ſermo duravit, gratias reddebant, & in ultima gratiarum, Amen dulce reſonavit.* Eorum vero corpora cum poſt incendium integra permanſiſſent, in Hebro flumine mergi Juſtinus juſſit; ſed Adrianopolitani in chriſtiana Fide ferventes, Martyrum corpora a flumine expiſcata, duodecimo ab urbe lapide in loco, qui *Ogetiſtyron* dicebatur, abſconderunt, uſque dum reddita Eccleſiæ pace, honorificentiori ſepulturæ ea traderent. Sed de Actis Philippi Heracleæ Epiſcopi, & Sociorum, ab auctore coævo ſcriptis, hactenus.

Philippo, & Hermeti in martyrio Severus ſociatur.

26. In hac etiam perſecutione paſſi ſunt Vitalis, & Agricola, quorum corpora S. Ambroſius Bononiæ in Judæorum ſolo, & inter eorum ſepulcra invenit, eaque decentius ſepelienda curavit; quorum partem Florentiæ in Eccleſia, quæ olim Ambroſiana, nunc S. Laurentii dicitur, condidit. De horum Martyrum paſſione hæc inter cætera narrat Ambroſius: *Cum Sanctus Vitalis cogeretur a perſequentibus, ut Chriſtum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jeſum Chri-*

Vitalis, & Agricolæ martyrium. *Ambroſ. lib. de exhort. Virgin. cap. 1. 2. Paulin. Vit. Ambr. cap. 14.*

JESU CHR. AN. 305.

Chriſtum, omnia tormentorum genera in eum exercentibus, ut non eſſet in corpore ejus ſine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Jeſu Chriſte Salvator meus & Deus meus, jube ſuſcipi ſpiritum meum, quia jam deſidero, ut accipiam coronam, quam Angelus tuus mihi oſtendit; & completa oratione emiſit ſpiritum. S. Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipſis etiam inimicis diligeretur, ideoque differebant ejus paſſionem. Sed hæc perſecutorum honorificentia omni erat immanitate acerbior, quia invidebat martyrium; denique ubi non adquievit S. Agricola, crucifixus eſt. Vitalem, & Agricolam cum aliis Martyribus in eadem perſecutione paſſis celebrat Paulinus Nolanus:

Paulin. poem. 24. Martyr. Rom. 4. Novemb.

Hic ſociis pietate, fide, virtute corona
Martyres Agricola, & Proculo Vitalis adhærens
Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit.

Eorum autem memoria die quarta Novembris recolitur.

In Occidente perſecutio extinguitur.

27. Dum Galerii Maximiani Auguſti, & Maximini Cæſaris immanitas in Oriente Chriſtianos vexabat, in Occidente Conſtantii Imperatoris clementia, & Severi Cæſaris incuria paulatim perſecutionis flamma extincta eſt, quam duobus tantum annis in Occidente viguiſſe tradit Euſebius: *Quæ ulterius ſitæ ſunt regiones, Italia videlicet tota, & Sicilia, Gallia quoque, & quæcumque ad Occaſum ſolis pertinguntur Hiſpania, Mauritania, & Africa, cum vix duobus primis perſecutionis annis integris furorem belli expertæ eſſent, divini Numinis præſentiſſimum auxilium, & pacem brevi ſunt conſecutæ*; quam ideo paulatim hoc anno in Occidente deferbuiſſe vero proximum eſt.

Euſeb. de Martyr. Palæſt. cap.

Cirthenſe Concilium celebratur: in locum Pauli Epiſcopi, Silvanus ſubrogatur.

Optat. contra Parmen. lib. 1.

28. Sopitæ in Africa perſecutionis indicium exhibet Cirthenſe Concilium hoc anno celebratum, quo Epiſcopi undecim, in locum Pauli defuncti, Silvanum quemdam ordinarunt: *Poſt perſecutionem apud Cirtham civitatem*, ait Optatus, *quia Baſilicæ nondum fuerant reſtitutæ, in domum Urbani Cariſii conſederunt Epiſcopi undecim die iduum Majarum*. Auguſtinus vero eam Synodum *tertio nonas Martias* illigavit. At Optati lectio veriſimilior eſt, qua eruitur poſt abdicationem Imperii a Diocletiano, & Maximiano factam, Synodum habitam fuiſſe; cum ſcilicet perſecutionis fervor tepeſcere inceperat.

Cir-

Cirtha Numidiæ Metropolis erat, quæ *Conſtantina* poſtmodum dicta eſt, cum a Conſtantino aucta, exornataque fuit. Epiſcoporum undecim, qui Cirthæ convenerunt, nomina ab Auguſtino hoc ordine recitantur. Secundus Tigiſitanus Numidiæ Primas, Donatus Maſculitanus, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, Victor Ruſiccadenſis, Purpurius Limatenſis, Secundus minor, nepos Secundi Tigiſitani, Felix a Rotharia, Centurio, & Victor Garbienſis. Hi, teſte Optato, quatuor exceptis, traditores erant, qui cum congregati fuiſſent in domo Urbani Donati, *Secundus Epiſcopus Tigiſitanus dixit: Probemus nos primo, & ſic poterimus ordinare Epiſcopum. Secundus Donato Maſculitano dixit: Dicitur, te tradidiſſe. Donatus reſpondit: Scis quantum me quæſivit Florus, ut thurificarem, & non tradidit me Deus in manu ejus, frater; ſed quia Deus mihi dimiſit, ergo & tu ſerva me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi ſumus de Martyribus? quia non tradiderunt, ideo & coronati ſunt. Donatus dixit: Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus dixit: Accede una parte. Secundus Marino ab Aquis Tibilitanis dixit: Dicitur & te tradidiſſe. Marinus reſpondit: Dedi chartulas; nam Codices mei ſalvi ſunt. Secundus dixit: Tranſi una parte. Secundus Donato Calamenſi dixit: Dicitur te tradidiſſe. Donatus reſpondit: Dedi Codices medicinales. Secundus dixit: Tranſi una parte & alio loco. Secundus Victori a Ruſiccade dixit: Dicitur te tradidiſſe quatuor Evangelia. Victor reſpondit: Valentianus Curator fuit, ipſe me coegit, ut mitterem illa in ignem. Sciebam illa deletitia fuiſſe. Hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit: Tranſi una parte & alio loco. Secundus Purpurio a Limata dixit: Dicitur te necaſſe filios ſororis tuæ duos Milei. Purpurius reſpondit: Putas me terreri a te, ſicut & alteri? Tu quid egiſti, qui tentus a Curatore, & ordine, ut Scripturas dares? Quomodo te liberaſti ab ipſis, niſi quia dediſti, aut juſſiſti dari quodcumque? nam non te dimittebant paſſim; nam ego occidi, & occido eos, qui contra me faciunt; ideo noli me provocare, ut plus dicam. Scis me de nemine tractare. Secundus minor de patruo ſuo Secundo dixit: Audis, quæ dicat in te? Paratus eſt recedere, & ſchiſma facere, non tantum ipſe, ſed & omnes quos arguis, quos ſcio, quia dimittere te habent, & dare in te ſententiam, & remanebis ſolus hæreticus. Ideo quid ad*

Auguſt. contra Creſcon. lib. 3. cap. 30. tom. 9.

Optat. lib. 1.

Aug. pag. 449.

JESU CHR. AN.305. *ad te pertinet, quis quid agit? Deo habet reddere rationem. Secundus Felici a Rotharia Centurionis, & Victor a Garbe dixit: Quid vobis videtur? Reſponderunt: Habent Deum, cui reddant rationem. Secundus dixit: Vos ſcitis, & Deus: Sedete. Omnes reſponderunt Deo gratias.* Hactenus Concilii geſta ex Auguſtino, quibus conſtat, Secundum Numidiæ Primatem cum aliis ſex traditores fuiſſe, Codicum ſcilicet Scripturarum, & vaſorum Eccleſiæ: quod & conſtat ex Actis Zenophili viri Conſularis juſſu Conſtantini geſtis, quibus habetur, Silvanum Subdiaconum tempore perſecutionis vaſa Eccleſiæ tradidiſſe, quem tamen hac eadem ſententia Synodi in locum Pauli defuncti Cirthenſis Eccleſiæ Epiſcopus eſt ordinatus; quare ad Epiſcopos traditores dictum *ſedete*, quorum cauſas judicio Dei reſervatas voluerunt, ut iidem Epiſcopi teſtantur: *Quia Deus mihi dimiſit, ergo & tu ſerva me Deo*, & infra: *Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem*. Sed & ii, qui a traditionis ſcelere immunes erant, in eamdem, pro unitate ſervanda, abierunt ſententiam, dicentes: *Habent Deum, cui reddant rationem*. Hæc diligentius notanda fuerunt, quia iidem ipſi Epiſcopi traditores una cum Silvano a Cirthenſi Concilio in locum Pauli Epiſcopi eidem Eccleſiæ ordinato, non multis ab hinc annis Cœcilianum Carthaginenſem Epiſcopum traditionis falſo inſimulatum, Donatiſtarum Schiſmati fundamenta poſuerunt; de quibus audiendus eſt Optatus: *Hi, & ceteri, quos Principes ſuos fuiſſe paulo poſt docebimus, poſt perſecutionem apud Cirtham civitatem* (quia Baſilicæ nec dum fuerant reſtitutæ) *in domum Urbani Cariſii conſederunt die Iduum Majarum, ſicut ſcripta Nundinarii tunc Diaconi teſtantur, & vetuſtas membranarum teſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus &c. Hi*, inquam, *Epiſcopi, interrogante Secundo Tigiſitano, tradidiſſe confeſſi ſunt*. Quorum cauſam Deo Secundus a Purpurio, conſentientibus Victore Garbienſi, & Felice a Rotharia, Dei judicio reſervandam cenſuit; quare ſubdit Opatus: *Habes, Parmeniane frater, qui manifeſto fuerint Traditores*. Eademque pluribus in Actis Munatii Felicis Cirthenſis Coloniæ Curatoris, & Zenophili viri Conſularis narrantur.

Optat. lib. 1.

De anno Concilii Cirthenſis. *Baron. ann. 303.*

29. Sed Auguſtinus etiam, contra Creſconium ſcribens, & in breviculo collationis eadem commemorat, quæ longum eſſet exſcribere. Falſa inſcriptio, quæ actis Concilii Cirthenſis legebatur, Diocletiano ſcilicet *octies, & Maximiano Septies*,

ptìes, doctiſſimos viros decepit, ut anno 303. illud habitum fuiſſe ſcriberent; legendum tamen eſſe poſt Conſulatum Diocletiani nonum, & Maximiani octavum, tertio nonas Martias, adnotarunt Maurini editores S. Auguſtini, quibus alii Eruditorum paſſim ſubſcribunt. Siquidem Auguſtinus ipſe in breviculo Collationis tradit, Martyrum Acta ſignata fuiſſe *Diocletiano novies*, *& Maximiano octies*, ideſt anno elapſo 304. Concilium vero Cirthenſe *poſt eorumdem Conſulatum tertio nonas Martias*. Quare aut Auguſtini locus in libro contra Creſconium, quo Cirthenſe Concilium cum Diocletiani conſulatu nono, & Maximiani octavo conjunxit, corruptus eſt, aut in breviculo Collationis emendavit. Verum labenti anno Cirthenſe Concilium habitum fuiſſe, dubitari vix poteſt; nam anno proximo, cum adhuc perſecutio vigeret, Paulus Cirthæ Epiſcopus erat, ut Acta Munatii Felicis teſtantur, quibus hæc habentur: *Diocletiano octavum*, *& Maximiano ſeptimum*, *ſeu Diocletiano nonum*, *& Maximiano octavum*, ut Auguſtinus in breviculo Collationis loco ſupracitato exhibet, ideſt anno 304. *decimonono Kal. Junias ex Actis Munatii Felicis Curatoris Coloniæ Cirthenſium*, *cum ventum eſſet ad domum*, *in qua Chriſtiani conveniebant*, *Felix Curator Paulo Epiſcopo dixit &c.* Sed & Silvanus Cirthenſis Eccleſiæ poſt Paulum Epiſcopus eo tempore inter Subdiaconos nominatur: *Sedente Paulo Epiſcopo*, ut iiſdem Actis legitur, *Montano Victore*, *Deuſatelio*, *& Memorio Presbyteris*, *adſtante Marte*, *cum Elio Diacono*, *Marculio*, *Catulino*, *Silvano*, *& Caroſo Subdiaconis &c.*

Auguſt. contra Creſcon. lib. 3. cap. 30.
Not. ad eundem locum Aug.
Pag. ad an. 303.
Valeſ. Tillem. to. 5. pag. 595.
Baſnag. an. 305.
Noriſ. ut ſupra cap. 5.
Auguſt. brevic. collat. die tertia cap. 17. num. 32.
Auguſt. lib. 3. contr. Creſcon cap. 33.
Auguſt. loc. ſupr. cit. contra Creſcon.

30. Illyberitanæ Synodi epocha adeo obſcura eſt, ac de ea Eruditorum ſententiæ ita variæ ſunt, ut certi quidquam proferre impoſſibile ſit. Commenta quidem ſunt eruditis viris indigna, ut Daguirreus adnotat, eam ad ſæculum uſque ſeptimum, octavum, vel duodecimum etiam differre, vixque probabilis clariſſimi Morini opinio, qua Illyberitanam Synodum ante Decii perſecutionem, & annum ante 250. celebratam fuiſſe tradit, quam quarto ſane ineunte ſæculo habitam fuiſſe, inter eruditos convenit. De anno tamen nullus conſenſus, cum alii quarti ſæculi initio, & anno 301, 302, 303, 304, vel quinto, alii circa tempora Nicænæ Synodi celebratam; alii vero uſque ad annum 336., aut uſque ad 362., & ultra protrahendam cenſeant. In tanta opinionum varietate veroſimilior ea nobis videtur, quæ

De epocha Illyberitanæ Synodi.
Card. de Aguir. Concil. Hiſp. tom. 2. diſſert. 1.
Nat. Alex. diſſert. 21. ad Sæc. III.
Morin. de pœnit. lib. 9. c. 19
Baron. 305. 39.
Baſnag. 305. 14.

JESU CHR. AN. 305.

Dupin. ſæcul. 4. pag. 1075.

quæ Illyberitanam Synodum cum anno 305. conjungit, cum Diocletianus, & Maximianus Imperio ſponte ceſſiſſent; unde deſerveſcente perſecutione Cirthenſis in Affrica, Illyberitana in Hiſpania Synodus habita eſt, quod vel ipſi Illyberitanæ Synodi canones indicare videntur. Neque his obſtat, quod eidem Synodo Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Valerius Cæſarauguſtanus ſubſcripti legantur, qui in perſecutione Diocletiani Fidei Confeſſores fuerunt, ut de Valerio ex Actis paſſionis S. Vincentii conſtat; de Oſio vero idem ipſe teſtatur in epiſtola ad Conſtantinum: *Ego confeſſionis munus explevi primum, cum perſecutio moveretur ab avo tuo Maximiano*. Nam etſi ob Fidei confeſſionem carceribus mancipati fuerint, ut de Valerio ex ſupracitatis Actis apparet, ea tamen ſopita, libertatem adepti, Synodo adeſſe potuerunt; cum præcipue nullibi conſtet, eoſdem, ob confeſſionem fidei, in exilium miſſos fuiſſe: quod etſi adhuc evinceretur, cito quoque Eliberim ad Synodum redire poſſe perſpicuum eſt. Nec hactenus dictis de Synodo, poſt Diocletiani perſecutionem habita, ſcrupulum movere debet ejuſdem Synodi titulus, quo legitur: *Cum conſediſſent Sancti, & Religioſi Epiſcopi in Eccleſia Illyberitana*, quaſi poſt eam perſecutionem Chriſtianorum Eccleſiæ nullæ ſuperfuerint, quas edictis ſuis dirui Diocletianus juſſerat; nam etſi vera hæc ſint, negari tamen non poteſt, templa aliquot edictis Diocletiani, & Gentilum furori ſuperſtitiſſe: certe quod Neoceſareæ Gregorius Thaumaturgus extruxerat, Conſtantini adhuc ætate integrum perſeveraſſe, Auctor eſt Nazianzenus; quare nil mirum & Illyberitanum poſt perſecutionem remanſiſſe.

Mendeſa to. 1. Concil. Hiſp. Daguir. to. 2. Tillem. Hiſt. Eccl. tom. 7. pag. 711. Nat. Alex. ut ſupra. Apud Athan. tom. 1.

De urbe Illyberi, & de Epiſcoporum numero, qui ad eam Synodum adfuerunt.

31. His de Illyberitanæ Synodi epocha adnotatis, de loco paucis nos expediemus. Licet etenim duæ ejuſdem nominis urbes fuerint, quarum Plinius meminit, una in Narbonenſi provincia, altera in Hiſpania Betica; apud Eruditos tamen convenit in hac, cujus veſtigia in monte prope Granatam adhuc extant, (qui etiamnum mons Elbiræ nuncupatur), Synodum habitam fuiſſe, illique Epiſcopos undeviginti ex variis Hiſpaniæ provinciis, quorum nomina, & ſedes apud Labbeum videri poſſunt, conveniſſe una cum presbyteris aliquot, & Diaconis, ac ex laicis quamplurimis, qui eiſdem ſe adjunxerunt. Inter Epiſcopos illuſtriores numerantur Oſius Cordubenſis, & Valerius Cæſarauguſtanus, ambo confeſſione Fidei illuſtres. Oſius etiam ob legationes, laboreſque pro Eccleſia Catholica adverſus

Plin. lib. 3. 4. Ptolom. lib. 2. tab. 2. cap. 4. Mendoſa to. 1. Concil. Hiſp. Tillem., Nat. Alex., Dupin. Concil. tom. 1.

ſus Arianos ſuſceptos, celebrior, necnon Conſtantino Imperatori cariſſimus, & familiaris, ac Nicæni Concilii Præſes, ut infra ſuo loco videbimus.

De Canonibus Illyberitanæ Synodi. *Dupin. ſæc. 4. pag. 1076.*

32. Canones octoginta unus Illyberitanis Patribus communiter inſcribuntur. An autem tot ab ejuſmodi Synodo conditi fuerint, Eruditorum nonnulli dubitant; ac octoginta canones eidem adſcriptos, antiquam potius Eccleſiæ Hiſpanæ collectionem canonum eſſe autumant, quippe quæ Illyberitanos quoque contineret, ab illiſque inciperet: & licet iis deinde alii additi fuerint; nihilominus, tanquam ab Illyberitana Synodo conditi, ceteri etiam ad poſteros tranſmiſſi ſunt, ut & de Romanæ Eccleſiæ canonum Codice factum ſcimus, qui cum Nicænos canones primo loco contineret, deinde Sardicenſes, alioſque; omnes tamen pro Nicænis aliquando habiti ſunt.

Coutan. præf. in epiſt. Rom. Pontif. pag. 69. 71. *Queſnell. præf. in Codicem Canonum Rom.*

De Illyberitanæ Synodi auctoritate.

33. Hi autem Canones, ſive omnes Illyberitani ſint, ſive eorum tantum pars maxima; omnes eamdem ſibi vindicant auctoritatem, ac Eccleſiæ Hiſpanæ diſciplinam, quæ quarto ineunte ſæculo vigebat, exhibent. Hinc cum nonnulla adverſus Illyberitanos Patres minus caute, anno 57. num. 121., Baronio excidiſſent, quod & aliis quoque eruditis viris acciderat; pro ſumma, qua ornatus erat, modeſtia hæc adnotans retractavit: *Quamobrem paulo liberius de Illyberino Concilio me alias locutum eſſe memini. At cum, quæ ab illis de ea re ſunt ſtatuta, excuſentur ab eodem Innocentio primo Romano Pontifice, nemo ſit, qui accuſare præſumat.* Et ſane memoratis Patribus, eorumque Canonibus conciliarunt auctoritatem ſequentium ſæculorum Concilia, Patres, & Eccleſiaſtici Scriptores, qui data occaſione ejuſdem Synodi canones laudarunt, Sardicenſe ſcilicet Concilium, utrumque Moguntinum ſub Rabano, & ſub Arnulpho, Colonienſe, & Sueſſionenſe, actione ſexta; ſed & canonum Collectores, ut Martinus Bracharenſis, Burchardus, Ivo, aliique recenſitam Synodum plurimi fecerunt, ac ejuſdem Decreta collectionibus ſuis inſeruerunt. Quod ſi nonnulla ab Illyberitanis Patribus ſtatuta ſunt, quæ cum præſentis temporis diſciplina conciliari vix poſſunt, cujuſmodi ea ſunt, quæ de deneganda, in fine etiam vitæ, graviorum criminum reis communione; cum hæc, inquam, ad diſciplinam Eccleſiæ ſpectent, varia pro temporum, locorumque varietate eſſe poſſunt, ac propterea non ſine injuria eos, aut

Baron. ann. 305. num. 41.

Can. 1. 2. 3. 6. 7. 8. &c.

aut Novatianis prælusiſſe, aut Montaniſtis faviſſe, nonnulli ſuſpicati ſunt. Nam præterquamquod eorum ſententia eo ſenſu explicari commode poteſt, ut communionis nomine Euchariſtiam tantum graviorum criminum reis denegaverint, non vero peccatorum abſolutionem, ſi peccatorum quoque abſolutionem graviorum criminum reis in vitæ exitu negandam eſſe cenſuerunt Illyberitani Patres; nihilominus eorum ſententia a Novatianorum, aut Montaniſtarum erroribus longe diſtabat: nam Novatiani æque ac Montaniſtæ capitalium criminum reos ab agenda pœnitentia excludebant, eo quod nullam in iis remittendis auctoritatem Eccleſiam habere cenſerent. Illyberitani vero Patres capitalium etiam criminum reis peracta legitima pœnitentia, aut in exitu ſaltem dandam eſſe indulgentiam non ſemel ſtatuerunt: quod ſi aliquando eamdem communionem, & reconciliationem denegarunt, id non *deſperatione indulgentiæ*, ut ait Auguſtinus, *ſed rigore diſciplinæ ſtatuerunt*. Inſuper Innocentius Papa I. ab Exuperio Tholoſano Epiſcopo interrogatus, quid cum iis agendum eſſet, qui ad finem uſque vitæ voluptatibus dediti vixerant, ac in extremo vitæ reconciliationem, & communionem expoſcebant, eidem reſcribit, iis quidem dandam eſſe pacem, & communionem, licet prior obſervatio durior eſſet, quam nihilominus nec reprobat, aut erroris condemnat: *De his*, inquit, *obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior; nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur; nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſæ facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, merito negata communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis reddidit, jam depulſo terrore communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſequi videamur*. Hæc Innocentius Papa, quem ad Illyberitanorum canonum ſeveritatem reſpexiſſe non eſt dubitandum.

Auguſt. epiſt. 50.
Apud Coutan. pag. 792.

Expoſitio Canonum 34. & 36.

34. Nec pluris ea facienda ſunt, quæ ad minuendam Illyberitanis Patribus auctoritatem objici ſolent ex eorumdem canone trigeſimo quarto, aut trigeſimo ſexto, quorum primo cautum eſt: *Cerei per diem, placuit, in Cœmeterio non ſint.*

Qui

Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione. Canone vero altero: *Placuit picturas in Eccleſia non eſſe, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus dipingatur*. Ad retrudendam quidem Illyberitanis Patribus invidiam, variæ ab eruditis viris horum canonum proferri ſolent expoſitiones: nos tamen non alium, quam verba exhibent, ſenſum quærimus, ita ut Patribus placuerit non eſſe accendendos cereos per diem in cœmeteriis, aut picturas in Eccleſiis locandas; quia vero ad fidem hæc non pertinent, ſed ad Eccleſiæ diſciplinam, fieri plane potuit, ut ſanctum Illyberitanis Patribus viſum fuerit, tunc temporis, quo Idololatriæ reliquiæ nondum extinctæ fuerant, ea prohibere. *Imagines* quippe, ut adnotat inter Theologos celeberrimus Petavius, *ex eorum per ſe numero ſunt, quæ Adiaphoræ vocantur, hoc eſt, quæ ad ſalutem omnino neceſſaria non ſunt, nec ad ſubſtantiam Religionis attinent*. Quæ cum ita ſint, ad Eccleſiæ auctoritatem pertinet pro temporum, locorumque varietate iis uti, eademque prohibere, prout fidelium utilitati expedire judicaverit: quo factum eſt, ut primis Eccleſiæ ſæculis, cum adhuc Ethnicorum in eam furor exardeſceret, & in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum ſuperſtitio, infrequens eſſet ſacrarum Imaginum uſus, idemque de cereis in Eccleſia accendendis, ac reliquo divini cultus externo appartu, dici poteſt. Sed de his hactenus: qui plura cupit, eruditiſſimos viros adeat, qui longioribus commentariis Illyberitanos canones illuſtrarunt, eorumque auctores vindicarunt.

Bona liturg. lib. 1. 26.
Alphab. ut ſup.
Bellarm. lib. 2 de imag. cap. 9
Nat. Alex. ut ſup.
Dupin. pag. 1082.
Petav. Teol. Dog. de Incarnat. lib. 15. cap. 13.
Mendoſa to. 1 Concil. Hiſp.
Alphab. Nat. Alex. ut ſup.

35. Sed, inquit Baſnagius, *cum ea diſciplina*, quæ cereos per diem accendi vetat, & picturas ab Eccleſiis removet, *& antiqua ſit, & prudentiſſima, ab ea diſcedere tutum non exiſtimamus. Sapientis quippe veſtigiis vetuſtatis quantum licet incedere decentius eſt*. At ſapientis ne, & tutum erit, ut a Lutheranis, & Calvinianis factum eſt, Eccleſiæ unitatem ſcindere, ſchiſma facere, eo quod in Eccleſia cerei accendantur, & picturæ in Eccleſiis retineantur? Nonne potius ſapientis eſt eum in Eccleſia ſequi morem, conſuetudinemque, quam antiquitus etiam, atque a plurimis retro ſæculis ubique ſervatam fuiſſe, innumeris conſtat exemplis? Itaque ſi ſapientis eſt, antiquorum veſtigiis inhærere, laudabile erit, & cereos per diem in Eccleſiis accendere, & picturas in iiſdem retinere; cum earum rerum uſus duodecim ſaltem ſæculorum curriculo confirma-

Baſnagius confutatur.
Baſnag. an. 305. 18.

Jesu Chr. An. 306. firmatus, comprobatuſque ſit, ut teſtes ſunt Hieronymus, Paulinus, Prudentius, aliique ſexcenti, quorum teſtimonia exſcribere ſuperfluum eſt.

JESU CHRISTI AN. 306. SEDES ROMANA vacat.
GALERII MAXIMIANI IMP. 2. SEVERI IMP. I.
MAXENTII, ET MAXIMIANI HERCULEI iterum anno I.
COSS. GALERIO MAXIMIANO AUG. VI.,
ET CONSTANTIO AUG. VI.
OLYMP. 271. AN. 2. URBIS AN. 1059.

Conſtantinus ad Patrem pergit.

1. Galerium Imperatorem Conſtantius ſæpe rogaverat, ut filium Conſtantinum Nicomediæ agentem ad ſe remitteret, quem apud ſe veluti captivum hactenus Galerius detinuerat, ne Imperio patri unquam ſuccederet, cui Licinium ſucceſſorem deſtinaverat: *Nondum animum intenderat ad evertendum, pellendumque Conſtantium*, ait Lactantius, *ſed tam celeriter non putabat obiturum: qui cum graviter ægrotaret, miſerat litteras, ut filium ſuum Conſtantinum ſibi remitteret videndum, quem jamdudum fruſtra repetierat. Ille vero nihil minus volebat, nam & inſidiis ſæpe juvenem adpetierat, quia palam nihil audebat, ne contra ſe arma civilia, &, quod maxime verebatur, odia militum concitaret. Sed obtentu exercitii, ac luſus, feris illum objecerat*. Cumque miſſionem ſæpius poſtulaſſet Conſtantinus, dedit ei tandem, inclinante jam die, ſigillum, quo publicis equis uti poſſet; præcepit tamen, nonniſi poſtridie mane profecturum, ſperans adhuc eum prætextu aliquo retinendum, *vel præmiſſurus litteras, ut a Severo teneretur*, ſubdit Lactantius. At Conſtantinus, quem Galerii non latebant fraudes, & inſidiæ, quieſcente jam Imperatore, poſt cœnam properavit exire; ſublatiſque per manſiones multas omnibus equis publicis, evolavit, ſeſeque e Galerii poteſtate eripuit. Cumque conſulto Galerius ad meridiem uſque dormiſſet, vocari Conſtantinum jubet; at poſt cœnam ſtatim diſceſſiſſe intelligens, *indignari, ac fremere cœpit; poſcebat equos publicos, ut retrahi faceret, nudatus ei curſus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate uſus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei militibus commendato Imperium per manus tradidit; atque ita in lecto ſuo requiem vitæ, ſicut optabat, accepit*, ait Lactantius.

Lactant. de mort. perſec. cap. 24.

2. Cum

2. Cum ad patrem properaret Conſtantinus, ait Anonymus Valeſianus, *ut Severum per Italiam tranſiens vitaret, ſumma feſtinatione, veredis poſt ſe truncatis, Alpes tranſgreſſus ad patrem Conſtantium venit apud Bononiam*, deinde Eboracum tranſiit, ubi paulo poſt Conſtantius occubuit; unde Eumonius in panegyrico: *Jam tunc cæleſtibus ſignis, ſuffragiis ad ſalutem Reipublicæ vocabaris, cum ad tempus ipſum, quo Pater in Britanniam transfretabat, claſſi jam velæ facienti, repentinus tuus adventus illuxit, ut non advectus curſu publico, ſed divino quodam advolaſſe curriculo, videreris.* Dum itaque ad patrem morientem perveniſſe Conſtantinum, tradit Lactantius, latius hæc intelligi debent, eo quod adverſa valetudine laboraret; hinc ferme poſt menſem extremum diem Eboracii obiit Conſtantius, die 25. Julii, ut apud Idacium in Faſtis, & Socratem legimus. Moriens Conſtantius præter Conſtantinum primogenitum ex Helena ſuſceptum, & Imperii hæredem, ſex alios ex Theodora Herculei filia reliquit liberos.

Conſtantii Imp. obitus, cui Conſtantinus ſuccedit.

Socrat. lib. 1. cap. 1.

3. Poſt patris obitum *Conſtantinus paterna ornatus purpura, paternis ædibus progreſſus funus paternum antecedens, cum ingenti amicorum paternorum multitudine, quorum alii anteibant, alii ſubſequebantur, pulcherrimo apparatu exequias Deo devoti Principis celebravit*, quem & Apotheoſi, juxta Ethnicorum morem, donatum fuiſſe, numiſmata teſtantur. Euſebius vero: *Primuſque ab ipſis Gentilibus relatus eſt inter divos, cunctiſque honoribus, qui Imperatori debentur, poſt obitum ornatus.* Interea, eodem Euſebio teſte, cuncti Cõnſtantinum Imperatorem acclamationibus, & laudibus proſequebantur, unoque animorum conſenſu novum Principem, ac beatiſſimum Auguſtum primo ſtatim impetu appellabant. Sed & omnes provinciæ ejus Imperio ſubjectæ, maximo gaudio, & inexplicabili lætitia perfuſæ ſunt, utpote quæ ne minimo quidem temporis momento Imperiali providentia deſtitutas ſe fuiſſe ſenſiſſent. Victor etiam in Epitome, maximo omnium conſenſu & exultatione Conſtantini inaugurationem exceptam fuiſſe narrat. *Cunctis*, inquit, *annitentibus, ſed præcipue Eroco Alemannorum Rege, auxilii gratia Conſtantinum comitato.* Cum Imperium Conſtantinus obtinuit, *nihil egit*, ait Lactantius, *quam Chriſtianos cultui, ac Deo ſuo redderet. Hæc fuit prima ejus ſanctio ſanctæ Religionis reſtitutæ.*

Conſtantinus integram pacem Eccleſiis reddit.

Euſeb. Vita Conſt. li. 1. 22.

Euſeb. lib. 8. 13.

4. An-

Jesu Chr. an. 306.

De Conſtantini ætate, & dotibus. *Lactant. de mort. perſec. cap. 18.*

4. Annorum triginta erat Conſtantinus, cum feliciſſimus Orbi dies illuxit, quo Imperio potitus eſt, vir non ingenio tantum, & corporis forma ſpectabilis, ſed egregiis animi dotibus ornatiſſimus: quare Lactantius ſanctiſſimum, & illo faſtigio digniſſimum dicit. Multa etiam de eodem cum laude memorat Victor in Epitome: *Commodiſſimus rebus multis fuit, calumnias ſedare legibus ſeveriſſimis, nutrire artes bonas, præcipue ſtudia litterarum, legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes, & querimonias provinciarum.* Bellica quoque virtute eum excelluiſſe, de hoſtibus reportatæ victoriæ teſtantur, de quibus infra. Præceteris tamen ſuſcepta ab eo chriſtiana Fides, unde quam maxima in Eccleſiam, in Imperium emolumenta derivarunt, ejus nominis memoriam poſteritati commendavit. Quatuor libris de ejuſdem Vita conſcriptis, præclare ab eo geſta perſecutus eſt Euſebius, ex quo ſingulis fere annis, quibus imperavit, potiora ſaltem annalibus noſtris inſeremus.

Galerius Maximianus Severum Auguſtum, ConſtantinumCæſarem creat. *Lactant. de mort. perſec. cap. 25.*

5. Ut paternum Imperium ſuſcepit Conſtantinus, ad Seniorem Imperatorem, ideſt ad Galerium Maximianum laureatas imagines miſit, ut iis receptis, Imperio ſocius admitteretur. *At deliberavit diu*, ait Lactantius, *an ſuſciperet; in eo penes res fuit, ut illam, & eum, qui attulerat, exureret, niſi eum amici ab illo furore flexiſſent, admonentes eum periculi, quod univerſi milites, quibus invitis, ignoti Cæſares erant facti, ſuſcepturi Conſtantinum fuiſſent, atque ad eum concurſuri alacritate ſumma, ſi veniſſet armatus. Suſcepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipſi purpuram miſit, ut ultro adſciviſſe illum in ſocietatem videretur.* Cæſarea tamen dignitate tantummodo exornatum voluit; quare Severum ex Cæſaribus alterum, in Conſtantii defuncti locum, Auguſtum, Imperiique ſocium nuncupavit: *Sed illum excogitavit*, addit Lactantius, *ut Severum, qui erat ætate maturior, Auguſtum nuncuparet, Conſtantinum vero non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum.* Et ſane eum Cæſarea tantum dignitate tunc exornatum fuiſſe numiſmata plurima teſtantur.

Maxentius Romæ Imperator creatur. *Lactant. cap.*

6. *Compoſitæ quodammodo res jam Galerio videbantur*, ait Lactantius, *cum ſubito illi alius terror allatus eſt, generum ipſius Maxentium Romæ factum Imperatorem.* Maxentius enim, cum Imperatoris filius eſſet, Herculei ſcilicet, qui Impe-

Digitized by Google

Imperio, ut diximus, ſe abdicaverat, & Imperatoris gener, idest, Galerii Maximiani, cujus filiam duxerat, ut Zozimus, & Lactantius teſtantur, ſibi præcipue Imperium deberi exiſtimabat: quod cum ad extraneos delatum vidit, ad Severum nempe, qui Auguſtus a Maximiano poſt Conſtantium dictus eſt; tum ad Maximinum, & Conſtantinum Cæſarea dignitate exornatos, ultra expectandum, aut quieſcendum non cenſuit. Quare cum *Romæ Imperatoris Conſtantini imago eſſet exhibita*, ait Zozimus, *Maxentius, Maximiani Herculei filius non tolerandum ratus, Conſtantino quidem ex animi ſententia rem ſuccedere, qui muliere non matrona genitus (Helena ſcilicet ignobili genere), ſe vero talis Imperatoris filium deſidem hærere domi, aliis paternum Imperium obtinentibus, adjunctis ſibi conatus hujus adminiſtris Marcellino, & Marcello tribunis militum, & Luciano ſuillæ carnis præbitore, quam Fiſcus Populo Romano largiebatur, & aulicis præterea militibus, quos Prætorianos vocant, in regium ab illis ſolium collocatus eſt*. Romanorum vero defectioni Galerii Maximiani rapacitas ſtimulum addidit: *Cum enim*, ut ait Lactantius, *ſtatuiſſet, cenſibus inſtitutis, Orbem terræ devorare, ad hanc uſque proſilivit inſaniam, ut ab hac captivitate ne Populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam Cenſitores, qui Romam miſſi deſcriberent plebem. Eodem fere tempore caſtra quoque Prætoria ſuſtulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in caſtris relicti erant, opportunitatem nacti, occiſis quibuſdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpura induerunt; quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus eſt, nec tamen minimum territus, & oderat hominem, & tres Cæſares facere non poterat. Satis viſum eſt, ſemel feciſſe, quod noluit*; dum ſcilicet Conſtantinum Cæſarem vel invitus agnoverat. Itaque Severo arceſſito, ad recipiendum Imperium hortatur, atque *cum exercitu Maximiani* Herculei jam exauctorati, ad expugnandum Maxentium Romam miſit. Quem exitum hæc habuerint, ſequenti anno videbimus.

JESU CHR. AN. 306.

Zozim. hiſt. lib. 2.

Lactant. cap. 26.

7. Cum Maxentius *ſexto Kal. Novembris*, ideſt 27. Octobris Imperator Romæ nuncupatus eſſet, ut habet Lactantius, quæ exinde contigerunt, ad ſequentem annum pertinent. Ab Herculeo vero, & Galerio, & quod pluris eſt, a patre, & ſocero Maxentius ab Imperii ſucceſſione excluſus fuerat, ob perditiſſimos ejuſdem mo-

De Maxentii Imp. moribus.

Lactant. de mort. perſec. cap. 44.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 306.

mores : *Tantæ quippe pernicioſæ, ac malæ mentis erat*, ait Lactantius, *adeo ſuperbus, & contumax, ut neque patrem, neque ſocerum ſolitus ſit adorare, ideoque utrique inviſus*; cumque multa de ejuſdem crudelitate, avaritia, ac libidine Euſebius referat, inter cetera adnotat, eum ad captandam Rom. Populi benevolentiam, chriſtianæ Fidei profeſſionem ſimulaſſe ac Chriſtianorum perſecutioni finem impoſuiſſe: *Fictam ſcilicet pietatis ſpeciem præſeferens, utque benignior multo, atque humanior ſuperioribus Principibus videretur*. Progreſſu tamen temporis ad omnia ſcelera, & flagitia, æſtu quodam mentis ſe uſque adeo abripi paſſus eſt, ut nullum impietatis, aut libidinis genus prætermiſerit. Nam & adulteria, & cujuſquemodi ſtupra perpetrabat, uxores vero a viris abſtractas, poſt expletam libidinem, ad maritos denuo remittebat; nec viles dumtaxat, & obſcuros homines hujuſmodi injuriis afficiebat, ſed eos etiam, qui in Senatu Romano principem locum obtinebant. Inter eas nobiliſſimæ cujuſdam, & caſtiſſimæ chriſtianæ Matronæ meminit Euſebius, quæ cum uxor Præfecti urbis eſſet, ut Maxentii ſatellites in domum ſuam irrupiſſe vidit; ne ad eum perducta adulterio pollueretur, cubiculum ſuum ingreſſa, gladio ſe confixit, inanime corpus Tyranno deferendum relinquens, cujus in obeunda morte fortitudinem, aut in caſtitate, fideque maritali ſervanda propoſitum, plus juſto ibidem, alibique ab Euſebio celebratum fuiſſe, jam antea adnotavimus anno 303. num. 17. Effuſam libidinem in Maxentio vincebat crudelitas, ita ut quadam die, leviſſima de cauſa, Populum Romanum militibus Prætorianis tradiderit occidendum; *atque ita innumerabilis multitudo Populi Romani, non Scytharum, ac Barbarorum, ſed civium ſuorum haſtis, armiſque in media urbe trucidata eſt*. Senatorum etiam plurimos, ut bona eorum invaderet, fictis criminibus accuſatos interfecit, atque eo etiam pervenit dementiæ, ut magicæ artis cauſa, mulieres gravidas nunc diſſecaret, nunc puerorum in extiſpicio futura inveſtigaret, aut Leones mactaret: nefanda etiam quædam peragens ſacra, ad dæmones evocandos, & ad bellum, quod jam imminebat, depellendum.

Euſeb. lib. 8. 14.

Domnina, Berenices, & Proſdoces in fluvium ſe præcipitant.

8. Inter eas, quæ vita ſponte ceſſerunt, ne a perſecutoribus tenerentur, illuſtriores fuere Domnina cum filiabus ſuis Bernice, & Proſdoce, quæ in profluentem ſeſe injecerunt, ne virginitatis jacturam facerent: quarum etſi nulla apud Lati-

Chryſoſt. hom. 51. ad Populum Antioch.

Latinos occurrat memoria, apud Græcos tamen celeberrimas fuiſſe Joannes Chryſoſtomus indicat, qui die earum natali, ideſt IV. Octobris, ad populum Antiochenum verba faciens, maximo eas præconio exornat, & de earumdem martyrio multa commemorans, inter cetera habet: *Nondum elapſi ſunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus* (die ſcilicet XIV. Septembris), *& ecce Martyrum memoriam celebramus. Bellum adverſus Eccleſiam grave quondam excitatum eſt, bellorum omnium graviſſimum. In illo itaque tumultu, ac bello Mulieres iſtæ, relicta urbe, domo, ac propinquis, peregre commigrarunt. Egrediebatur igitur ex ædibus mulier, duas ſecum filias habens, pergunt ad urbem Ædeſſam, cumque illic eſſent, in illam urbem advenit pater, militibus ad capiendam prædam ſtipatus, advenit pater, & maritus, filiarum quidem pater, uxoris autem maritus; ſiquidem patrem, aut maritum eum appellari oportet, qui ejuſmodi in rebus miniſterium ſuum impenderet. Venerunt in urbem Hierapolim nomine, viam illam, qua redibant, fluvius præterfluebat, clam militibus, qui prandium ſumebant, & inebriabantur. Sunt etiam, qui dicant, conſcio, & adjutore patre,* (quem jam prodiiſſe uxorem & filias pœnitebat). *Illo igitur in auxilium adſcito, & eum ejus opera milites amovere potuiſſent, in medium flumen ingreſſæ ſunt, ſeque ipſas in illa fluenta dimiſerunt. Ingreſſa eſt cum geminis filiabus mater. Audiant iſta matres, audiant virgines; matres quidem ut filias ſuas ſic inſtituant; virgines autem, ut ita matribus obſequantur, non enim tantum laudari convenit matrem, quæ talia juſſerit, ſed & filias commendare, quæ in ejuſmodi rebus paruerint.* Hæc, aliaque plurima brevitatis ſtudio a nobis prætermiſſa in Sanctarum Martyrum laudem ibidem Chryſoſtomus, quas ſpeciali Spiritus Sancti impulſu ad id agendum excitatas fuiſſe, dicendum eſt, alioquin nec martyris titulo, nec laude dignæ fuiſſent; uti jam ſupra adnotavimus.

Domnina cum filiis, Antiochia relicta, Ædeſſam, deinde Hierapolim fugiunt.

9. Quanta autem ferocia in Chriſtianos hoc tempore Maximinus fureret, vel uno exemplo ab Euſebio allato conſtabit: *Anno quarto perſecutionis adverſus nos excitatæ die vigeſimo menſis Dii, quod eſt ante diem duodecimum Kal. Decembris, die vigeſima Novembris ſcilicet, feria ſexta, apud eamdem urbem Cæſaream martyrium prorſus memorabile perpetratum eſt, præſente tyranno ipſo Maximino, & ob natalem ſuum populo ſpectacula exhibente. Cum itaque ſolito magnificentius*

Agapius a beſtiis laniatus martyrio coronatur.

Euſeb. de Martyr. Palæſtin. cap. 6.

JESU CHR. AN.306. *tius ſpectacula ederentur ob Cæſaris præſentiam*, ait Euſebius; *noſtræ Religionis Martyr in medium adductus eſt pro vera, & ſola pietate pugnaturus, nomine Agapius, quem una cum Thecla ad beſtias damnatum fuiſſe ſecundo perſecutionis anno retulimus*. Hic igitur ter jam antea ex carcere eductus, & ſæpius cum maleficis ſolemni pompa traductus, poſt varias comminationes ad alia ſubinde certamina dilatus, tandem præſente Imperatore productus eſt, atque in medium ſtadium una cum noxio quodam, qui dominum ſuum interfecerat, beſtiis objectus eſt: cruentus tamen domini ſui homicida clementiam, & veniam ab Imperatore promeruit, ſupplicio non ſolum ereptus, ſed & libertate donatus; divinæ vero Religionis Athleta, primum quidem ab Imperatore accitus, atque ut chriſtianæ Fidei renunciaret hortatus, cum pro pietate in Deum omnium conditorem, quæcumque ſibi inferrentur ſupplicia, non modo alacri, ac forti animo, ſed etiam cum voluptate ſubiturum fore teſtatus eſſet, Urſæ, quæ adverſus ipſum dimiſſa fuerat, concito curſu obviam occurrit, ſeque ipſum beſtiæ devorandum libentiſſime obtulit, ac inde adhuc ſpirans in carcerem reportatus, cum diei ſpatio ſupervixiſſet, ſequenti die appenſis ad pedes ejus lapidibus in mare demerſus eſt, ait Euſebius.

Theodori confeſſio, & martyrium. *Ruinart. Act. Martyr. pag. 531.*

10. Hac eadem Galerii perſecutione Theodorus miles Amaſeæ martyrium ſubiit, cujus laudes, & paſſionem pluribus Gregorius Nyſſenus eleganti oratione proſequitur, ex qua hæc pauca exſcribimus. Ac primo cum Jobo communem habuiſſe patriam ſcribit; ad Judicem vero, ac Tribunum perductus, graviterque objurgatus, quod adverſus Imperatoris legem contumax eſſet, imperterrito animo, vultuque hilari reſpondit: *Deos quidem neſcio, neque enim revera ſunt; mihi vero Deus eſt Chriſtus Dei Unigenitus Filius*. Fruſtra ergo ad ſacrificandum diis cohortatus, cum breves ad deliberandum induciæ datæ eſſent, eo intermedio tempore audax facinus peregit; nam templum, quod Amaſeæ erat juxta ripas fluminis, Matri deorum dicatum incendit: *Iſte vir ſtrenuus in tempore datæ ſibi ſecuritatis, capta occaſione, & aura ſecunda incenſum concremavit, reipſa reſponſum, quod poſt deliberationem prorſus expectabant, impiis atque ſceleſtis dans*. Re

Theodorus deorum templum incendit.

vulgata, cum auctor incendii quæreretur, Theodorus ſe ipſum fuiſſe ſponte confeſſus eſt: quare minis, & promiſſis iterum tentatus, ſuſpenſus equuleo, toto corpore laceratur; *atque illi* qui-

quidem carnes cædendo diminuebant ; *hic vero quaſi alius pœnam ſubiret* , *pſallebat* , *dicens* : *Benedicam Dominum in omni tempore* , *ſemper laus ejus in ore meo* : in carcerem deinde conjectus , ibique cœleſti viſitatione , aliiſque miraculis illuſtratus , per ignem tandem martyrii coronam adeptus eſt , ut pluribus narrat Nyſſenus . Glorioſi Martyris feſtum a Græcis die 18. Februarii celebratur ; a Latinis vero die nona Novembris .

Apollonii Diaconi , & Sociorum confeſſio , & martyrium .

Ruffin. vit. Patr. cap.19. Pallad. hiſt. Lauſ. cap.65. 66. Ruinart. pag. 539.

11. Theodoro Apollonium , ejuſque in martyrio ſocios addimus , cujus paſſionem Ruffinus , & Palladius narrant : *Tradebant ergo ſeniores* , ait Ruffinus , *fuiſſe quemdam perſecutionis tempore Monachum* , *qui cum vitam magnificam egiſſet inter fratres* , *etiam Diaconus ordinatus eſt* . Hic ergo cum ſingulos quoſque ad martyrium cohortaretur , comprehenſus , & in carcerem truſus eſt , ad quem cum multi , tanquam inſultantes , veniſſent , ac verbis blaſphemis , & impiis confutarent , Philemon quidam choraula famoſiſſimus , & omni populo charus , multis eum injuriis affecit , impium , ſceleſtum , multorumque ſeductorem , ac deceptorem appellans ; cui Apollonius nil aliud , niſi : *Miſereatur tibi Dominus* , reſpondit , *& nihil tibi horum* , *quæ loquutus es* , *reputet ad peccatum* . Quæ ut Philemon audivit , corde compunctus , Chriſtianum repente ſe eſſe confeſſus eſt , ac ad tribunal Judicis convolans , *clamavit in conſpectu totius populi* : *Injuſte agis* , *o Judex iniquitatis* , *viros religioſos* , *& Deo amabiles puniens* . Judex vero hæc audiens , primo quidem eum jocari putabat , ſed cum vidiſſet hæc eum ſerio , & conſtanter loqui : *Inſanis* , inquit , *o Philemon* , *& mente captus es ſubito* . At ille : *Ego* , repoſuit , *non inſanio* , *ſed tu injuſtiſſimus* , *atque inſaniſſimus Judex es* , *qui tot juſtos injuſte perimis viros* : *ego enim Chriſtianus ſum* , *quod eſt genus hominum optimum* . Cumque in chriſtianæ Fidei confeſſione immotus perſeveraret , omni ſuppliciorum genere eum Judex vexavit , ac tandem una cum Apollonio , gravioribus etiam correpto tormentis , igne cremari juſſit . At illi cum flammas ingreſſi Deo gratias agerent , repente ignis extinctus eſt ; quare ſtupefactus & Judex , & populus , una omnes voce clamare cœperunt : *Magnus & unus eſt Deus Chriſtianorum* , *ſolus immortalis eſt* . Hæc autem ut Præfecto Alexandriæ nuntiata ſunt , in furorem actus , electis quibuſdam de officio ſuo crudeliſſimis non tam hominibus , quam beſtiis , mittit , ut & ipſum Judicem , una cum Confeſſoribus fidei Alexandriam perducerent ,

Apollonius , & Philemon ad ignem damnati , illæſi evadunt .

rent ,

JESU CHR. AN. 306.

rent. At Apollonius hos etiam ad Chriſtum convertit; ac propterea cum ipſos Præfectus in fide ſuſcepta conſtantes inveniſſet, univerſos pariter in profundum maris demergi juſſit, quorum corpora integra, & illæſa ad littus delata, pia fidelium cura, ſepulturæ tradita ſunt.

Barlaami confeſſio, & martyrium. *Baſil. hom. 18. tom. 1. Chryſoſt. hom. 73. tom. 1. Martyr. Rom. die 9. Novem. Ruinart. pag. 565.*

12. Inter hujuſce perſecutionis Martyres, Barlaami celebris memoria perſeverat, cujus pro fide certamina Baſilius, & Joannes Chryſoſtomus celebrarunt. Illius quidem in eo præcipue conſtantia enituit, dum ne thus in ignem injiceret, immotam ſuper flammas manum tenuit, *ac dexteram habuit igne firmiorem*, ait Baſilius.

De Gordio Centurione, & Martyre. *Baſil. tom. 1. hom. 19. Ruinart. pag. 567. Ad Rom. 10. 20.*

13. Gordium etiam concivem ſuum, & Martyrem laudat Baſilius, qui cum Centurionis dignitate fulgeret, exorta perſecutione, abjecto militiæ baltheo, ſponte exilium delegit, ac per deſerta, & hominibus invia loca aliquandiu vagatus, oratione, & jejuniis ad martyrium ſe armavit. Interea cum quadam die frequens civitas equeſtri ſpectaculo intenta eſſet, quod in Martis honorem edebatur, Gordius ſolitudine relicta in urbem rediens, ad theatrum properavit, ubi *ex eminentiori theatri parte ingenti voce exclamavit*: *Ecce inventus ſum ab iis, qui me non quærunt, his, qui me non interrogabant, palam apparui*. Ut vero hæc dixit, omnium in ſe oculos convertit; erat enim aſpectu horridus, & quod montana diu incoluerat, ſqualenti capillo, barba promiſſa, veſte obſita, corpore toto aridus, pera præcinctus, baculo innixus. Poſtquam vero cognitus fuit, Ethnicorum ſimul, & Chriſtianorum clamor ortus eſt, itaut equos, currus, aurigas cuncti deſpicerent, omniumque obtutus in Gordium eſſent. Per præconem interea ſilentio indicto, conticuere buccinæ, fiſtulæ, variaque muſicorum inſtrumenta ſiluerunt; ſolus audiebatur Gordius, ſolus aſpiciebatur, qui ad Præſidis tribunal confeſtim adductus, ab eo quiſnam eſſet, interrogatus, ubi patriam, vitæ genus, & militiæ locum, quem tenuerat, præterea fugæ cauſam, ac reditus ſui enarravit: *Reverſus ſum*, inquit, *palam attendens, quod tua edicta nihil omnino curo, ſed Jeſum Chriſtum ſpem meam, meumque præſidium profiteor*. Præſes autem tam libera Gordii confeſſione inflammatus, omnia tormentorum genera eidem minatus eſt, quæ cum ſperneret Chriſti Athleta, Præſes furore accenſus, enſem vagina educit, lictorem adeſſe jubet. In tanto interim civitatis concur-

curſu neceſſariorum, amicorumque turba beatum Gordium circumſtabat, quorum aliqui, ut Chriſtum ore tantum negaret, hortati ſunt; ſed eiſdem Chriſti Confeſſor: *Lingua quidem*, ait, *quam Chriſti beneficio retineo, adduci non poſſum, ut ſuum neget auctorem; corde namque credimus ad juſtitiam, ore vero confitemur ad ſalutem*. Sicque in Chriſti confeſſione perſeverans, igne conſumptus glorioſo martyrio meruit coronari, ut pluribus narrat Baſilius, cujus memoria die tertia Januarii recolitur.

Jesu Chr. An. 306.

Epiſtola canonica Petri Alexandrini Epiſcopi.

14. Anno perſecutionis quarto, cum pœnitentium plurimi pacem, communionemque ea potiſſimum ratione peterent, ut Chriſti corpore muniti certamen renovare poſſent; S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus, ne cunctos indiſcriminatim ad communionem admitteret, vel indulgentia dignos rejiceret, certas ea de re regulas ſtatuendas cenſuit, quibus pro varia criminum gravitate, aut pro modulo peractæ pœnitentiæ Lapſis venia vel impertienda foret, vel deneganda: quorum canonum hæc ſumma. Primo ii, qui delati, ac in cuſtodiam conjecti, tormenta graveſque neceſſitates pro Chriſti fide ſuſtinuerant, poſtea vero carnis imbecillitate ceciderant, cum tribus annis pœnitentiam jam egiſſent, poſt quadraginta dies in orationibus, & jejuniis tranſactos, communione dignos judicat. 2. Qui vero ſine cruciatibus e carcere egreſſi ſunt, annualem adhuc pœnitentiam expleant, ut communione participes reddantur. 3. Qui ſine tormentis fidem negaverunt, quadriennio adhuc pœnitentiam agere debent. 4. Qui autem pœnitentiæ ſubjici recuſarunt, communione & indulgentia indignos cenſet. 5. Qui caute egerunt, ne ſacrificarent, aut chirographum dantes, vel pro ſeipſis Ethnicos immittentes, ſemeſtri adhuc pœnitentia purgandos judicat. *Canon 6. & 7.* eorum meminit, qui Chriſtianos ſervos pro ſe ipſis ſubmiſerant, quibus, ceteriſque ejuſdem ſimulationis reis triennalis pœnitentia imponitur. 8. Iis, qui poſt lapſum, in ſecundo certamine victores evaſerant, pax & Euchariſtia datur. 9. Eos, qui ſeſe ingerunt in martyrium, etſi non excludat Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti, eorum tamen imprudentiam condemnat, & temeritatem, qui verba Servatoris non attenderint: *Et ne nos inducas in tentationem*. 10. Lapſis clericis Sacramenta quidem concedit, eos tamen officio ſuo movet. 11. Indulgentiam iis tribuit, qui ſeſe obtulerant martyrio, etſi

JESU CHR. AN.306. etſi infirmitate carnis tentationi ceſſiſſent. 12. Qui pecunia ſeſe a ſacrificiis redemeraut, communione dignos cenſet. 13. Qui vero ſua omnia reliquerunt, ne Fidem perderent, laude etiam dignos judicat. 14. Confeſſoribus eos inſerit, qui vi compulſi, immolata iuvito animo guſtarunt. 15. Feria quarta propter initum a Judæis conſilium de proditione Domini, & ſexta, qua paſſus eſt, jejunandum eſſe monet, Dominica autem die vel jejunare, aut genua flectere illicitum judicat. Eſt & aliud Petri Alex. opus, cujus tempus ignoratur, cui titulus *Liber de Divinitate*, qui ab Epheſina, Chalcedonenſique Synodo laudatur. Alter quoque de Paſchate liber eidem inſcribitur, quem in Chronologia Petavius edidit; recentioris tamen ſcriptoris opus eſſe adnotat Dupinius.

Biblioth. Eccleſ. ſecul. 4. to.1. pag.148.

JESU CHRISTI AN. 307. SEDES ROMANA VACAT.
GALERII MAXIMIANI IMP. 3.
MAXENTII, ET MAXIMIANI HERCULEI IMP. 2.
CONSTANTINI LICINII, ET MAXIMINI IMP. 1.
IN ITALIA COSS. MAXIMIANO HERCULEO NOVIES,
ET CONSTANTINO CÆSARE.
IN ORIENTE COSS. SEVERO AUG., ET MAXIMINO CÆS.
OLYMP. 271. AN. 3. URBIS AN. 1060.

De Conſulibus hujus anni. *Pag. Murat.*

1. Cum Romanus Orbis inter quatuor Auguſtos diviſus eſſet, ac Galerius Maximianus cum Severo Orientem tenerent, Maxentius vero cum patre ſuo Maximiano Herculeo Occidentem, iique inter ſe diffiderent, factum eſt, ut alios Oriens, alios Occidens Conſules haberet, ut & ſequentibus accidit annis uſque ad annum duodecimum ſupra tercenteſimum, non ſine Faſtorum confuſione: quam plerique, ut vitarent, annos cum nota poſt Conſulatus ſextum Galerii Maximiani, & deinceps deſignarunt.

Maximianus Herculeus iterum Imperator dicitur.

2. Interea cum Maxentius purpuram Romæ induiſſet, ſicut anno elapſo diximus, ut Severum Auguſtum cum exercitu ad ſe properantem repelleret, patrem ſuum Maximianum Herculeum, qui invitus Imperio ſe abdicaverat, in Imperii ſocietatem revocavit: *Maxentius tanti facinoris ſibi conſcius*, ait Lactantius, *licet jure hæreditatis paternos milites ad ſe traducere poſſet, cogitans tamen fieri poſſe, ut Maximianus ſocer* (ideſt Galerius) *idipſum metuens, Severum in Illyrico relin-*

Lactant. de mort. perſec. cap. 26.

linqueret, atque ipſe cum ſuo exercitu ad ſe oppugnandum veniret, quærebat, quatenus ſe a periculo impendente muniret, patri ſuo (ideſt Maximiano Herculeo) *poſt depoſitum Imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Auguſtum nominat. Ille vero & rerum novarum cupidus, & qui depoſuerat invitus, libenter arripuit.*

JESU CHR. AN. 307.

3. Dum hæc agerentur, Galerius Maximianus *ad expugnandum Maxentium cum Maximini exercitu Romam miſerat Severum*: qui cum ad muros Urbis armatus acceſſiſſet, *ſtatim milites ſublatis ſignis abeunt, & ſe, contra quem venerant, tradunt* (ideſt Maxentio), ait Lactantius. Deſerto autem quid, niſi fuga, reſtabat? Sed occurrebat, jam reſumpto Imperio, Maximianus Herculeus Maxentii pater, cujus adventu cognito, Severus Ravennam confugit, ibique cum militibus paucis ſe incluſit: *At cum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit ſeſe ipſe, veſtemque, & purpuram eidem; nihil aliud impetravit, niſi bonam mortem, nam venis eis inciſis, leniter mori coactus eſt*. Hactenus de Severi Auguſti interitu, quem Ravenna Maximiani Herculei fraude abſtractum, & occiſum narrat Zozimus: *Maximianus Galerius Severum Cæſarem ablegat bellum Maxentio futurum, eum Mediolano profectum Maxentius, corruptis auro militibus, vicit, Severus fuga elapſus eſt Ravennam urbem munitam, & populoſam*. Quo cum Maximianus Herculeus perveniſſet, ac Severum invitum inde ejici non poſſe ſciret, quod munita urbs eſſet, & commeatu abundaret, ſacramentis circumventum, Romam ut iret, perſuaſit; quare, ubi ad locum veniſſet, quem *tres tabernas* vocant, in inſidias, quas ibidem Maxentius collocaverat, incidit, & laqueo necatus eſt. Zozimi narrationem confirmat auctor Excerptorum de Conſtantio his verbis: *Herculeus per perjurium Severum deceptum cuſtodiæ tradidit, & captivi habitu in Urbem perduxit, & in publica villa Appiæ viæ trigeſimo milliario cuſtodiri fecit, poſtea cum Galerius Italiam peteret, ille jugulatus eſt, & deinde relatus in octavum milliarium in Gallieni monumento*. Zozimo tamen, ac auctori Excerptorum Lactantium, utpote coævum, præferimus, qui & addit filium ſuperſtitem reliquiſſe nomine Severianum, quem Licinius poſt obitum Maximini, *tanquam de ſumenda purpura cogitaſſet*, interemit anno 313.

Severus Auguſtus fugatur, & Ravennæ obiit. *Lactant. de mort. perſec. cap. 26.*

Zozim. lib. 2.

Lactant. de mort. perſec. cap. 50.

JESU CHR. AN. 307. Galerii in Italiam incurſio. *Lactant. cap. 27.*

4. *Herculeus vero* , proſequitur Lactantius , *cum Maximiani noſſet inſaniam , cogitare cœpit , illum audita nece Severi inflammatum ira cum exercitu eſſe venturum , & fortaſſe adjuncto Maximino Cæſare , ac duplicatis copiis , quibus reſiſti nullo modo poſſet , proficiſcitur in Galliam , ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret ſuæ minoris filiæ nuptiis* . Ille interea , ideſt Maximianus , Italiam invadens , ad Urbem accedit , Senatum extincturus , populum trucidaturus : verum clauſa , & munita omnia offendit . Cumque occupandæ Urbi impar eſſet , ac legiones quædam ſcelus deteſtantes , quod ſocer generum , & Romani milites Romam oppugnarent , ab eo defecerunt , idemque feciſſent ceteri , niſi Maximianus Severi exitum metuens , ad eorum pedes provolutus ab iiſdem , magno promiſſo præmio , obtinuiſſet , ne hoſti traderetur , & ut fuga ſibi conſuleret . *Converſis itaque ſignis , militibus poteſtatem dedit , ut diſperſi quam latiſſime diriperent omnia , vel corrumperent ; ut ſi quis inſequi voluiſſet , utenſilia non haberet . Vaſtata eſt igitur ea pars Italiæ , quo peſtiferum illud agmen inceſſit , expilata omnia , mulieres corruptæ , virgines violatæ , extorti parentes , & mariti , ut filias , ut conjuges , ut opes ſuas proderent* . Hæc , aliaque de Italiæ vaſtatione Lactantius . Auctor vero Excerptorum apud Valeſium addit , quod cum Galerius Maximianus caſtra Interamne ad Tiberim poſuiſſet , *Legatos ad Urbem miſit Licinium , & Probum per conloquium petens , ut ſocer apud generum* (ideſt Maxentius apud Galerium) *precibus magis , quam armis optata mercaretur ; qui contemptus agnovit , promiſſis virorum Maxentii partes ſuas deſeruiſſe* : quibus cognitis præcipiti fugæ ſe proripuit , ut ex Lactantio audivimus .

Galerius ad fugam coactus , Italiam vaſtat .

Maxentii cum patre Maximiano diſſidia . *Lactant. de mort. perſec. cap. 28.*

5. Externis extinctis , propulſatiſque hoſtibus , Severo ſcilicet & Galerio , in domeſticum incidit Maxentius bellum , idque externo etiam tetrius : *Poſt Galerii fugam , cum ſe Maximianus alter e Gallia recepiſſet , habebat Imperium commune cum filio* (ideſt Maxentio) , *ſed juveni magis parebatur , quam ſeni ; quippequum prior , & major filii poteſtas , qui & jam patri reddiderat Imperium . Ferebat iniquo animo Senex , quod non poſſet libere facere , quod vellet , & filio puerili æmulatione invidebat . Cogitabat ergo expellere adoleſcentem , ut ſibi ſua vindicaret ; quod facile videbatur , quia milites erant , qui Severum reliquerant . Advocavit populum ,*

ac

ac milites, quaſi concionem de præſentibus Reipublicæ malis habiturus. De quibus cum multa dixiſſet, convertit ad filium manus, & illum eſſe dicens auctorem malorum, illum Principem calamitatum, quas Reſpublica ſuſtineret; deripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem ſe de tribunali dedit, & a militibus exceptus eſt; quorum ira & clamore perturbatus eſt impius, & ab urbe Roma tanquam ſuperbus alter exactus eſt, ideſt, tanquam alter Tarquinius ſuperbus Romanorum Rex ultimus. Jesu Chr. an. 307.

6. In Gallias itaque Herculeus tranſiit, & aliquandiu ibi moratus, profectus eſt ad hoſtem filii ſui Maximianum, quaſi de componendo Reipublicæ ſtatu cum eo acturus; re autem vera, ut illum per occaſionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, excluſus a ſuo: quo cum veniſſet, aderat ibi *Diocles*, (ideſt Diocletianus olim Imperator) *a genero*, ſeu Galerio, *nuper accitus, ut quod ante non fecerat, præſente illo, Imperium Licinio daret, ſubſtituto in Severi loco. Itaque fit utroque præſente*, ideſt, Licinius a Galerio Imperator dictus eſt coram Maximiano Herculeo, & Diocletiano olim Imperatoribus, Carnuti in Geltia, ut habet Zozimus, ſeu potius in Illyrico: eodemque tempore, & loco Diocletianum ſollicitavit Herculeus, ut & ipſe Imperii clavum iterum ſumeret, addens, iniquum eſſe ultra pati Imperium *tam diuturno tempore, tantiſque laboribus ipſorum conſervatum, inſanienti juventæ, ac illorum dementiæ, a quibus occupatum eſſet, expoſitum quaſſari*. Diocletianus tamen Maximiani Herculei conſiliis nequaquam ceſſit, quin quietam tranquillamque vitam Imperio præferens, hæc reſpondiſſe fertur: *Utinam Salone poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta, profecto nunquam iſtud tentandum judicaretis*. Quare Herculeus, ut erat animo ſemper inquieto, ea ſpe fruſtratus, Ravennam uſque progreſſus, rurſus verſus Alpes contendit, ut ibi commorantem Conſtantinum conveniret. Lactantius vero Maximianum in Galliam rediiſſe addit, plenum malæ cogitationis, ac ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem generum ſuum dolo malo circumveniret, & ut facilius fallere poſſet, regiam depoſuit veſtem, quaſi ſponte Imperio iterum renunciaſſet. Quem exitum hæc habuerint, anno ſequenti videbimus, quo inquieti, & perfidi ſenis interitus contigit.

Licinius Imperator creatur. *Lactant. ut ſupra cap. 29.* *Zozim. lib. 2. Ammian. Marcellin. lib. 30. 5.* *Victor in epitome.* *Zozim. ut ſup.*

De Licinii Auguſti genere, & moribus.

7. Ad Licinium hoc anno Imperatorem a Galerio nuncupa-

Jesu Chr. an. 307.

cupatum nunc oratio dilabitur, quem in Dacia genitum tradunt Hiſtorici: *Hoc tempore Licinius factus eſt Imperator Dacia oriundus, notus Galerio antiqua conſuetudine, & in bello, quod adverſus Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus, & officiis acceptus*, ait Eutropius, cui aſſentitur Socrates. Tertio idus Novembris Auguſteam dignitatem obtinuiſſe narrat Idacius in faſtis ad annum ſequentem, quem in anno erraſſe compertum eſt. Annum ætatis quadrageſimum attigerat Licinius, cum purpuram induit, qui Galerio Maximiano cariſſimus ea de cauſa erat, quod in bello fortis, ac induſtrius, & ſagax eſſet. Bellicam tamen virtutem perditiſſimis fœdaſſe vitiis, libidine ſcilicet, avaritia, perfidia &c., auctor eſt Euſebius, qui inter cetera hæc de eodem narrat: *Mille exactionum genera adverſus ſubditos excogitavit, quo circa novas agrorum menſiones adinvenit, ut exigui agri majorem imputaret modum, ob inexplebilem cupiditatem. Itaque cum auro, & argento, & immenſa opum copia theſauros ſuos impleſſet, gemens de paupertate ſua querebatur. Quid referam exilia, quibus viros innocentes damnavit? quid bonorum publicationes? quid nobiles, ac præcipuæ dignitatis homines in carcerem abductos, quorum uxores ſceleratis quibuſdam mancipiis conſtuprandas dabat? quid mulieres nuptas, quid virgines recenſeam, quibus ipſe licet affecta jam ætate vim inferre tentavit? Nihil opus eſt in his commemorandis diutius immorari, cum poſtremorum ejus facinorum gravitas, ut priora hæc levia, ac prope nulla viderentur, effecerit.* Si nempe cum iis comparentur, quæ poſtea geſſit, cum adverſus Conſtantinum arma movens, & in Chriſtianos perſecutionem excitans, innumera perfidiæ, & crudelitatis exempla reliquit, de quibus infra. Ne tamen hæc Euſebium exageraſſe credamus, Ethnicum Hiſtoricum audiamus, Licinii mores his coloribus deſcribentem: *Avaritiæ cupidine omnium peſſimus, neque alienus luxu venereo, aſper admodum, haud mediocriter impatiens, infeſtus litteris, quas virus, ac peſtem publicam vocabat, præcipue forenſem induſtriam; agrarius plane ac ruſticanus, quia ab eo genere ortus, altuſque erat, ſatis utilis, ac militiæ cuſtos, ad veterum inſtituta ſeveriſſimus.*

Eutrop. lib. 10. Zoſim. lib. 2. Socrat. lib. 1. cap. 2. Tillem. hiſt. Imp. tom. 4. pag. 625. Baſnag. an. 307. Pag. not. 17. ſeqq. an. 307. Euſeb. vita Conſtan. lib. 1. cap. 55.

Victor in epitome.

Maximinus Cæſar Auguſtus dicitur.

8. Interea ut Maximinus Cæſar Licinium Auguſtea dignitate exornatum, ac ſibi prælatum vidit, ipſe quoque Auguſtus dici voluit. Quare *iratus nec Cæſarem ſe, nec tertio loco nominari volebat*, ait Lactantius; Galerius ergo ad eum ſæpe

Digitized by Google

ſæpe legatos mittit, orans, ut diſpoſitionem ſuam ſervet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At Maximinus audacius reſpondit, ſe priorem eſſe debere, qui prior ſumpſerit purpuram; ac preces, & mandata Galerii contemnit. *Dolet beſtia*, (ideſt Galerius Maximianus) *& mugit, quod cum adeo ignobilem feciſſet Cæſarem, ut ſibi obſequens eſſet; iis tamen tanti ſui beneficii oblitus, voluntati ac precibus ſuis impie repugnaret*. Victus tandem Galerius contumacia tollit Cæſarum nomen, & ſe, Liciniumque Auguſtos appellat, Maximinum vero, & Conſtantinum filios Auguſtorum. His tamen nequaquam Maximinus acquievit, ac ſe Auguſtum ab ſuo exercitu nuncupari fecit; quapropter ſubdit Lactantius: *Maximinus poſtmodum ſcribit, quaſi nuncians in Campo Martio, proxime celebrato, Auguſtum ſe ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mæſtus, ac dolens, & univerſos quatuor Imperatores jubet numerari*, ideſt, Galerium Maximianum, Conſtantinum, Licinium, & Maximinum. Dum autem Maximinum ab exercitu in Campo Martio Auguſtum nuncupatum tradit Lactantius, ne credas Romæ id geſtum fuiſſe, cum longe abeſſet Maximinus, in Oriente ſcilicet. Sed Campus Martius locus erat, ubi milites congregabantur, ſeu ubi militaria comitia celebrabantur. Lactantio Euſebius conſentit, dum tradit: *Poſt hæc Licinius communi Imperatorum ſuffragio Imperator, & Auguſtus declaratus eſt. Quod quidem Maximinus ægre admodum tulit, qui hactenus Cæſar dumtaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ ceteris tyrannico ingenio præditus, Auguſtus a ſemetipſo renunciatus eſt, dum ſcilicet milites, ut ſe Auguſtum dicerent, ſollicitavit*. Sed de Auguſtea dignitate ſatis, quam hoc anno ab eo menſe Decembri ſuſceptam tradit Pagius, ac pluribus probare nititur.

Jeſu Chr. an. 307.

Euſeb. lib. 8. 13.

Pag. not. ultima an. 307.

9. Etſi Imperatores quinque inter ſe Imperium partiti eſſent, quorum tres Orientale, ideſt, Galerius Maximianus, Licinius, & Maximinus; Occidentale Conſtantinus, & Maxentius tenerent; hoc anno tamen alter, ideſt, Alexander eorum numero acceſſit, qui in Africa purpuram induens, quadriennio ibidem imperavit. In Africa Præfecturam Prætorii eo tempore agebat Alexander, a quo cum petiiſſet Maxentius, ut filium ſuum obſequii ſui obſidem ſibi mitteret, timens ne hæc ſibi Maxentius exigeret, ut filium inſidiis, doloque perderet, rebellis Imperio factus, a militibus ſuis Imperator eſt nuncupatus.

Alexander in Africa Imperator creatur.

Victor in epit. Zoſim. lib. 2. 13.

Jeſu Chr. an. 307.

tus. Is autem origine Phrix erat, ingenio timidus, & vitio ſenectutis ad laborem, onuſque Imperii ferendum impar, ut ait Zozimus; cujus imaginem uſque ad annum 311. retinuit, quo cum vita & dignitatem amiſit.

De Conſtantini geſtis.

Lactant. cap. 29.

10. Reſtat adhuc, ut de Conſtantini geſtis aliqua adnotemus, quem armis hoc anno implicatum fuiſſe ſcimus. *Francorum gens in armis erat*, ait Lactantius, *cum eum Maximianus Herculeus in Galliis convenit, ubi in Britanniam trajecerat*. Cujus victorias Euſebius commemorat, adnotans Barbaros, qui ad Rhenum, & ad Occidentalem oceanum poſiti erant, ſuæ dominationi ſubjeciſſe, ac ex feris manſuetos reddidiſſe. Nazarius vero in panegyrico ad Conſtantinum *de victoriis* initio Imperii ſui: *Tu Imperator*, inquit, *optime initio Principatus adhuc ævi immaturus, ſed jam maturus Imperio, tu ferociſſimis Regibus Aſcarico, & Comite captis, tanta laude res bellicas auſpicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obſidem teneremus*. Aſcarici Regis comes Gajus fuit, ut ex Eumenio ſcimus: *Hæc eſt tua, Conſtantine, de Aſcari cinere, Gajique ſupplicio, quotidiana, atque æterna victoria*. Sed & auctor ignotus panegyrici in laudem Maximiani, & Conſtantini, veterem conſuetudinem eum renovaſſe addit, ut de captis hoſtium ducibus ſupplicium ſumeretur, quos etiam feris objectos fuiſſe addit Eutropius. Poſt hæc, ut Conſtantinum arctiori vinculo ſibi devinceret Maximianus, filiam Fauſtam uxorem ei dedit. Alteram quidem, adoleſcentiam vix ingreſſus, uxorem duxerat Conſtantinus, Minervinam ſcilicet, ex qua Criſpum ſuſceperat, quam Hiſtoricorum nonnulli concubinam fuiſſe, falſo ſcripſerunt.

Eutrop. lib. 10.

Conſtantini cum Fauſta nuptiæ.

Tillem. hiſt. Imp. tom. 4. pag. 617.

De Theodoſia virgine, aliiſque Martyribus.

11. Ad res Eccleſiæ, & ad Martyrum certamina nunc redimus. In Africa quidem, Britannia, Hiſpania, Gallia, Italia Maxentii ſimulatione, & Conſtantini pietate perſecutio ceſſaverat. At in Oriente ob Galerii, & Maximiani crudelitatem in Chriſtianos acrius ſævitum eſt: *Cum quintus jam annus perſecutionis volveretur*, ait Euſebius, *die ſecundo menſis Xantici, quod eſt ante diem quartum nonas Apriles, ipſo Dominicæ Reſurrectionis die, rurſus apud Cæſaream Theodoſia virgo ex urbe Tyro oriunda, fidelis, graviſque in primis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos quoſdam acceſſit, qui regnum Dei libere confitentes, ante prætorium ſedebant, tum ut eos ſalutaret, tum ut, quod credibile eſt, eoſdem roga-*

Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap. 7.

rogaret, ut cum ad Deum perveniſſent, ſui memores eſſe vellent. Quo facto, quaſi impium quoddam ac nefarium facinus perpetraſſet, comprehenſa a militibus ad Præſidem ducitur; qui ferino quodam furoris impetu incitatus, cum eam acerbis, atque horrendis tormentis excruciaſſet, & latera ipſius, ac papillas ad ipſa uſque oſſa ferreis ungulis exaraſſet, ſpirantem adhuc, & invicto animo, atque hilari vultu cuncta tolerantem, marinis fluctibus mergi jubet. Ceteros vero Chriſti Confeſſores ad æris metalla, quæ ſunt apud Phanum Palæſtinæ, damnavit. JESU CHR. AN. 307.

12. *Poſt hæc die quinto menſis Dii, hoc eſt, ut Romani dicunt nonis Novembris, in eadem urbe Cæſarea Silvanus, qui etiam tum Presbyter, & Confeſſor erat, ſed paulo poſt ad Epiſcopatus honorem evectus, martyrium conſummavit*, reliqui in confeſſione comites in iiſdem metallis ad opus condemnati ſunt, quibus etiam pedum juncturæ candente ferro debilitatæ ſunt. Eodemque tempore virum quemdam innumeris aliis confeſſionibus nobilitatum, Domninum nomine, qui ob ſingularem in dicendo libertatem univerſis Palæſtinis erat notiſſimus, vivum comburi idem juſſit Præſes. Poſt hæc autem cum inaudita prius ſupplicia adverſus Dei cultores excogitaſſet, tres quidem pugilatu inter ſe dimicare, lata ſententia, coegit. Quemdam vero ſanctum, ac venerabilem ſenem, nomine Auxentium, beſtiis objecit. Alios item jam adultos, & virilem ætatem ingreſſos, exſectis prius teſticulis, ad eadem metalla damnavit. Alios rurſus poſt acerbiſſima tormenta in carcerem conjecit. De Silvano, Domnino & Auxentio, aliiſque Martyribus.

13. Celeberrimus præ ceteris fuit Pamphilus, *omnium ſodalium mihi longe cariſſimus*, ait Euſebius, cujus Urbanus Præſes tum in arte dicendi, tum in Philoſophia peritiam experiri voluit, deinde eum ſacrificare jubens, cum renuentem, minaſque ipſius aſpernentem videret, ſupra modum efferatus, gravioribus eum tormentis excruciari præcepit; cumque nil præter dedecus, atque ignominiam retuliſſet, tandem illum ceteris, qui in carcere erant, Confeſſoribus aggregavit. Atque ex his, quæ Cæſareæ in Palæſtina tunc accidiſſe Euſebius adnotat, innumeros in ceteris Orientalis Imperii provinciis fidei Confeſſores, ac Martyres fuiſſe facile quiſque intelligit, etſi vix aliquorum memoria, aut acta ſuperſint. Nec prætereundum hoc loco eſt, immaniſſimum Præſidem, Chriſtianorumque ſæviſſimum perſecutorem Urbanum, repente omnibus, Deo vin- Pamphili confeſſio Fidei.

JESU CHR. AN. 307.

vindice, dignitatibus ſpoliatum, atque ignominia affectum; poſt plurima opprobria, capitali ſententia paulo poſt damnatum fuiſſe, ut narrat Euſebius.

Euphemiæ martyrium. *Martyr. Rom 16. Octob.* *Ruinart. pag. 541.* *Boll. ad eum diem.* *Ducang. C.P. Chriſt. lib. 4. cap. 7. nu. 12.* *Sozom. lib. 8. 4* *Socrat. lib. 4. 6.* *Evagr. lib. 2. 3.*

14. Ad hæc quoque tempora Euphemiæ martyrium pertinet, cujus memoria die 16. Octobris celebratur. Virginis, & Martyris paſſionem, prout in Eccleſiæ parietibus depictam viderat, eleganti oratione proſequutus eſt Aſterius Amaſeæ Epiſcopus, ac inter cetera narrat, Sanctam Virginem coram Præſide, pudore, & conſtantia ornatam vidiſse, alibi vero a carnificibus vexatam, vel in carcere orantem, ac ſupra caput Virginis ſignum Crucis, *quod Chriſtiani adorare, ac appingere ſolemne habent*. Euphemiæ autem memoria Conſtantinopoli, & Chalcedone illuſtris erat, eique quatuor Eccleſiæ dicatæ ſunt, quarum apud Sozomenum, Socratem, atque Evagrium occurrit mentio.

Sereni confeſſio, & martyrium. *Ruinart. pag. 545.*

15. Ad hunc quoque annum Sereni paſſionem alligandam cenſet Ruinartius, cujus conditio quanto humilior, (hortulanus enim erat) tanto glorioſior victoria fuit. Hic cum Sirmii, homo Græcus & peregrinus, ut habent Acta, hortum coleret, ut inde victum ſibi quæreret, quodam die accidit, ut in hortum ſuum mulier, cum duabus puellis ingreſſa, deambularet, quam cum vidiſſet Serenus, ait illi: *Quid hic quæris mulier*; *at illa ait*, *obambulare delector in horto iſto*. *Ille autem dixit*, *quæ eſt talis Matrona*, *quæ præterita hora hic deambulat*, *cum ſit hora jam ſexta*: *intelligo*, *te non cauſa deambulandi huc veniſſe*, *ſed indiſciplinationis*, *&* *laſciviæ*; *ideoque egredere*, *&* *habe diſciplinam*, *ut decet honeſtas Matronas*. Quare mulier irata, cum marito ſuo, qui e Maximiani aula erat, conqueſta eſt, quaſi ab hortulano injuria fuiſſet affecta: ille vero ad Imperatorem detulit, qui eum ad provinciæ Præſidem remiſit, ut de illata uxori ſuæ injuria vindictam peteret. Serenus itaque coram Præſide ſiſtitur, cui Præſes: *Quis vocaris*; *at ille reſpondit*: *Serenus*. *Præſes dixit*: *Cujus artis es*; *at* ille ait: *hortulanus ſum*. Tunc Præſes de injuria Matronæ tanti viri irrogata interrogans, cum nulli Matronæ repoſuiſſet Severus ſe aliquando injuriam intuliſſe, eum ungulis vexari juſſit, ut confiteretur, cui Matronæ injuriam feciſſet, cum in horto ipſius deambulare vellet: ille vero tunc reminiſcens, ſe mulierem quamdam ante dies aliquot ex horto ſuo ejeciſſe, cur id egerit rationem etiam Præſidi reddidit; quæ

ut

ut audivit matronæ maritus, qui judicem de injuria interpellaverat, erubuit, & obmutuit. At Præſes, his auditis, Serenum Chriſtianum eſſe ſuſpicatus, ad eum denuo converſus: *Quod genus tibi eſt?* At ille ſine mora reſpondit: *Chriſtianus ſum*. Præſes vero, uſque nunc ubi latitaſſet, vel quomodo ſubterfugiſſet, ut Diis non ſacrificaret, interrogavit; at ille: *Quomodo placuit Deo*, ait; tunc autem ſe pro nomine ejus pati, paratum eſſe teſtatus eſt, & continuo eum Præſes capitali ſententia feriri juſſit; quapropter adductus ad locum ſupplicii decollatus eſt *octavo Kalendas Martii*, ideſt 23. Februarii, qua die ejus memoria celebratur.

De Victorino Pictabonienſi Epiſcopo, & Martyre.

16. Sereno Martyri Victorinum Pictabonienſem Epiſcopum, doctrina, & martyrio illuſtrem addimus, qui hac eadem perſecutione ſanguine ſuo Pannonias illuſtravit; quem ex oratore Epiſcopum fuiſſe ex Hieronymo, & Caſſiodoro ſcimus: *Victorinus ex Oratore Epiſcopus*. Pictavienſis in Gallia Epiſcopus a Baronio, aliiſque multis Victorinus dictus eſt, quorum opinionem Launojus diſſertatione ſingulari penitus evertit, qua oſtendit, non Pictavienſem in Gallia, ſed Pictabovienſem in Pannonia Epiſcopum fuiſſe, ut cum Launojo eruditorum plurimi probant, cujus natalem diem quarto nonas Novembris Martyrologia commemorant. De Victorini autem opuſculis audiendus eſt Hieronymus: *Victorinus Pictabonienſis Epiſcopus non æque Latine, ut Græce noverat. Unde opera ejus grandia ſenſibus viliora videntur compoſitione verborum, ſunt autem hæc: Commentaria in Exodum, in Leviticum, in Iſajam, in Ezechielem, in Habacuc, in Eccleſiaſtem, in Cantica Canticorum, in Apocalypſim Joannis, adverſus omnes hæreſes, & multa alia; ad extremum martyrio coronatus eſt*. Et iterum de Victorini eloquentia, & eruditione in Epiſtola ad Magnum: *Victorino Martyri in libris ſuis, licet deſit eruditio, non tamen deeſt eruditionis voluntas*. Ejuſdem tamen opuſcula inter apocrypha Gelaſiano decreto recenſentur; ea fortaſſe de cauſa, quod Millenariorum errore aſperſa eſſent, ut teſtatur Hieronymus in Papia. De Victorini operibus genuinis, & ſuppoſititiis, pluribus Dupinius, Caveus, aliique agunt, quos conſulat lector.

Caſſiod. divin. lect. cap. 5.
Bar. an. 303. num. 126.
Launoj. diſſert. de Victorin. Pictab.
Dupin. Biblioth. tom. 1. pag. 574.
Pag. an. 303. num. 9.
Baſnag. 303. 16.
Hier. de Vir. Ill. cap. 74.
Hier. epiſt. 70.
Labb. Concil. to. 4. pag. 1261
Hier. de Vir. Ill. in Papia.

Jesu Chr. an. 308.

JESU CHRISTI an. 308. Marcelli Papæ 1.
Galerii Maximiani Imp. 4.
Constantini, Licinii, et Maximini Imp. 2.
Maxentii, et Maximiani Herculei Imp. 2.
Coss. in Italia Maxentio Aug.,
Et Romulo ejus filio. In reliquo Orbe Rom.
Coss. Maximiano Herculeo decies,
Et Galerio Maximiano septies.
Olymp. 271. an. 4. Urbis an. 1061.

Maximiani Herculei inſidiæ adverſus Conſtantinum.

Lactant. de mort. perſec. cap. 29.

1. Cum Maximianus Herculeus, reſumpta jam purpura, Roma profugus, ut anno elapſo diximus, in Gallias primum ad Conſtantinum, deinde in Orientem ad Maximianum Galerium tranſiiſſet, ut *Regno ſuo excluſus, Galerii Regnum teneret*: cumque Licinio, & Maximiano Auguſtis creatis, ſpe ſua fruſtratus eſſet; quietis impatiens, ac regnandi cupiditate æſtuans, cum Conſtantinum bello adverſus Gallos intentum inveniſſet, *perſuadet* Herculeus *nihil ſuſpicanti* Conſtantino, *ne omnem ſecum exercitum duceret, paucis militibus poſſe Barbaros debellari, ut ipſe haberet exercitum, quem occuparet, & ille opprimi poſſet ob militum paucitatem. Credit Adoleſcens ut perito ac ſeni, paret ut ſocero; proficiſcitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus expectatis, cum jam Conſtantinum æſtimaret intraſſe fines Barbarorum, repente purpuram ſumit, theſauros invadit, donat, ut ſolet, large, fingit de Conſtantino, quæ in ipſum protinus reciderunt. Imperatori propere, quæ geſta ſunt, nunciantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviſo, nondum ſatis inſtructus; milites ad Imperatorem ſuum redeunt. Occupaverat Maſſiliam, & portas obſeravera t. Accedit propius Imperator, & in muro adſtantem adloquitur, non aſpere, nec hoſtiliter; ſed rogat, quid ſibi voluiſſet, quid ei defuiſſet, cur faceret, quod ipſum præcipue non deceret. Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum ſubito a tergo ejus portæ reſerantur, milites recipiuntur. Attrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, ſocer perfidus. Audit ſcelera, quæ fecit, detrahitur ei veſtis, & increpito vita donatur.* Hactenus Lactantius de Maximiani Herculei perfidia, ac Conſtantini clementia in rebellem ſocerum. Cumque non multo poſt alias eidem

Digitized by Google

eidem ſtruxiſſet inſidias, tandem meritas pœnas dedit, ut infra dicemus. JESU CHR. AN. 308.

2. Ob motam poſt Marcellini obitum in Chriſtianos perſecutionem, ultra triennium Paſtore viduata remanſerat Romana Eccleſia: hoc tandem anno Marcellus die 19. Maii Romanus Pontifex creatus eſt, de cujus ordinatione, & obitu hæc Bucherianus Catalogus: *Marcellus anno uno, menſibus ſeptem, diebus viginti, a Conſulatu decimo* (ſupple Herculei) *& Maximiano ſeptimum*; ideoque hoc anno, *uſque poſt Conſulatum decimum, & ſeptimum*, ideſt, uſque ad annum ſecundum, poſt Conſulatum Herculei decimum, & Galerii ſeptimum. Marcellum Pontificem *natione Romanum ex patre Benedicto de regione via lata fuiſſe*, tradit chronicon Damaſi; atque uſque ad annum 310. Pontificatum tenuit. Marcellus Papa creatur. *Coutan. pag. 311. Pag. an. 309. num. 3. Tillem. Baſnag. an. 308. Anaſtaſ. to. 1.*

3. *Interea cum in ſextum uſque annum perſecutionis adverſus nos procella continuo deſæviret*, ait Euſebius, ac Confeſſorum innumerabilis multitudo apud Thebaidem verſaretur in loco, qui Porphyrites vocatur, ex nomine marmoris, quod ibidem effoditur, centum fere viri, tribus demptis, una cum mulieribus, & parvulis admodum liberis ad Præſidem Palæſtinæ tranſmiſſi ſunt. Quibus omnibus, cum univerſorum opificem Deum Chriſtumque confeſſi eſſent, Firmilianus Præſes, qui Urbano ſucceſſerat, ſiniſtri pedis curvaturas ſimul cum ipſis nervis candente ferro exſcindi, dextroſque oculos primum quidem mucronibus confodi, deinde ad ipſas uſque radices cauterio peruri, tanquam ex Imperatoris mandato præcepit. Poſt hæc ad metalla Provinciæ Palæſtinæ, laboribus & ærumnis conficiendos tranſmiſit. His vero alii plurimi ſociati ſunt, qui non ſolum eadem cum illis ob Chriſti Confeſſionem pertulerunt, ſed multo etiam graviores cruciatus. Alii vero apud Gazam capti, dum ad audiendas ſacræ Scripturæ lectiones conveniſſent, eaſdem oculorum, pedumque mutilationes ſuſtinuerunt. De Confeſſoribus, & Martyribus anno ſexto perſecutionis. *Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap. 8.*

4. Ex his mulier quædam virilem animum gerens, cum ſtupri comminationem non ſuſtineret, primum quidem flagris verberata eſt, dein ſublimis in equuleo ſuſpenſa, admotas lateribus ungulas pertulit. Hæc ut vidit alia, quæ in virginitate ac ſanctis operibus intenta conſenuerat, ac ſupra quam ſexus ferebat, forti animo prædita, ex media turba inclamare adverſus Judicem cœpit: *Quouſque tandem adeo crudeliter* Valentina cum Socia, igni traditæ, martyrio coronantur.

Jesu Chr. an. 308.

meam torquebis ſororem ? Quo dicto exacerbatus Præſes, eam continuo teneri, atque ad ſe adductam blandioribus primum verbis, ut ſacrificaret, hortatus, deinde ad aram vi perduci juſſit. At mulier Dei zelo incenſa, cum aram ingeſſiſſet calcibus, eamque cum impoſito rogo disjeciſſet, Judex furore quodam, inſtar truculentæ cujuſdam beſtiæ, percitus, primum quidem latera ejus ungularum ictibus laniari præcepit, deinde una cum altera, quam hæc ſororem ſuam appellaverat, flammis juſſit abſumi: quarum prior ex regione Gazenzium orta eſſe ferebatur, altera vero Valentina nomine, multis probe cognita, patriam habuit Cæſaream, ut idem Euſebius narrat.

Pauli martyrium.

5. Harum in fide conſtantiam imitatus eſt Paulus, qui cum capitali ſupplicio damnatus eſſet, atque a carnifice jamjam percutiendus eſſet, breve temporis ſpatium ſibi concedi petiit, eoque impetrato, contenta voce, primo quidem pro univerſa Chriſtianorum gente preces ad Deum fudit, deinde pro Judæis, & Samaritanis, pro Imperatore, & Ethnicis, pro Judice, a quo capitis ſupplicio damnatus fuerat, pro ipſo etiam carnifice, qui cervicem præciſurus erat; atque hæc clara voce precatus, non ſine adſtantium commiſeratione & lacrymis, *martyrio coronatus eſt die* 25. *menſis Panemi, hoc eſt ante diem octavum Kalendas Auguſti*, ait Euſebius. His vero ſubdit: *Nec multo poſt rurſus ex Ægypto centum ac triginta Athletæ Chriſtianæ fidei confeſſione nobiles euſdem, quas ſuperiores illi, oculorum ac pedum mutilationes, jam antea in Ægypto perpeſſi, juſſu Imperatoris Maximini pars ad Palæſtinæ, pars ad provinciæ Ciliciæ metalla damnati, ac deducti ſunt*. Sed de his, quæ anno perſecutionis ſexto, ideſt labenti, in Palæſtina geſta ſunt, hactenus.

Alii centum triginta Confeſſores ad metalla damnati.

De S. Quirino Epiſcopo & Martyre.

Prudent. hym. 7. Ruinart. pag. 552.

6. In aliis autem provinciis Maximini Imperio ſubditis eadem crudelitate in Chriſtianos ſævitum fuiſſe, quæ ſuperſunt Martyrum Acta, teſtantur. Ex his S. Quirini Epiſcopi memoria celeberrima perſeverat, cujus paſſionem non ſolum Euſebius in Chronico commemorat, ſed & Prudentius enarrat; ejus vero Acta tantæ antiquitatis, & fidei habentur, ut inter ſincera locum invenerint, quorum hæc ſumma eſt. Cum Maximus Quirinum Siſcæ in Pannonia Epiſcopum comprehendi, atque ad ſe adduci juſſiſſet, hæc inter cetera, dixit: *Lege ergo divinos apices, & fac, quod juſſum eſt*, ideſt:

Digitized by Google

ideſt : *Sacrifica Diis* . At id renuens Quirinus , fuſtibus eum Præſes cædi juſſit , addens : *Reſpice , & agnoſce potentes eſſe Deos , quibus Romanorum ſervit Imperium ; propter quod conſentiens , eris Sacerdos magno Deo Jovi ; alioquin ad Amantii Præſidis primæ Pannoniæ judicium dirigeris , a quo dignam mortis ſententiam excipies* . Quirinus autem ſe tunc vere Sacerdotio fungi addidit , cum ſe ipſum Deo offerebat . Quare Præſes in carcerem trudi , cateniſque vinciri juſſit : ubi cum eſſet Quirinus , atque nocte oraret , repente lux magna carcerem illuſtravit , quam cum vidiſſet Marcellus cuſtos , aperto carcere , proſtravit ſe ad pedes Quirini Epiſcopi cum lacrymis : *Ora pro me Dominum* , dicens , *quia credo , non eſſe alium Deum , niſi quem tu colis* . Quapropter a Quirino , ut in propoſito perſeveraret , cohortatus , ab eodem baptizatus eſt . His geſtis , Maximus ſanctum Epiſcopum ad Amantium primæ Pannoniæ Præſidem duci præcepit ; cui cum Sibari oblatus eſſet : *Requiro a te* , inquit Amantius , *an vera ſint ea , quæ de tua ſuperbia Maximus retulit* . Quirinus vero : *Apud Siſciam verum Deum confeſſus ſum , ipſum ſemper colui , ipſum corde teneo ; nec me ab eodem , qui unus Deus & verus eſt , homo poterit ſeparare* . Cumque multis eum verbis a ſancto propoſito revocare ſtuduiſſet Amantius , ut Acta referunt , tandem molari lapide ad collum alligato , in Sibarim flumen præcipitari juſſit . De ponte itaque dejectus , longo tempore ſupernatavit , Chriſti fideles exhortans , ne ſuo terrerentur ſupplicio , ac tandem ut mergi poſſet , Deum orans , martyrii palmam promeruit , cujus corpus , non longe ab eodem loco , ubi demerſum fuerat , inventum , in Baſilica ad Scarabatenſem portam depoſitum fuit . *Paſſus eſt beatus Quirinus Epiſcopus Siſcianus martyr Chriſti ſub die pridie Nonarum Juniarum , & coronatus eſt a Domino noſtro Jeſu Chriſto* . De eadem paſſione hæc ſuis verſibus Prudentius cecinit , inter cetera :

Marcellus carceris cuſtos in Chriſtum credit.

Quirinus in flumen Sibarim præcipitatus obiit.

Inſi-

JESU CHR. AN. 308.

Prudent. hym. 7. Apud Ruinart. pag. 515

Inſignem merito virum
Quirinum placitum Deo
Urbs mœnia Siſciæ
Conceſſum ſibi Martyrem
Complexu patrio fovent.
Hic ſub Galerio duce

(idem qui Maximus in Actis dicitur)

Qui tunc Illyricos ſinus
Urgebat ditionibus, &c.

deinde poſt aliqua

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Epiſcopus
In præceps fluvio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidiſſimo
Amnis vertice ſuſcipit,
Nec mergi patitur ſibi
Miris vaſta natantibus
Saxi pondera ſuſtinens;

Cumque oraſſet, ut mergi poſſet, & ad martyrii gloriam pervenire:

Fit pondus grave ſaxeum,
Corpus ſuſcipiunt aquæ.

JESU CHRISTI AN. 309. MARCELLI PAPÆ 2.
GALERII MAXIMIANI IMP. 5. CONSTANTINI IMP. 3.
LICINII, ET MAXIMINI IMP. 3. MAXENTII IMP. 3.
COSS. IN ITALIA MAXENTIO AUG. II.,
ET ROMULO CÆSARE II. IN RELIQUO ROMANO ORBE.
POST CONSULATUM DECIMUM, ET SEPTIMUM
(IDEST POST CONSULATUM HERCULEI X.
ET GALERII MAXIMIANI VII.)
OLYMP. 272. AN. 1. URBIS AN. 1062.

Maximini edictis perſecutio in Chriſtianos inſtauratur.

Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap. 9.

1. Maxentius Romæ hoc anno, una cum filio ſuo Romulo, Conſulatum geſſit. In Oriente uſitata formula, poſt Conſulatum Herculei X., & Maximiani VII., iterum uſurpata fuit. Eodemque anno: *Poſt tot Martyrum facinora*, ait Euſebius,

ſebius, *cum perſecutionis incendium imminui, & ſacro ipſorum cruore quaſi reſtingui jam cœpiſſet; cumque his, qui per Thebaidem ad metalla damnati graviter vexabantur, quies ac libertas eſſet indulta; cumque jam liberiorem ſpiritum ducturi, & puriore, quod ajunt, aura fruituri eſſemus; rurſus ille, qui perſequendi poteſtatem nactus fuerat, neſcio quomodo, quove impulſu adverſus Chriſtianos de integro inflammatus eſt*. Repente ſiquidem crudelia Maximini edicta contra Chriſtianos in ſingulas provincias miſſa ſunt. Præſides vero Præfectuſque Prætorii, propoſitis edictis, & datis epiſtolis ad Curatores civitatum, ceteroſque magiſtratus, ad exequenda Imperatoris præcepta excitati ſunt, quibus ſancitum erat, ut idolorum delubra, vetuſtate collapſa, omni cura ac ſtudio inſtaurarentur; cuncti vero ſive viri, ſive mulieres, una cum liberis, & ſervis ad ſacrificia cogerentur, & immolatis hoſtiarum carnibus veſcerentur; eodemque tempore, quæ ad victum in foro proſtabant, impuris ſacrificiorum libationibus inquinata ſunt, ac ad balneorum portas, quaſi in inſidiis collocati ſunt cuſtodes, qui lavantes illic ſordes corporis, execrandis ſacrificiis macularent. Cumque hæc altera graviſſima tempeſtas Chriſtianis immineret, *divina vis, ac potentia Servatoris noſtri Athletis ſuis tantam animi fiduciam addidit, ut nemine eos urgente, ac trahente, ipſi ultro ſut adverſariorum minas proculcarent*, ait Euſebius.

JESU CHR. AN. 309.

2. Quod illuſtri ſane exemplo confirmat, trium ſcilicet virorum, qui Præſidem, dum ſacrificaret, adeuntes, ut ab impuris ſacrificiis ceſſaret, hortati ſunt. Quare interrogati, quinam eſſent, ac Chriſtianos ſe eſſe audacter profitentes, capitali ſupplicio affecti ſunt. Horum primus quidem Presbyter fuit, nomine Antoninus, alter Zebinus vocabatur, patria Eleutheropolitanus, tertius dictus eſt Germanus. Hæc tertio decimo menſis Dii, quod eſt Idibus Novembris, adverſus eos geſta ſunt. Eodem die comes eis adjuncta eſt mulier quædam Scythopolitana, *Ennathas* nomine, virginitatis titulo decorata, quæ ad Judicem ducta eſt, ac poſt flagra, graveſque contumelias, quas Tribunus quidam *Mazys* nomine, moribus, atque ingenio violentus eidem intulit, eam etiam omni veſte nudatam, per univerſam Cæſarienſium civitatem circumduci, ac loris verberari præcepit. Ad Præſidis deinde tribunal iterum oblata, cum magnum conſtantis fiduciæ ſpecimen edidiſſet, per

Antonini Presbyteri, Zebini & Germani martyrium. *Euſeb. ut ſup.*

Ennathas virgo poſt verbera igni conſumpta martyr occubuit.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 309. per ignem probata martyrii palmam adepta eſt. Corpus autem Virginis, ſicuti & aliorum Martyrum, inſepulta, diu noctuque ſollicite cuſtodiri Præſes imperavit: *Canes vero, & feræ beſtiæ, & carnivoræ alites humanos artus hac, atque illac diſpergebant, totaque circumundique civitas viſceribus, & oſſibus conſtrata erat. Adeo ut nihil unquam crudelius, nihil horribilius, vel iis ipſis, qui antea nobis erant infeſti, viſum fuerit,*

Martyrum corpora feris objecta.

Portentum Cæſareæ viſum. *Euſeb. ut ſup. cap. 9.*

3. Cumque per plurimos dies hæc gererentur, addit Euſebius, hujuſmodi miraculum accidit. *Forte aer purus, ac limpidus, & totius cæli mira quædam ſerenitas erat; cum repente maxima pars columnarum, quæ publicas urbis porticus ſuſtentabant, quaſdam velut lacrymarum guttas ſtillaverunt. Fora quoque, & plateæ, cum nullus ex aere delapſus ros eſſet, neſcio unde aqua perfuſæ maduerunt; adeo ut communi omnium ſermone vulgaretur, terram miro, & inexplicabili modo lacrymas edidiſſe, cum eorum, quæ patrabantur, impietatem ferre non poſſet, & ad immites, ac barbaras hominum mentes convincendas, lapides ipſos, reſque anima carentes his, quæ fierent, ingemuiſſe. Nec dubito, quin hæc, quæ dixi pro nugis quibuſdam, & fabulis habituri ſint poſteri; at non ibidem illi, quibus præſentis temporis fides veritatem rei confirmavit.* Hactenus de his Euſebius.

De Petro monacho, aliiſque Martyribus, & de Aſclepio Marcionita hæretico. *Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap. 10.*

4. Menſe vero Apelleo, proſequitur idem, die 14., *quod eſt ante diem 19, Kal. Januarias*, quidam Ægyptii, qui ad miniſteria Confeſſoribus in Cilicia conſtitutis exhibenda ex patria profecti erant, comprehenſi ab iis, qui ad portas Urbis appoſiti cunctos tranſeuntes ſcrutabantur, eadem pœna, qua illi, quibus miniſtraturi venerant, damnati ſunt, oculorum ſcilicet, ac pedum uſu eis adempto. Tres vero ex ipſis in urbe Abſcalone, in qua vincti tenebantur, cum admirabilem animi fortitudinem oſtendiſſent, diverſo martyrii exitu occubuere; quorum unus Ares nomine flammis conſumptus eſt; reliquis duobus, *Promo* ſcilicet, & Eliæ, caput gladio amputatum fuit. *Undecimo autem die menſis Audinæi*, ideſt ante diem tertium Idus Januarias, *Petrus Aſceta, qui & Abſelamus vocabatur, ortus ex vico Anea in Agro Eleutheropolitano, velut aurum puriſſimum per ignem probatus, ſuæ in Chriſtum fidei in urbe Cæſarea illuſtre ſpecimen edidit &c.* His autem Aſclepium, Marcionitarum Epiſcopum, addit Euſebius, qui zelo quidem, ut ipſe exiſtimabat, pietatis adductus, ſed non ſe-

cun-

cundum ſcientiam, uno eodemque rogo conſumptus eſt. Petri Abſelami, ſeu Balſami acta martyrii apud Ruinartium extant, quæ ad Petrum Aſcetam, de quo Euſebius hoc loco loquitur, pertinere vix dubium eſt.

Jesu Chr. An. 309. Ruinart. pag. 557.

5. Præ ceteris vero Pamphili & Sociorum certamina notatu digna cenſuit Euſebius, de quibus addit: *Tempus, ut magnum illud, & celebre ſpectaculum eorum, qui cum Pamphilo, cujus nomen mihi quidem deſideratiſſimum eſt, martyrium conſumaverunt, poſterorum memoriæ tradam*. Hi numero duodecim fuerunt, quorum primus Pamphilus Cæſarienſis Eccleſiæ Presbyter, jam olim Fidei confeſſione clarus: vir omni virtutis genere præclariſſimus, ſive fugam, & deſpectum ſæculi conſideres, ſive bonorum largam in pauperes diſtributionem, & ſæcularium honorum contemptum: his adde exquiſitiſſimam ſacrarum Litterarum peritiam, indefeſſa laboris aſſiduitate, ac diligentia acquiſitam: cujus demum virtutes, reſque præclare geſtas in peculiari opere, quod de ejus vita conſcripſerat, tribus libris complexus fuerat Euſebius, & inter deperdita illius opuſcula numeratur. Secundus poſt Pamphilum Valens, Æliæ urbis Diaconus, auguſta canitie conſpicuus fuit, qui divinas Scripturas præ ceteris egregie callebat, eaſque uſque adeo memoria complectebatur, ut nihil omnino intereſſet, num ex codice ipſo legeret, an cujuslibet Scripturæ integras paginas memoriter recitaret. Tertius inter eos claruit Paulus, Jamnitarum oppido oriundus, vir in agendo fervidus, & ardore ſpiritus plenus, qui ante martyrium candentis ferri exuſtiones perpeſſus, confeſſionis coronam retulerat, cumque biennio in carcere detentus eſſet, tandem martyrii palmam cum aliis adeptus eſt, ut pluribus idem narrat Euſebius.

De Pamphilo martyre, & Sociis. *Euſeb. de Martyr. Palæſt. cap. 11. An. 309.*

Valentis, & Pauli martyrium.

6. Adverſus etiam quinque Ægyptios fratres Firmiliani Palæſtinæ Præſidis crudelitas maxime emituit, quorum primus, interrogatus a Firmiliano quiſnam eſſet, pro nomine proprio propheticum vocabulum uſurpavit, eo quod nomen a parentibus inditum Idoli cujuſdam erat: quare Eliam ſe vocari dixit; ſocii vero ejus Jeremiæ, atque Eſajæ, & Samuelis, ac Danielis nomina ſibi impoſuerunt. Cumque hoc nomen ex Martyre audiiſſet Firmilianus, nec vim, ac virtutem nominis intellexiſſet, iterum quænam ei patria eſſet, interrogavit; ille vero Hieruſalem ſibi patriam eſſe reſpondit, cœleſtem ſcilicet Hieruſalem indicans, credentium omnium

Ægyptii Martyres ſuis nominibus Præſidi illudunt.

Jesu Chr. an. 309. omnium parentem. At Judex hæc non percipiens, quænam illa urbs, & ubi gentium eſſet ſollicite, exquiſitiſſimis tormentis adhibitis, inquirebat; iterum ergo, ac ſæpius interrogatus, quænam eſſet illa civitas, & ubi Terrarum ſita, quam cultorum Dei, ſeu Chriſtianorum patriam eſſe, neque aliis, præterquam iſtis, civitatis jus eſſe ajebat. Ad Orientem porro, & juxta exurgentem ſolem eam poſitam eſſe Confeſſor addidit; quare in ſuſpicionem venit Firmilianus, Chriſtianos urbem aliquam æmulam, atque infenſam Romanis alicubi condituros eſſe. Proinde multum laborabat, ut eam perveſtigaret; nam urbs Hieruſalem, Judæorum olim metropolis, Palæſtinæ Præſidi ignota tunc erat, eo quod poſt everſionem ſub Hadriano factam, Ælia nuncupabatur. Itaque cum fortiſſimum Martyrem variis flagrorum, tormentorumque cruciatibus fruſtra tentaſſet, capitali tandem ſententia damnavit. Et res quidem hujuſce Martyris, veluti cujuſdam tragœdiæ actum, atque exitum habuerunt, addit Euſebius; deinde cum reliquos haud diſſimilibus proluſionibus exercuiſſet, pari quoque genere mortis extinxit. Ad Pamphilum poſtea, ejuſque Socios converſus, quoniam compertum habebat, nulla vi tormentorum eorum in fide conſtantiam expugnari poſſe, utrum vel nunc tandem præceptis imperialibus parere vellent, interrogavit: quod cum aperte negaſſent, eodem cum ſuperioribus, ſupplicio cunctos affecit.

Porphyrii adoleſcentis confeſſio, & martyrium. *Euſeb. ut ſupra de Martyr. Palæſt. cap. 11.*

7. His adoleſcentem quemdam Porphyrium nomine ex familia Pamphili, utpote in convictu, ac diſciplina tanti viri liberaliter educatum, addit Euſebius; qui e medio turbæ exclamans, a Firmiliano petiit, ut ſibi Martyrum cadavera ſepulturæ condenda traderentur: quare Præſes non hominis, ſed belluæ potius, aut ſi quid etiam tetrius eſt, dignus nomine, nullam ætati veniam concedens, interrogato Juvene, cum Chriſtianum eſſe ex ipſius confeſſione didiciſſet, quaſi telo aliquo ſauciatus, tortoribus juſſit, totis viribus in eum ſævire; ac ſacrificare renuente, quaſi ſaxum aliquod, aut lignum, aliudve quid ſenſu deſtitutum, non hominis corpus feriret, ejuſdem latera ad ipſa uſque oſſa, & intimos viſcerum receſſus, abſque ullis induciis ſulcari præcepit, ac demum in Fidei confeſſione perſeverantem flammis deſtinavit. Atque ita poſt Pamphilum in ſtadium ingreſſus, ante eum tamen ex hac vita migravit, cujus non ſolum in tormentis, ſed & in exitu conſtantiam, pluribus ibidem commendat Euſebius.

8. Por-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 309. Seleuci militis martyrium

8. Porphyrium ſequutus eſt ad certamina, & martyrium Seleucus quidam, qui cum Porphyrii exitum Pamphilo renunciaſſet, & unum ex Martyribus oſculo ſalutaſſet, ſubito ad Præſidem perductus cum ceteris meruit ſociari. Hic ex Cappadocia oriundus, non mediocrem honoris gradum inter milites adeptus fuerat: *Nam ætatis flore, tum proceritate corporis ac robore ceteros commilitones longe anteibat; adeout forma ipſius crebris hominum ſermonibus celebraretur*: Fidei tamen conſtantia clarior evaſerat; nam perſecutionis initio verbera perpeſſus, confeſſionis gloria inclaruerat: deinde militari abjecto cingulo, piis exercitationibus totus ſe dicaverat, pupillis ſcilicet, ac viduis, omnique ope, ac patrocinio deſtitutis, tanquam ſi pater fuiſſet, aut curator, ſubveniens; unde hiſce officiis, eodemque die, quo Pamphilus, martyrii gloriam ſibi promeruit.

Euſeb. ut ſupra.

De Theodulo, & Juliano Martyribus.

9. Eamdem martyrii palmam obtinuit Theodulus, vir annis gravis, ex Præſidis familia, atque ab ipſo Firmiliano præ cunctis domeſticis ſuis honoratus, cum ob ſenectutem, tum ob ſinceram fidem & benevolentiam, quam ipſi perpetuo præſtiterat, iiſdemque veſtigiis inſtitit Seleucus ex eadem Præſidis domo, qui in crucem actus, eodem, quo Servator noſter, martyrio defunctus eſt. Tandem poſt omnes, ultimus adfuit Julianus duodenarium numerum expleturus, qui cum peregre Cæſaream adveniſſet, urbem vix ingreſſus, ſimul atque de Martyrum cæde audivit, ſtatim ad id ſpectaculum cucurrit. Cumque Sanctorum cadavera humi jacentia vidiſſet, gaudio diffuſus, ac ſingulos complexus honorifice ſalutavit. Quo in facinore comprehenſum a militibus, & ad Firmilianum perductum, abſque mora ingenti rogo ipſe comburi præcepit. Atque ita Julianus geſtiens, ac præ lætitia exſiliens, & clara voce Domino, qui tanto honore ipſum affeciſſet, gratias agens, martyrii coronam adeptus eſt. Julianus patria quidem Cappadox erat, moribus vero religioſiſſimus, & Fidei ſinceritate, atque integritate conſpicuus, ut ait Euſebius. Horum Martyrum cadavera, juſſu Præſidis, per quatuor continuos dies, totidemque noctes, addita militari cuſtodia, ut a carnivoris beſtiis laniarentur, expoſita remanſerunt. Cumque nec volucris, aut canis ea tetigiſſet, tandem integra, atque illæſa, tradita ſunt ſepulturæ.

10. Cum

JESU CHR. AN. 309.

De Hadriano, & Eubulo.

10. Cum autem furor Præſidis adverſus ſupradictos Martyres adhuc in ore omnium verſaretur, proſequitur Euſebius, Hadrianus, & Eubulus ex regione Manganea Cæſaream ad reliquos Confeſſores profecti, in ipſo civitatis introitu, perinde ac ceteri interrogati, chriſtianam Fidem confeſſi, Firmiliano exhibiti ſunt; qui nulla dilatione uſus, poſt crebra ungularum verbera, quibus latera eorum ſulcaverat, eos ad beſtias damnavit. Hadrianus quidem quinto die menſis Dyſtri, ideſt, ante diem tertium nonas Martias, quo die natalis Genii publici, ut Ethnici exiſtimabant, apud Cæſaream celebrabatur, leoni objectus, ac deinde gladio transfixus martyrium conſumavit. Eubulus vero in confeſſione Fidei perſeverans, ipſis nonis Martii, poſt beſtias non ſecus ac prior ille jugulatus, Cæſarienſium Martyrum certamina ultimus obſignavit. His ſubdit Euſebius luctuoſum finem eorum Præſidum, qui in Chriſtianos immaniter adeo ſævierant; nam Firmilianus, qui Martyribus Chriſti adeo contumelioſe inſultaverat, paulopoſt extremo ſupplicio addictus, capite truncatus eſt.

Pamphili martyris ſcripta.

Hier. de Vir. Ill. cap. 75.

11. Inter Cæſarienſes Martyres Pamphilus Presbyter præ ceteris non ſolum martyrii gloria illuſtrior fuit, ſed & eruditione & doctrina, de quo pluribus in ejus vita tribus libris egerat Euſebius, quæ cum deperdita ſit, Hieronymi elogio contenti erimus, qui de Pamphilo martyre hac habet: *Pamphilus Presbyter Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi neceſſarius, tanto bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum ſua manu deſcripſerit, quæ uſque hodie in Cæſarienſi bibliotheca habentur; ſed & in duodecim Prophetas vigintiquinque Origenis volumina manu ejus exarata reperi, quæ tanto amplector, ac ſervo gaudio, ut Cræſi opes habere me credam; ſi enim lætitia eſt, unam epiſtolam habere Martyris, quanto magis tot millia verſuum? Scripſit antequam Euſebius ſcriberet Apologeticum pro Origene, & paſſus eſt Cæſareæ Palæſtinæ ſub perſecutione Maximini*. De Pamphili Apologia pro Origene jam alibi actum eſt. Hoc loco addimus, Pamphilum ab Agapio Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo Presbyterum ordinatum fuiſſe. Ob tanti viri memoriam Euſebius Pamphili nomen ſuo addidit, ita ut Euſebius Pamphili diceretur.

Euſeb. lib. 7. 32.

JESU

JESU CHRISTI AN. 310. EUSEBII PAPÆ 1.
GALERII MAXIMIANI IMP. 6. CONSTANTINI IMP. 4.
LICINII, ET MAXIMIANI IMP. 4. MAXENTII IMP. 4.
COSS. IN ITALIA MAXENTIO AUG. III.
IN RELIQUO ORBE ROM. AN. II. POST CONS. X., ET VII.,
IDEST MAXIMIANI HERCULEI DECIMUM,
ET GALERII MAXIMIANI SEPTIMUM,
UT APUD NORISIUM, PAGIUM, MURAT. AN. 310.
OLYMP. 271. AN. 2. URBIS AN. 1063.

Marcelli Papæ obitus. *Coutan. pag. 311. Pag. apud Baron. an. 309. Anaſtaſ. to. 1.*

1. Cum Marcellus Pontifex anno uno, menſibus ſex, aut ſeptem, ut habet Bucherii Catalogus, Romanam Sedem tenuiſſet, labenti anno & XVII. Kal. Februarii obiit, ſepultuſque eſt via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ, ut Martyrologio Hieronymiano die 16. Januarii legitur: *Romæ via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ depoſitio Marcelli Epiſcopi, & Confeſſoris*; cui conſentit liber Pontificalis Reginæ Suecorum, aliique Romanorum Pontificum Catalogi, in quibus de Marcello hæc leguntur: *Sepultus eſt in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria 16. Kal. Februar.* Perbrevis Marcelli Pontificatus Euſebio ignotus fuit; quem etiam ob nominis ſimilitudinem cum Marcellino confundit; ac Marcello prætermiſſo, Euſebium Marcellino ſucceſſiſſe tradit. Intermedium tamen, atque a Marcellino diſtinctum fuiſſe, omnes Catalogi, & Martyrologia teſtantur.

Marcellus Papa, & Martyr in exilio obiit. *Baron. ann. 309. Merenda Damaſi opera Carm. 11. pag. 227.*

2. Quo mortis genere Marcellus obierit, non conſtat; cum & ejuſdem Acta, ipſo etiam Baronio fatente, ſuſpecta ſint, nullaque fide digna. Martyris tamen titulo exornatur; quem in exilio obiiſſe Damaſus Papa, narrat his verſibus:

Veridicus Rector lapſis, quia crimina flere
Prædixit miſeris, fuit omnibus hoſtis amarus.
Hinc furor, hinc odium ſequitur, diſcordia, lites,
Seditio, cædes, ſolvuntur phœdera pacis.
Crimen ob alterius, Chriſtum qui in pace negavit,
Finibus expulſus patriæ, feritate Tyranni.
Hæc breviter Damaſus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoſcere poſſet.

Nec

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 310. Nec mirum, S. Pontificem ſub Maxentio tyranno in exilio occubuiſſe; nam etſi Maxentius, Euſebio teſte, ut Romanis gratificaretur, a Chriſtianorum vexationibus aliquandiu abſtinuerit, Sanctum tamen Pontificem in exilium egiſſe, vero proximum eſt; eaque de cauſa inter Martyres recenſeri meruit, cui duas Iſidorus epiſtolas inſcripſit, quarum prima ad Antiochenæ Provinciæ Epiſcopos data, de Romanæ Eccleſiæ primatu, & auctoritate agitur; altera ad Maxentium commonitoria eſt, ut a vexandis fidelibus ceſſaret. Utraque tanto auctore, ſeu impoſtore digna, ut apud Blondellum videre eſt.

Euſebius Papa creatur. *Anaſt. tom. 1.*

3. Poſt Marcelli obitum *ceſſavit Epiſcopatus dies viginti*, ait Pontificale Damaſi, quibus elapſis, *Euſebius natione Græcus, patre medico, Romanæ Eccleſiæ præficitur*; cujus Pontificatum, utpote breviſſimum, una cum Pontificatu Marcelli Præceſſoris, Theodoritus præteriit, Miltiadem Marcellino ſucceſſiſſe ſcribens: *Silveſter ſucceſſor Miltiadis illius, qui poſt Marcellinum eum, qui perſecutionis tempore inclaruit.* Utroſque tamen in Pontificum catalogo retinendos eſſe, vetera monumenta teſtantur, & catalogi antiquiſſimi. Quanto tempore Romanam Sedem Euſebius Papa tenuerit, non conſtat, cum vel ipſi Romanorum Pontificum catalogi diſſideant; ac alicubi annos ſex, menſem unum, dies tres eam tenuiſſe Sedem narrent; alibi vero annos duos, menſem unum, dies viginti quinque. Septem vero menſes Eccleſiam Romanam eum adminiſtraſſe, Euſebius in chronico tradit; Auctor vero chronici Romanorum Pontificum: *Euſebius menſes IV. dies XVI. a XIV. Kal. Majas ad XVI. Kal. Septemb.*, de quo etiam Bucherii Catalogus in indiculo depoſitionis Rom. Pontificum adnotat: *Sexto Kal. Octob. Euſebii in Calliſti*; quare in tanta Scriptorum varietate nil certius dici poteſt, quam incertum eſſe tempus, quo Romanæ Eccleſiæ Euſebius præfuit. Breviſſimum tamen ejus Pontificatum fuiſſe, Euſebius, cetерique catalogi indicant, atque hoc eodem anno occubuiſſe patet, cui poſt breve interpontificium Miltiades ſucceſſit.

Euſeb. Chron. pag. 771. inter Hieronym. oper. tom. 8.

Coutan. Pag. ut ſupra. Tillem. tom. 5. pag. 98. 100. & pag. 628.

Euſebius Papa in exilio obiit.

4. Eumdem cum Marcello prædeceſſore vitæ exitum Euſebium habuiſſe ex epigrammate Damaſi conſtat, quo legitur:

Hera-

Jesu Chr. An 310.
Carm. 12. pag. 228.

Heraclius vetuit, lapſos peccata dolere,
Euſebius miſeros docuit ſua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliſcente furore,
Sedet loca cædes, bellum, diſcordia, lites.
Exemplo pariter pulſi feritate Tyranni
Integra cum Rector ſervaret phœdera pacis,
Pertulit exilium omnino ſub Judice lætus
Littore Trinacrio, Mundum vitamque reliquit.

Eoque epigrammate ſcimus, Euſebium in Sicilia ultimum clauſiſſe diem, eo quod Marcelli Præceſſoris veſtigia ſequutus, miſeris, ſeu lapſis, peccata flere doceret, & cogeret; iiſque reſtitiſſet, qui, Heraclio duce, pacem & communionem lapſis continuo dandam eſſe cenſebant. Quare apud Maxentium tyrannum accuſatus, quod ſeditiones, turbaſque in Eccleſia cieret, in exilium ejectus, ibidem vivere deſiit. Damaſi quidem epigramma ad Euſebium Presbyterum, qui ſub Liberio Pontifice floruit, pertinere Baronius cenſuit; Euſebio tamen Pontifici reſtituendum eſſe viri eruditi cenſent, quo defuncto Miltiades ſucceſſit, de cujus ordinatione anno ſequenti agemus.

Maximiani Herculei in Conſtantinum inſidiæ, ejuſque interitus.
Lactant. de mort. perſec. cap. 30.

5. Interea, cum Maximianus Herculeus a filio ſuo Maxentio ejectus, privatæ vitæ impatiens eſſet, alteras genero, ſeu Conſtantino Imperatori inſidias præparaverat, quibus detectis, ſcelerum tandem pœnas dedit: *Amiſſo Imperatoris, ac Soceri honore*, ait Lactantius, *humilitatis impatiens, alias rurſus inſidias machinatus eſt. Quia ſemel abiit impune, vocat filiam Fauſtam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis ſollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur; petit cubiculum patens relinqui, & negligentius cuſtodiri ſinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur ſcena, qua manifeſto facinus teneretur. Supponitur quidam vilis Eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempeſta, videt omnia inſidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius; quibus tamen dicit vidiſſe ſomnium, quod filio ſuo narrare vellet. Ingreditur armatus, & ſpadone obtruncato proſiliit gloriabundus, ac profitetur, quod admiſerit. Repente ſe ex altera parte Conſtantinus oſtendit cum globo armatorum. Pro-*

Google

JESU CHR. AN.310. *Profertur e cubiculo cadaver occiſi ; hæret manifeſtarius homicida , & mutus ſtupet , quaſi . . .*

Dura ſilex , aut ſtet Marpeſia cautes ;

impietatis , ac ſceleris increpatur . Poſtremo datur ei poteſtas liberæ mortis .

Ac nodum informis leti trabe nectis ab alta .

Ita ille Romani nominis maximus Imperator , qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit , eliſo , & fracto ſuperbiſſimo gutture vitam deteſtabilem turpi & ignominioſa morte finivit . Hactenus de Maximiani Herculei interitu Lactantius . Eademque Euſebius , qui addit ſceleſtiſſimi hominis imagines , & ſtatuas , ceteraque id genus monumenta , in ejus honorem erecta , dejecta atque abolita fuiſſe . Labenti etiam anno Herculei ſupplicium narrat Idacius in Faſtis , cujus Chronologiam ceteris veriorem eſſe Lactantius , & Euſebius innuunt .

Euſeb. hiſt. lib.8. 13. Conſtantin. vit. lib.1. 43.

Herculei corpus inventum, in mare demergitur.

6. Maximiani Herculei ſepulcrum initio ſeculi undecimi Maſſiliæ inventum eſt, ejuſque cadaver in mare demerſum fuiſſe , narrat Auctor Chronici Novalicienſis a Ducheſnio , Pagioque citatus : *Circa hæc tempora* , ait , (ideſt circa annum mille triginta) *apud Maſſiliam civitatem ſepulcrum Maximiani Chriſtianorum ingentis perſecutoris inventum eſt , ſicut nobis retulerunt , qui interfuerunt* , cujus corpus vario odoramentorum genere perfuſum , integrum adhuc erat , caro etiam candida , barba permaxima , atque ad caput ejus pocula aurea unguentis plena & balſamis , cadaver in loculo plumbeo quieſcebat , qui urna ex marmore candidiſſimo claudebatur , cum litteris aureis deſuper ſcriptis . Conſilio autem Raimbaldi Archiepiſcopi Arelatenſis in mare demerſum eſt ; nec mirum videri debet , perfidi proditoris , & ſæviſſimi Chriſtianorum hoſtis cadaver tanta diligentia curatum fuiſſe , id enim Conſtantini in ſocerum pietati adſcribi debet . Magis mirandum , eo dementiæ Maxentium perveniſſe , ut eum Deorum faſtis inſcribi curaverit , ut Numiſmata aliquot apud Mediobarbum teſtantur , in quibus hæc leguntur : *Divo Maximiano patri Maxentius Aug.*

7. Nunc

Digitized by Google

Jeſu Chr. an. 310.

7. Nunc reliqua in Oriente, hoc anno perſecutionis octavo, geſta ex Euſebio proſequamur, qui adnotat Eccleſiarum Præſides, toto perſecutionis tempore, omni contumeliarum genere affectos fuiſſe, itaut eorum plurimi camelorum, equorumque Imperatorum cuſtodiæ mancipati fuerint. Atque inter cetera: *Septimus annus perſecutionis ad exitum jam vergebat*, ait Euſebius, *& res noſtræ ſenſim ſine ſenſu calumniantium moleſtia liberatæ, ad octavum uſque annum proceſſerant*. Ita ut maxima Confeſſorum multitudo, quæ in metallis Palæſtinæ erat, in unum congregata, incredibili libertate frueretur, ac novas Eccleſias etiam extrueret, cum repente Provinciæ Præſes, vir ſævus atque improbus, illuc delatus, audita illorum vivendi ratione, rem ſtatim ad Imperatorem retulit. Quare Præpoſitus metallorum paulo poſt illuc adveniens, velut ex Imperiali præcepto, Confeſſores varias in turmas diſtribuit; & alios quidem apud Cyprum, alios in Libano juſſit incolere; reliquos per varia Palæſtinæ loca diſperſos, diverſorum operum moleſtiis vexari præcepit.

De geſtis anno octavo perſecutionis. *Euſeb. de Martyr. Paleſt. cap.* 12. 13.

8. Ex iis quatuor, qui ceteris antecellere videbantur, ad ducem, qui militaribus copiis illic præerat, miſſi ſunt: quorum duo erant Ægyptiorum Epiſcopi, Peleus, ac Nilus; tertius Presbyter quidam, quartus Patermuthius, vir ob prolixam erga omnes benevolentiam cunctis notiſſimus. Cumque iis Præſes, ut Religionem ſuam abnegarent, perſuadere non potuiſſet, flammis eos abſumi juſſit. Alios vero, qui ſejunctam a ceteris regionem incolebant, quique ob ſenectutem, aut membrorum debilitatem, aut propter varios corporis morbos, ab opere faciendo immunes erant, altero pede nervi exciſione debilitari, & oculo candente ferro minui juſſit. Inter eos Silvanus Epiſcopus recenſetur, qui a primo perſecutionis die, & per totum deinceps illud tempus, variis confeſſionum certaminibus inclaruerat; eique Ægyptii complures in eodem ſupplicio ſociati ſunt, inter quos Joannes quidam, qui etſi jam pridem luminibus orbatus eſſet, nihilominus carnificum crudelitate, non ſolum pede altero candente ferro debilitatus fuit, ſed & oculi quoque, licet lumine orbati, cauterio peruſti ſunt. Is etiam, Euſebio teſte, tanta Scripturarum ſcientia pollebat, ut eas non aliter, ac ſi legendo percurriſſet, quacumque occaſione data, recitabat; unde Euſebius ocularis teſtis: *Fateor certe, obſtupuiſſe me, cum illum in frequentiſ-*

Peleus, Nilus, ac Patermuthius igne conſumpti.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 310.

ſimo Eccleſiæ cœtu medium ſtantem, & quoſdam divinæ Scripturæ locos recitantem primitus vidi. Etenim quandiu quidem vocem dumtaxat hominis audire mihi dabatur, quædam illum, ut in Eccleſiaſtico cœtu moris eſt, legere exiſtimabam. Verum ibi proxime accedens id, quod res erat, deprehendi, eum ſcilicet ea memoriter recitare.

Alii 39. Martyres.

9. His alios adjungit Euſebius, ac poſt aliqua ſubdit: *Undequadraginta homines juſſu ſceleratiſſimi Maximini uno eodemque die capite truncati ſunt; atque hæc ſunt martyria, quæ octo annorum ſpatio in Palæſtina perpetrata fuerunt.* Hactenus de Martyribus Palæſtinis Euſebius, quorum geſta ſingulari libro perſecutus, de ceteris, qui in aliis Orientalis Imperii Provinciis pro fide certantes martyrii palmam adepti ſunt, hæc ſummatim adnotat. *Hujuſmodi noſtri temporis perſecutio fuit, quæ cum ab Eccleſiarum everſione ſumpſiſſet initium, poſtmodum ſubſecutis vario tempore Rectorum infeſtationibus, longe ulterius progreſſa eſt. In quibus varia omnis generis certamina eorum, qui pro pietate fortiter pugnarunt, innumerabiles in ſingulis Provinciis Martyres præſtiterunt, in Lybia ſcilicet, & per univerſam Ægyptum, ac Syriam, omneſque Provincias, quæ ab Oriente uſque ad tractum Illyrici quaqua verſus protenduntur.* De quibus vix aliquorum memoria, aut Acta ſuperſunt, cujuſmodi fuere Julitta, & Pelagia. Harum prima Cæſareæ Cappadociæ illuſtri genere orta, ibidem in perſecutione Diocletiani martyrio occubuit, ejuſque paſſionem S. Baſilius, in die ejuſdem natali, eleganti oratione celebravit, ubi inter cetera narrat, quod cum litem adverſus bonorum ſuorum invaſorem coram Prætore intendiſſet, atque judicem cœpiſſet inſtruere; non ſolum eam ab agendo, tanquam Chriſtianam, adverſarius ejus repulit, ſed & judex in chriſtianæ Fidei confeſſione perſeverantem, ignibus ipſam abſumi præcepit, ut pluribus in eadem Oratione proſequitur.

De Martyr. Palæſt. cap. ult. in fin.

De Julitta Martyre.

Baſil. Menolog., & Martyr. Rom. die 30. Julii.

Baſil. homil. in S. Julittam to. 2. pag. 33.

Pelagia Virgo, & Martyr ſe præcipitem dedit.

10. Pelagia autem virgo, quam Chryſoſtomus eleganti quoque oratione celebrat, cum ſola in domo ſua inventa eſſet a militibus, ab iis, ut liceret ſibi veſtem mutare, licentiam petiit, ac obtinuit: quare ingreſſa cubiculum, ne virginitatis detrimentum pateretur, ex cubiculo præcipitem ſe dedit, atque interiit; quod non ſine Spiritus Sancti impulſu feciſſe, inde patet, quod eam inter Chriſti Martyres Eccleſia recenſet, ac templum Conſtantinopoli eidem dicatum fuiſſe,

Chryſoſt. hom. 40.

Martyr. Rom. die 9. Junii.

Ducang. Conſtit. Chriſt. lib. 4.

ſe, Teophanes teſtatur. Licet enim nemini mortem ſibi inferre licitum ſit, & ne quidem virginitatis cauſa; nihilominus: *Cum Deus jubet, ſeque jubere nullis ambagibus intimat, quis obedientium in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet?* ait Auguſtinus.

Jesu Chr. an. 310.

Aug. de Civit. Dei lib. 1. 16. 26.

JESU CHRISTI an. 311. Melchiadis Papæ 1.
Constantini Imperatoris 5.
Licinii, et Maximini Imp. 5. Maxentii Imp. 5.
Coss. Romæ, Rufino, et Euſebio,
In reliquo Orbe Rom.
Coss. Maximiano VIII.
Olymp. 272. an. 3. Urbis an. 1064.

1. Poſt Euſebii Pontificis obitum, cum per annum fere Romana Sedes vacaſſet, Melchiades, ſeu Miltiades hoc anno ordinatus eſt, de quo Bucherii Catalogus: *Miltiades ex die* VI. *nonas Julias a Conſulatu Maximiano VIII. ſolo*, ideſt, Galerio Maximiano Conſule in Oriente; a Conſulibus vero in Occidente menſe Septembris creatis: *quod fuit menſe Septembris Voluſiano, & Rufino, uſque in diem* III. *idus Januarii Voluſiano, & Anniano Conſulibus*, ideſt a die ſecunda Julii hujus anni, non autem anni elapſi, ut contra fidem Bucheriani Catalogi ſcribit Pagius, uſque ad diem decimam Januarii anni 314. Coſſ. Voluſiano, & Anniano; atque ideo per annos duos, menſes ſeptem Romanam Sedem tenuit, ſeu per annos tres, ut Euſebius, Hieronymus, & Proſper in Chronico narrant, tertium inceptum annum pro completo numerantes. *Hic natione Afer fuit*, addit Auctor Chronici Damaſo adſcripti.

Melchiades Papa ordinatur.

Couten. pag. 322. Anaſt. tom. 1.

2. Hoc eodem anno Galerius Maximianus ultimum diem clauſit: *Maximiano VIII. Coſſ. & Rufino, & Voluſiano, diem functus Maximianus junior*, ait Auctor de Præfectis Urbis. Sed de Galerii Maximiani interitu, deque ejuſdem infelici exitu, Lactantium audiamus, qui, narrata Herculei morte, ſubdit: *Ab hoc Deus Religionis, ac populi ſui vindex oculos ad Maximianum alterum* (ideſt ad Galerium) *tranſtulit nefandæ perſecutionis auctorem, ut in eo etiam vim majeſtatis oſtenderet. Jam de agendis vicennalibus cogitabat*; eaque de cauſa novis exactionibus, & tributis Orientale Imperium ve-

Galerius Maximianus a Deo percuſſus inſanabili morbo laborat.

Lactant. de mort. Perſec. cap. 31.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 311. Cap. 33. xaverat, ut ibidem narrat Lactantius: *cum anno decimo octavo Imperii ſui percuſſit eum Deus inſanabili plaga. Naſcitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, ſerpitque latius, medici ſecant, curant. Sed inductam jam cicatricem ſcindit vulnus, & rupta vena fluit ſanguis uſque ad periculum mortis*; cruor tamen ſiſtitur, ac iterum vulnus ad cicatricem perducitur. At levi corporis motu vulneratus, plus ſanguinis, quam ante decurrit, ita ut abſumptis viribus ad agonem fere infirmus deduceretur. Interea incipit vulnus non ſentire medicinam; proxima quæque cancer invadit, & quanto magis circumſecatur, latius ſævit; quanto cruciatur, increſcit. Nobiles medici trahuntur undique, at nil promovent. Confugitur ad idola; Apollo, & Eſculapius orantur; remedium flagitatur. Dat Apollo curam: malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computreſcunt forinſecus viſcera, & in tabem ſedes tota dilabitur. Non deſinunt tamen infelices medici, vel ſine ſpe vincendi, malum recidit introrſus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odor autem non modo per palatium, ſed totam civitatem pervadit: nec mirum, cum jam confuſi eſſent exitus ſtercoris, & urinæ. Comeſtum a vermibus, & in putredinem corpus, cum intolerandis doloribus ſolvitur:

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit;
Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus.

Apponebantur ad ſedem fluentem cocta, & callida animalia, ut vermiculos eliceret calor; queis reſolutis, inæſtimabile ſcatebat examen; & tamen multo majorem copiam tabeſcendorum viſcerum pernicies ſecunda generaverat. Jam ex dimino malo partes corporis amiſerant ſpeciem. Superior uſque ad vulnus aruerat, & miſerabile macie, cutis lurida longe inter oſſa conſederat. Et hæc facta ſunt per annum integrum cum tandem malis domitus, Deum coactus eſt confiteri.

Machab. lib. 2. 13. Lactant. cap. 34.

Galerii Maximini edictum pro reſtituenda Eccleſiis pace.

3. Interea nova doloris urgentis vi *per intervalla exclamat*; tanquam alter Antiochus, *ſe reſtituturum Dei Templum, ſatiſque pro ſcelere facturum, & jam deficient, edictum miſit*, quo inter cetera narrat, ſe pro Reipublicæ commodis, atque utilitate multa diſpoſuiſſe, & præcipue, ut leges

ges veteres, & publica diſciplina Romanorum illæſa ſervaretur, eaque de cauſa juſſiſſe, Chriſtianos etiam, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam, ad bonas mentes redeundo, veterem ſequi religionem; quia tamen Chriſtianorum plurimi in propoſito perſeverantes, ac cultum Diis debitum exhibere recuſantes, aut in periculum adducti ſunt, aut vita etiam privati, *contemplationem mitiſſimæ noſtræ clementiæ intuentes, & conſuetudinem ſempiternam, qua ſolemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptiſſimam in his quoque indulgentiam noſtram credidimus corrigendam; ut denuo ſint Chriſtiani, & conventicula ſua componant, itaut ne quid contra diſciplinam agant; alia autem epiſtola Judicibus ſignificaturi ſumus, quid debeant obſervare. Unde juxta hanc indulgentiam noſtram debebunt Deum ſuum orare pro ſalute noſtra, & Reipublicæ, ac ſua, ut undique verſus Reſpublica perſtet incolumis, & ſecuri vivere in ſedibus ſuis poſſint*. Hactenus Galerii edictum pro Eccleſiarum reſtitutione, Chriſtianorumque pace, quod & apud Euſebium legitur: ex quo præfationem etiam a Lactantio omiſſam habemus, qua hoc anno Tribunitiæ poteſtatis XX., Conſulatus octavo, vulgatum fuiſſe ſcimus. Edictum autem Provincialibus miſſum Galerii Maximiani, Conſtantini, & Licinii Imperatorum nomina præfert; Maximini vero, & Maxentii Imperatorum nulla in eo mentio fit, eo quod cum Maximiano, ceteriſque diſſiderent, ipſiſque invitis purpuram ſumpſiſſent.

Jesu Chr. an. 311.

Euſeb. Hiſt. lib. 8. 17.

4. *Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kal. Majas, ipſo octies Maximiano iterum Coſs.*, ut ait Lactantius. *Tunc apertis carceribus, Donate cariſſime* (cui librum ſuum de mortibus Perſecutorum dicaverat), *cum ceteris Confeſſoribus e cuſtodia liberatus es, cum tibi carcer ſex annis pro domicilio fuerit*; poſtquam, ut idem Lactantius teſtatur, invictæ fortitudinis non obſcura indicia dediſſet; *novies enim tormentis, cruciatibuſque variis ſubjectus, novies adverſarium glorioſa confeſſione vicerat. Hoc facto*, ideſt, edicto in Chriſtianorum gratiam vulgato, *veniam ſceleris a Deo non accepit*, ait Lactantius, *ſed poſt dies paucos, commendatis Licinio et conjuge, & filio, atque in manu traditis, cum tota corporis membra diffluerent, horrenda tabe conſumptus eſt, idque cognitum Nicomediæ*, ubi Lactantius morabatur, *menſis ejuſdem*, (ideſt ſub finem, nam mutilus eſt textus) *cum futura eſſent vicennalia Kal.*

Donatus Confeſſor illuſtris e carcere liberatur. *Cap. 35.*

Lactant. de mort. perſec. cap. 16.

Jusu Chr. an. 311.

Kal. Martiis impendentibus, anni ſequentis ſcilicet, ut explicat Pagius, eam quippe ſolemnitatem ad ſequentem diſtulerat annum.

Pag. not. 15. ad an. 311.

Ubi obierit Galerius, quot filios reliquerit.

5. Sardice eum ægrotaſſe, ibique interiiſſe, ex anonymo Valeſiano ſcimus, qui de Cæſarea dignitate Licinio collata loquens, ſubdit: *Deinde illo*, ideſt Licinio, *in Pannonia relicto, ipſe Galerius ad Sardicam regreſſus, morbo ingenti occupatus ſic intabuit, ut aperto, & putreſcente viſcere moreretur*. Hinc ex Lactantio, Euſebio, & anonymo Valeſiano corrigendus eſt Oroſius, de Galerii interitu ſcribens: *Cruciatus non ſuſtinens, vim vitæ ſuæ attulit*; cum eum vi morbi periiſſe conſtet. Ex Valeria Diocletiani filia nullos filios Galerius ſuſceperat; filium tamen poſt ſe reliquit Candidianum, ex concubina ſuſceptum, quem una cum Valeria Licinio commendaſſe ſcribit Lactantius, eoſque biennio poſt ipſe Licinius vita privavit, ut narrat Lactantius.

Oroſ. hiſt. lib. 7. 28.

Cap. 50.

Chriſtianorum res Dei benignitate in melius mutatæ.

Euſeb. lib. 8. 16.

6. Galerii interitu in melius res Chriſtianorum commutatæ ſunt; unde Euſebius: *Anno tandem decimo ope divini Numinis perſecutio ſedata eſt; cum poſt octavum annum aliquantiſper remittere cœpiſſet*. Cum principes, qui perſecutionem adverſus Chriſtianos commoverant, repente præter omnium ſpem, mutata ſententia, palinodiam canentes, vulgatis edictis, ardentiſſimum perſecutionis incendium reſtinxerunt: quod non Imperatorum (quod aliquis forte ſuſpicari poſſet) clementia, & commiſeratione, ſed manifeſta Dei præſentia accidiſſe, ibidem Euſebius animadvertit, qui & longam Galerii infirmitatem, ac edicta in Chriſtianorum gratiam edita pluribus narrat, ut ex Lactantio adnotavimus.

Maximinus cum Licinio reconciliatur.

Lactant. cap. 36.

7. Poſt Galerii Maximiani obitum Maximinus *diſpoſitis ab Oriente curſibus pervolavit*, ait Lactantius, ut, Licinio morante, omnia ſibi uſque ad fretum Chalcedonium vindicaret; ingreſſuſque Bithyniam, ut favorem ſibi conciliaret, cum magna omnium lætitia cenſum ſuſtulit. Diſcordia interea inter ambos Imperatores, ac pene bellum exoritur, ita ut diverſas ripas armati tenerent; ſed conditionibus certis pax & amicitia iterum inſtauratur, quarum præcipua fuit, ut indulgentia Chriſtianis communi titulo data tolleretur.

Sabini epiſt. ad Præſides, ut a Chriſtianorum vexatione ceſſarent.

8. Interea Imperialia edicta ubique in Aſia, & per omnes circumquaque Provincias vulgabantur, quibus monebantur Præſides, ut a Chriſtianorum vexationibus ceſſarent. At Maximi-

ximinus, utpote hominum impiiſſimus, & Chriſtianorum infenſiſſimus hoſtis, cum aliorum Imperatorum voluntati, ac ſententiæ refragari non poſſet, edicta quidem ſuppreſſit; ac verbis tantum Judicibus mandavit, a Fidelium oppugnatione ceſſare, omni diligentia præcavens, ne per Imperii ſui Provincias ea edicta publicarentur. Quæ autem Rectoribus Provinciarum in eam cauſam ſcripta fuerint, ex Sabini Præfecti Prætorii epiſtola apud Euſebium ſcimus, qua inter cetera narrat: quod cum majeſtas Principum aſſidua ſollicitudine omnium mortalium mentes ad piam rectamque vivendi rationem traducere inſtituiſſet, ut & ii, qui peregrinas, & ab inſtitutis Romanorum alienas cæremonias amplexi fuerant, debitos cultus Diis immortalibus exhiberent; accidit, ut quorumdam obſtinata mentis duritia eouſque proceſſerit, ut neque ipſa Imperialis præcepti juſtitia eos a propoſito revocare, nec imminentis ſupplicii gravitas deterrere potuerit. Quinimo cum plurimi ſeſe in abrupta pericula conjicerent; idque a Principum inſita pietate, atque clementia alienum eſſet, ea de cauſa *noſtræ devotioni*, inquit Sabinus, *præcepit, ut ad tuam ſolertiam litteras darem; quo ſi quis forte Chriſtianorum gentis ſuæ Religionem obſervare deprehenſus fuerit, eum omni moleſtia, ac diſcrimine liberes; neque ob hanc cauſam ulla pœna afficiendum cenſeas. Quippe cum tam longo jam temporis tractu compertum fuerit, eos nulla ratione adduci poſſe, ut ab hujuſmodi pertinacia abſcedant. Scribere igitur ad Curatores, & Magiſtratus, & Præpoſitos pagi ſingularum civitatum tua debet induſtria, ut ſciant ſibi impoſterum hujus negotii amplius curam agere non licere*. Quare Provinciarum Præſides, rati hanc revera fuiſſe Principis mentem, continuo Curatores, & Magiſtratus, & Pagorum Præpoſitos per litteras de Imperatoris voluntate certiores fecerunt. Nec ſcriptis tantum, verum etiam factis inſtabant, ut Principis juſſa executioni mandarentur; & quotquot ob confeſſionem Fidei in cuſtodiis habebant, dimiſerunt, iis etiam, qui ad metalla damnati fuerant, pari libertate conceſſa. Unde factum eſt, ut iterum in ſingulis civitatibus frequentiſſimi Chriſtianorum cœtus celebrarentur, non ſine maxima Ethnicorum admiratione, qui hæc contemplantes, exclamabant, ſolum magnum Deum eſſe, qui a Chriſtianis coleretur. Quotquot vero in perſecutionis diſcrimine fideliter, ac fortiter decertaverant, magna apud

Euſeb. lib. 9. 1.

Jesu Chr. an. 311.

apud omnes fiducia, & libertate fruebantur; quorum econtra vacillaverat fides, animæque naufragium fecerant, ii ad remedium avide properabant, Deum enixe deprecantes, ut propitius ſibi eſſe vellet: ſed & generoſi illi ſacræ Religionis pugiles metallorum ærumnis liberati, in ſuam ſinguli patriam reverſi ſunt.

Maximinus Imp. iterum in Chriſtianos ſævit. *Euſeb. lib. 9. 2.*

9. Tantam tamen Eccleſiæ felicitatem, Chriſtianorumque lætitiam diu tolerare non potuit, *qui in Orientis partibus gerebat Imperium* (ideſt Maximinus Imperator), *ne ſex quidem integris menſibus paſſus eſt permanere*; atque ad ſubruendam pacem nihil non molitur. Ac primum quidem Chriſtianos in cœmeteriis conventus agere prohibuit, ſollicitatis deinde per quoſdam nefarios homines Antiochenſibus, ut abs ſe inſtar maximi cujuſdam beneficii peterent, ne alicui Chriſtianorum Antiochiam incolere liceret. Aliis quoque Civitatibus, ut idem facerent, ſuggeſſit. Eorum, quæ Antiochiæ geſta ſunt, auctor fuit Theotecnus, vir violentus, verſutus, atque improbus, qui tunc in illa civitate Curatoris officium gerebat. Sacerdotes etiam per ſingulas civitates fecit, qui ſacrificia Diis quotidie offerrent.

Aliæ Maximini, ad oppugnandos Chriſtianos, artes. *Euſeb. lib. 9. cap. 3. 4. 5.*

10. Neque his contentus, alias adhuc ad opprimendos Chriſtianos machinas admovit; nam Antiochiæ ſimulacrum Jovi Phili dicatum *magicis artibus conſecratum erexit, cumque ad ejus cultum impuras initiationes, & inania myſteria, ac deteſtandas expiationes inſtituiſſet, compoſitis quibuſdam oraculis, ad ipſum uſque Imperatorem præſtigiarum ſuarum ſpecimen detulit. Fœdaque adulatione Principis gratiam captans Dæmonem adverſus Chriſtianos ſimulat, fingens Deum jubere, ut Chriſtiani, qui hoſtes ſui eſſent, urbe omnique territorio pellerentur*: quod non ſolum Antiocheni obtinuerunt, ſed & ceteri Magiſtratus aliarum civitatum, qui ſub Maximini Imperio erant; quin ipſi Provinciarum Præſides, cum id gratum eſſe Imperatori perſpexerunt, ſubditos omnes, ut idem facerent, ſubornarunt, quorum decretis cum Tyrannus dato reſcripto libentiſſime annuiſſet, *rurſus adverſus noſtros recrudeſcere cœpit perſecutionis furor*. Reſcripti formulam ab oblivione Euſebius vindicavit, quod Tyri ænea tabula inſcriptum ac vulgatum fuerat; quod & aliis civitatibus commune fuiſſe addit.

Maximini reſcriptum civitatibus datum, ut Chriſtiani pellerentur.

11. In mediis autem urbibus adverſus Chriſtianos decreta,

Jesu Chr. an. 311.
Euſeb. lib. 9. 7.

creta , & Imperialia reſcripta æreis inciſa tabulis propoſita fuiſſe narrat Euſebius , quorum hæc erat ſumma , quod aliquando infirma humanæ mentis audacia , abjectis ao diſcuſſis erroris tenebris , quæ miſerorum verius , quam impiorum hominum ſenſus exitiali ignorantiæ caligine involutos antehac obſederant , perſpicere potuit , Deorum immortalium providentia humanas res regi & gubernari . Quare , ut cognitum eſt , homines deteſtandæ vanitatis irrepſiſſe , ideſt Chriſtianos ; confeſtim ad ſuam pietatem , tanquam ad totius Religionis metropolim remedium aliquod , & ſubſidium efflagitantes confugiſſe narrat Imperator , ut ſcilicet Chriſtianos omnes , tanquam Diis inviſos , urbe , & confiniis ſuis exturbandos juberet . Quibus Imperator annuens , hanc adverſus Chriſtianos ſententiam tulit : *Si qui in deteſtando ſuæ vanitatis errore adhuc perſtant , ii quam longiſſime a veſtra urbe , & territorio ſecluſi , ſicut petiiſtis , abigantur , ut hoc pacto civitas veſtra juxta laudabile ſtudium veſtrum , ac deſiderium omni piaculo , ac ſcelere liberata , pro inſito ſibi affectu , cum debita veneratione Deorum immortalium ſacrificiis deſerviat* ; & poſt aliqua : *Devotioni veſtræ concedimus , ut quodcumque , & quammaximum volueritis beneficium pro hoc ac religioſo veſtro propoſito poſtuletis , quod abſque ulla mora conſecuturi eſtis .* Hactenus Maximini epiſtola ad civitatum Magiſtratus , quibus ſibi gratiſſimum fore teſtatur , quod urbibus undique Chriſtiani exturbarentur .

Fabuloſa Pilati Acta , & calumniæ in Chriſtianos vulgantur.
Euſeb. lib. 9. 5. 6. 7.

12. Poſt hæc , ut chriſtianam Religionem magis magiſque infamaret , fabuloſa , ac impia Pilati Acta per Imperii ſui provincias vulgari , atque ea pueris a ludimagiſtris tradi juſſit : *Cum Acta quædam apud Pilatum ſuper Salvatore noſtro habita compoſuiſſent plena impietatis adverſus Chriſtum , ea per omnes provincias Imperii Maximini , ipſo jubente , dirigunt , mandantes per litteras , ut ubique locorum , tam in agris , quam in civitatibus publice proponerentur , utque ludimagiſtri pro dictatis hæc declamanda , & memoriæ commendanda pueris traderent* : quo factum eſt , *ut pueri in ſcholis tota die nihil aliud præter Jeſum , ac Pilatum , & acta illa ad contumeliam noſtram conficta in ore haberent* . Præterea ut cum chriſtiana Religione Chriſtiani quoque infamarentur , dux quidam in urbe Phœnices Damaſco , cum impuras neſcio quas mulierculas ex foro rapuiſſet , tormenta ſe ipſis adhibiturum minatus , eo miſeras adegit , ut publice editis apud Acta teſtimoniis faterentur ,

Jesu Chr. An. 311.

tur, ſe olim Chriſtianas fuiſſe, & flagitiorum, quæ a Chriſtianis gererentur conſcias eſſe, atque eos in ipſis ædibus ſacris obſcœna quædam perpetrare aſſeverantes, & quæcumque alia ad infamandam Religionem noſtram effutire eas dux voluerat. Harum mulierum teſtimonia Actis inſerta dux confeſtim ad Imperatorem miſit: nec mora, jubente Principe, in ſingulis urbibus, ac locis hæc quoque ad chriſtianæ Religionis infamiam in publicum edita ſunt, & veteres, ac rancidæ calumniæ ſecundo, & tertio ſæculo vulgatæ, totieſque confutatæ, contra Chriſtianos iterum in vulgus diſperſæ ſunt. *Verum*, ſubdit Euſebius, *Dux ille calumniarum inventor, & propagator non multo poſt tempore mortem ſibi ipſi conſciſcens, improbitatis ſuæ pœnas dedit*, ſuorum ipſe ſcelerum vindex, & carnifex.

Chriſtiani iterum tormentis, & morti addicti.

Lib. 9. 6.

13. Itaque cum vix per menſes aliquot Chriſtiani reſpiraſſent: *Rurſus fuga, & acerbiſſimæ noſtrorum perſecutiones renovari cœperunt*, ait Euſebius; *Provinciarum Rectoribus acriter contra nos inſurgentibus, adeo ut nonnulli, qui in ſacræ fidei prædicatione excellere videbantur, comprehenſi, abſque ulla miſeratione capitali ſententia damnati ſunt*. Tres præcipue commemorat, qui Emeſæ nati, cum fidem Chriſti confeſſi eſſent, beſtiis objecti martyrio coronati ſunt; quorum primus erat Silvanus Epiſcopus decrepitæ jam ætatis, qui per annos quadraginta Sacerdotis miniſterium obierat, de cujus martyrio idem Euſebius: *Silvanus Emeſæ Epiſcopus, in ipſa urbe Emeſa feris objectus, una cum aliis quibuſdam in Martyrum numerum eſt relatus*; eodemque loco alterius Silvani Gazæ Epiſcopi martyrium narrat, cui in libro de Martyribus Palæſtinæ *cum aliis undequadraginta caput* truncatum fuiſſe addit.

Euſeb. hiſt. lib. 8. 13.

Silvani Epiſcopi martyrium.

De Martyrib. Palæſt. c. 13.

Petri Alex. Epiſcopi aliorumque martyrium.

Euſeb. lib. 9. 6.

14. Eodem tempore Petrus, qui Alexandrinæ Eccleſiæ ſumma cum laude hactenus præfuerat, quique cum ob vitæ ſanctimoniam, tum ob ſtudium, ac peritiam ſacrarum Scripturarum; vitæ ſanctitate, & doctrina Alex. Eccleſiam illuſtraverat, præter omnium expectationem, ſubito, & abſque ulla probabili cauſa, jubente Maximino, capite truncatus eſt, idemque cum ipſo complures alii in Ægypto Epiſcopi perpeſſi ſunt. Petrum hoc anno, perſecutionis nono, martyrio occubuiſſe, idem narrat Euſebius: *Poſt Theonam Epiſcopatum Alexandriæ ſortitus eſt Petrus, qui toto Sacerdotii ſui tempore, quod annis duodecim geſſit, maximam quoque ipſe gloriam eſt conſequutus, & ante perſecutionem quidem tribus annis Eccle-*

Euſeb. lib. 9. 32. infra.

ſiam

ſiam rexit ; deinde reliquum tempus ætatis arctiore diſciplina ſemet exercens tranſegit, nec minus interim communi Eccleſiarum utilitati magnifice proſpexit. Quam ob cauſam nono perſecutionis anno capite truncatus, martyrii coronam promeruit. Hactenus de Petri Alexandrini martyrio Euſebius : cujus Acta ab Anaſtaſio Bibliothecario latinitate donata, a Combefiſio collectioni ſuæ inſerta ſunt ; quin tamen interpolata ſint, non eſt dubitandum : quare Euſebii elogio contenti erimus. Nec pietatis tantum & fidei zelo, ſed & doctrina claruit Petrus Alex., cujus adhuc opuſcula ſuperſunt, cujuſmodi ſunt Epiſtola canonica, ſeu de pœnitentia, qua pro criminum qualitate variam pœnitentiæ rationem præſcribit tanta prudentia, ut nec in acriorem diſciplinam ſeveritas, nec in laxiorem benignitas inclinet.

JESU CHR. AN. 311. Acta Petri Alexandrini ſubdita. *Baron. ann. 310. num. 11. Combefiſ. auctuar. pag. 224 Tillem. tom. 5. pag. 755. Renaudot. hiſt. Patriarc. Alex. pag. 62. Pag. ad ann. 310. Dupin. tom. 1. ſæc. IV. p. 145.*

15. Petro Alexandrino Epiſcopo ſucceſſit Achillas, vir omni virtutum genere, doctrinaque præſtantiſſimus, cui, Euſebio teſte, chriſtianæ Fidei inſtitutio commiſſa fuerat, cum præ ceteris omnibus ſublimioris philoſophiæ, & Evangelicæ converſationis ſincerum ſpecimen operibus ipſis exhibuiſſet: quem Athanaſius etiam multis laudibus celebrat, ac *magnum Achillam* appellat. Quot annis Alexandrinam Eccleſiam Achillas rexerit, incertum eſt, cum in Petro Euſebii Chronotaxis de Alexandrinis Epiſcopis deſinat ; attamen *exiguo tempore*, ideſt menſibus aliquot tantum in Epiſcopatu eum ſupervixiſſe, diſerte teſtatur Theodoretus ; quem propterea Alexandro locum hoc eodem anno reliquiſſe conſtat. Cum Petro Alexandrino Epiſcopo alios quoque Ægypti Epiſcopos martyrii gloriam promeruiſſe tradit Euſebius : *Cum ipſo idem* (martyrium) *perpeſſi ſunt complures alii Ægyptiorum Epiſcopi*. At quinam ii fuerint, ob Euſebii ſilentium non conſtat ; Baſiliſcum tamen Cumanæ Epiſcopum, teſte Palladio, iis accenſemus, quem ſub Maximino Imperatore martyrium conſummaſſe narrat.

Achillas Alex. Epiſc. ordinatur, ejus elogium. *Euſeb. lib. 7. cap. 32. & ult. Athan. orat. 1. in Arianos pag. 30. ad Solitarios p. 30. Theodorit. hiſt. lib. 1. 2. Renaudot. hiſt. Patriarc. Alexand. pag. 67. Tillem. tom. 6. pag. 730. Euſeb. lib. 9. 6. Pallad. in Vit. Chryſoſt. cap. 11.*

16. Petro Alexandrino, aliiſque Ægypti Epiſcopis Lucianum Antiochenum Presbyterum addit Euſebiu[illegible]enti cujus eruditione, pietate, & martyrio ſubdit : *Sed & Lucianus Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter tum vitæ continentia, tum ſacrarum litterarum ſcientia conſpicuus, perductus Nicomediam, in qua tunc civitate Maximinus morabatur, cum defenſionem Fidei illius, quam profitebatur, coram Præſide edidiſſet, conjectus*

Luciani Presbyteri geſta, & martyrium. *Euſeb. ut ſupra.*

Jesu Chr. An. 311. *jectus in carcerem trucidatur*. Alibi vero de eodem Luciano, ejuſque Apologia, & martyrio: *Ex Antiochenis Martyribus Lucianus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter, vir in omni vita ſanctiſſimus, qui cæleſte Chriſti Regnum, primum verbis, & oratione Apologetica Nicomediæ, præſente ipſo Imperatore, poſtea vero etiam rebus ipſis aſſeruit*; dum ſcilicet pro Chriſti Fide ſanguinem ſudit. Idque hoc deſinente anno, vel proximi initio, cujus dies natalis ſeptima Januarii celebratur, ut ex Chryſoſtomi oratione, in ejus feſto habita, conſtat, qua legitur: *Heſterno die Dominus noſter aqua baptizatus eſt, hodie vero Servus ſanguine baptizatur*. Eum intra carceris clauſtra trucidatum narrat Euſebius; Chryſoſtomus vero, in carcere fame eum occubuiſſe, eo quod cibum, idolis ſacrificatum, guſtare recuſaverit; quare, *dum intus ſollicitaret fames, & appoſita deguſtare juberet*, ait Chryſoſtomus, *tum Dei timor ejus manus reprimebat, &, ut ipſius naturæ obliviſceretur, efficiebat. Dumque pollutam, & execrandam menſam intueretur, alterius menſæ tremendæ, ac ſpiritu redundantis recordabatur, adeoque inflammabatur, ut quævis ſuſtinere, ac pati ſtatuerat, potius quam impuros illos cibos deguſtare*. Judici deinde oblatus, & ad quæſtionem iterum revocatus, *ad unamquamque interrogationem tantum reſpondebat, Chriſtianus ſum; ac dicente tortore, quanam ex patria ortus es, quam artem profiteris, quibus parentibus natus, ad omnia dicebat, Chriſtianus ſum. Hoc uno, ac ſimplici verbo Diaboli caput percutiens, & illi continua, ſibique ſuccedentia vulnera infligens*. Hactenus de Luciani Presbyteri martyrio Chryſoſtomus.

Euſeb. lib. 8. 13.

Jo. Chryſoſt. orat. tom. 1. homil. 46.

De Luciani doctrina, & ſcriptis.

17. Nec ſolum martyrio, ſed eruditione, & ſcriptis illuſtris in Eccleſia perſeverat Luciani memoria; nam præter orationem, Antiochiæ coram Præſide pro chriſtianæ Fidei defenſione habitam, ſacræ etiam Scripturæ verſionem edidit, qua Antiochena, aliæque Orientis, & Syriæ Eccleſiæ utebantur; unde Hieronymus, laudata Luciani in Scripturarum ſtudiis diligentia, ſubdit: *Tantum in litterarum ſtudio laboravit, ut uſque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur*. Tres quippe ſacræ Scripturæ verſiones eo ſæculo apud Orientales in uſu erant, ut idem Hieronymus adnotat: *Alexandria, & Ægyptus in ſeptuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem, Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani*

Hier. de Vir. Illuſtr. in Luciano.

Hier. epiſt. 107. & Apolog. adv. Ruff.

ciani Martyris exemplaria probat, mediæ inter has Provinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Euſebius, & Pamphilus vulgaverant, totuſque Orbis hac inter ſe trifaria variatione compugnat. Hæc ille, qui de Luciani ſcriptis alibi addit: *Feruntur rurſum ejuſdem Luciani de Fide libelli, & breves ad nonnullos epiſtolæ*.

Jesu Chr. an. 311.

Hier. ut ſup. de Vir. Illuſtr.

18. Quem hactenus eruditione, pietate, & martyrio inclaruiſſe diximus, veterum nonnulli, Samoſateni Antiocheni quondam Epiſcopi diſcipulum fuiſſe, ac Arianis viam monſtraſſe tradiderunt; quem ſane Arius opinionis ſuæ non ſolum patronum, ſed & auctorem fuiſſe, gloriabatur, itaut impietatis ſuæ aſſeclas *Collucianiſtas* vocare non dubitaret, ideſt Luciani diſcipulos. Quapropter Victorinus, Epiphanius, aliique inter Arianæ perfidiæ ſectatores Lucianum accenſendum exiſtimarunt; quin ſi vera narrat mendaciſſimus Philoſtorgius, præcipuos ipſe Arianæ hæreſis patronos docuit, ideſt, Euſebium Nicomedienſem, Marim Calcedonenſem, Theognim Nicienſem, Leontium Antiochenum, alioſque celebriores ejuſdem ſectæ Coriphæos. Sed & Alexander Alexandrinus Epiſcopus, in epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Arii impietatem eamdem eſſe teſtatur *imitationem Pauli Samoſateni Antiochiæ Epiſcopi, cui ſuccedens Lucianus, pluribus annis a communione trium Epiſcoporum ſeſe abjunxit*. Multa tamen in Luciani excuſationem, aut defenſionem afferri ſolent, atque in primis eidem contigiſſe, quod alias ſanctiſſimis, doctiſſimiſque viris acciderat, Gregorio ſcilicet Thaumaturgo, Dionyſio Alexandrino, aliiſque, qui hæreſes confutando, in contrarios errores labi aliquando viſi ſunt; ſic cum Lucianus in Sabellii hæreſim inveheretur, Arianis facem prætuliſſe viſus, cum alioquin catholicam tueretur Fidem. Quod vero Ariani eumdem ſententiæ ſuæ patrocinari ſcripſerint, ac ſe *Lucianiſtas*, aut *Collucianiſtas* dicerent, ejuſdem orthodoxiæ præjudicare non poteſt, cum injuria hæc de tanto viro vulgaverint, ut ſuæ ſectæ nomen compararent. Alii etiam Luciani memoriam, ac ſanctitatem ita tuentur, ut cum Samoſateni hæreſim aliquando docuiſſe tradant; eaque de cauſa ſub tribus Antiochenis Epiſcopis, ideſt Domno, Timeo, ac Cyrillo ſchiſma feciſſe, ut Alexander Epiſcopus Alexandrinus narrat: at veritate cognita, ad Eccleſiæ unitatem reverſum, in ea martyrio occubuiſſe, prioreſque maculas tum catholicæ Fidei

De Luciani Presbyteri fide: num Arianis præluxerit.

Theod. lib. 1. 4.

Epiph. hær. 69.

Theodor. hær. fab. lib. 1. 3.

Luciani Apologia.

Baron. ann. 311. 11.

Schelestr. de Synod. Antioch. diſſer. 3.

Tillem. tom. 5. pag. 769.

Valeſ. in lib. 1. c. 4. Theod.

Pag. num. 12. ad an. 311.

Ruinart. Act. Martyr. pag. 160.

Jesu Chr. An. 311.

Fidei confeſſione, tum ſanguine eluiſſe, quod & Alexander Alex. Epiſcopus in ſupra citata epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum innuere videtur, dum eumdem non perpetuo ab Eccleſia abalienatum, ſed pluribus annis ab ea defeciſſe ſcribit. Incertam rem in incerto relinquimus. Id penes omnes conſtat, eum pro catholica Fide, atque in Eccleſia catholica fortiter certaſſe, & martyrii gloriam promeruiſſe; quare a Joanne Chryſoſtomo, Hieronymo, aliiſque Patribus multis laudibus meruit exornari; ejuſque memoria in Latina, & Græca Eccleſia die ſeptima Januarii recolitur.

Antonius perſecutionis tempore Alexandriam petit.

19. Maximini vigente perſecutione, Antonius, quem eremum petiiſſe alibi diximus, audito fratrum periculo, & ſubeundi martyrii deſiderio incenſus, ſolitudine relicta, Alexandriam ſe contulit, ut Fideles pro fide certantes, verbo, & exemplo, ad perferendas paſſiones excitaret, aut Martyr ipſe efficeretur, ut in ejus vita narrat Athanaſius: *Pergamus*, inquit, *ad glorioſos fratrum triumphos, ut aut ipſi congrediamur, aut ſpectemus alios prœliantes*. Cumque ſe ultra Confeſſoribus in metallis, vel in carceribus conſtitutis, quibus hactenus inſervierat, ſociare non poſſet, magna cum libertate, & cura ingrediens ad Judicem, Chriſti Athletas exhortabatur, ne terrore impiorum ſubacti Dominum negarent, & judicis ſententia damnatos, exultans, quaſi ipſe viciſſet, ad locum ſupplicii comitabatur. Quare commotus Judex ob Antonii, Sociorumque ejus conſtantiam, omnes monachos, non ſolum e tribunali excludi præcepit, ſed & Alexandria exturbari. Quare ceteris abeuntibus ſolus Antonius impavidus, neglecto perſecutoris imperio, in turba remanſit; quin ſcapulare ſuum lavit, ac die ſequenti in quodam eminentiori loco, candente procinctus veſte, cupiditate martyrii flagrans ſtetit. Sed Dominus, qui ſuo gregi parabat magiſtrum, ſervavit Antonium, ut inſtitutio Monachorum illius non ſolum oratione, ſed & exemplo firmaretur. Interea e Sanctorum Confeſſorum veſtigiis vix diſcedebat, anxia circa eos cura, & charitatis vinculis colligatus perſeverans. Ceſſante autem perſecutione, ad priſtinum Monaſterium rediit, ubi acrioribus ſe jejuniis, vigiliiſque conficiens, longum martyrium duxit, ait Athanaſius de rebus ab Antonio perſecutionis tempore geſtis.

Athan. in vita Antonii.

Alexander Africæ tyrannus interiit. Maxentius eamdem vexat.

20. Anno tercenteſimo ſeptimo, ut ibidem diximus, Alexander tyrannidem in Africa uſurpaverat; eum tamen hoc anno poſt-

poſtquam Maxentii exercitus profligavit, ac e medio ſuſtulit, atrociorem Maxentius vexationem ibidem egit, quippecum proſcriptionibus, direptionibus, & occiſionibus eam vaſtavit; *quotquot in Africa vel genere, vel opibus præſtabant*, ait Zozimus, *velati Alexandri partium ſectatores deferendi, nec ullis omnino parcebatur*; dum alii *necarentur, alii facultates ſuas amitterent*. Carthaginem vero diripi, vaſtari, incendi juſſit, ut pluribus Zozimus, & Victor de Cæſaribus narrant.

Zozim. lib. 2. 14.

Donatiſtarum ſchiſma conflatur.

21. Maxentii tyrannide gravior alia calamitas Africam hoc anno invaſit, ſchiſma ſcilicet Donatiſtarum, cujus initia hoc anno figenda eſſe viri doctiſſimi adnotarunt. Baronius quidem, aliique ejuſdem ſchiſmatis initia anno 306. alligarunt; tardius tamen, nec ante hunc annum exortum fuiſſe, cum Maxentius Africam obtinuiſſet, teſtis eſt Optatus, dum ait: *Tempeſtas perſecutionis peracta, & definita eſt, jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta*.

Præfatio in tom. 9. S. Aug. pag. 1.
Valeſius diſſert. de ſchiſm. Donat. inter oper. Euſeb. to. 1. pag. 766.
Noriſ. op. to. 5
Tillem. tom. 6. par. 11. & 699
Pag. ad ann. 306. n. 23. 24.
Optat. contra Parmen. lib. 1. cap. 18. p. 15. edit. Pariſ.

Qua occaſione, quibuſve auctoribus exortum ſit ſchiſma Donatiſtarum.

22. Qua occaſione, quibuſve auctoribus fatale incendium, quod Africam, totamque Eccleſiam quodammodo vaſtavit, exortum fuerit, videamus, cujus parentes fuerunt homines ſuperbi, fures, & impii, ut pluribus Auguſtinus, & Optatus narrant. Itaque reſtituta Africanis Eccleſiis per Maxentium pace, poſt obitum Menſurii Carthaginenſis Epiſcopi, cum viciniores Epiſcopi Carthaginem convenilſent, ut Epiſcopum Carthaginenſis Eccleſiæ ordinarent, Botrus, & Cæleſius, qui ambitionis ſtimulo agitati Carthaginenſi Sedi inhiabant: *Operam dederunt, ut abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent; tunc ſuffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano ordinatur. Botrus, & Celeſius de ſua ſpe dejecti ſunt. Brevis auri, & argenti, ſedenti Cæciliano, ſicut delegatum a Menſurio fuerat, traditur adhibitis teſtibus*, ideſt ſchedula, qua conſcripta habebantur vaſa auri, & argenti, quæ Menſurius Epiſcopus, ne a perſecutoribus raperentur, ſenioribus tradiderat. Cæciliano ergo Epiſcopo reddita eſt ſchedula, ut vaſa Eccleſiæ a depoſitariis, ſeu furibus vindicaret.

Aug. in brevic. collat. ad Donatiſt. in pſalm. contra Donatiſt. & contra Parmen, alibique paſſim.

Mulieris ira, Sacerdotum ambitio, & avaritia Donati ſchiſma conflatur.

23. *Convocantur itaque ſupramemorati ſeniores*, ait Optatus, *qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cum reddere cogerentur, ſubduxerunt communioni plebem. Non mi-*

Optat. ut ſupra.

JESU CHR. AN. 311.

minus & ambitores, quibus & ordinari non contigit (nempe Botrus & Cœleſius), *necnon & Lucilla, quæ jamdudum ferre non potuit diſciplinam, cum omnibus ſuis potens factioſa fœmina communioni miſceri noluit. Sic tribus convenientibus cauſis, & perſonis factum eſt, ut malignitas haberet effectum. Schiſma igitur illo tempore confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit*. Ab iis propterea graviores contra Cæcilianum calumniæ confictæ ſunt, ut vitioſam ejus ordinationem probarent, atque ad Secundum Tigiſitanum miſerunt (erat is Primas Numidiæ, de quo multa ſuperius) eumque rogarunt, ut Carthaginem veniret. Cum eo illuc quoque convolant Epiſcopi Traditores, nempe Donatus Maſculitanus, Victor Ruſſicadienſis, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, Purpurius Limatenſis, Menalus, & alii plures, qui ab avaris, ab ambitioſis, ab iratis hoſpitio ſuſcepti ſunt, ideſt ab iis, qui vaſa Eccleſiæ detinebant, ab iis, qui Carthaginenſi ſede inhiantes, excluſi fuerant, ab iratis denique, ſeu a Lucilla adverſus Cæcilianum vehementer irata, & conſpiratione facta, cum nihil adverſus Cæcilianum malignantium turba, aut invidia confingere potuiſſet, de ordinatore ſuo, quod ab iis falſo Traditor dicebatur, infamatus eſt Cæcilianus: quibus ille repoſuit, ſi Felix utpote traditor, ut illi dicebant, Epiſcopum ordinare non potuit, ipſi iterum ad ſe advenientes, tanquam adhuc Diaconum ordinarent. *Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Cæcilianus filius ſororis ejus eſſet* (quem occiderat) *ſic ait: Exeat huc, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia. His rebus compertis, tota Eccleſia Cæcilianum retinuit, ne ſe latronibus tradidiſſet*. Hæc Optatus.

Pravus Donatiſtarum ſenſus.

24. Porro hunc ipſum Optati locum, quo Cæcilianus Felicem Aptungitanum ordinatorem ſuum non excuſavit, ſed dixit: *Si ille nihil contuliſſet, ipſi venirent, & ſe tanquam adhuc Diaconum ordinarent Epiſcopum*; hæc, inquam, a Cæciliano ſic dicta, poſteriores Donatiſtæ arripientes, in Cæcilianum ipſum converterunt, quaſi ejus confeſſione conſtaret, ordinatum fuiſſe a traditore, ut S. Auguſtinus de eiſdem teſtatur, ſic dicens: *Dixerunt etiam ſcripſiſſe Optatum, quod Cæcilianus dixerit: Si traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant, & ordinent me. Quod quidem ſi dictum eſt, ita dici potuit ad illos irridendos, quibus hoc mandaſſe perhibetur;*

quo-

quoniam certus erat, ordinatores ſuos non eſſe traditores; *non enim ait*: *Quia Traditores ſunt*, *ſed ſi Traditores ſunt*, *ut innocentia eorum probanda reſtaret*, *ubi probari recte potuiſſet*.

Jesu Chr. an. 311.

Vetus conſuetudo in ordinando Epiſcopo Carthagin.

25. Quod vero Cæcilianus, non vocatis Numidis Epiſcopis longe poſitis, ſed ab his, qui proximi eſſent, ordinatus ſit, idem S. Auguſtinus agens contra Donatiſtas, hæc eadem in Cæcilianum objicientes, ſic aſſerit: *Quod non expectaverit Cæcilianus*, *ut princeps a principe ordinaretur*, (nempe Primas provinciæ Africæ a Primate Numidiæ Secundo Tigiſitano) *cum aliud habeat Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo*, *ut non Numidiæ*, *ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis ordinent*; *ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus*, *ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus*.

Ex Optato redarguti Donatiſtæ.

26. Auguſtinus, etiam de ſchiſmatis auctoribus agens, narrat, Optatum Milevitanum Epiſcopum certis argumentis demonſtraſſe: *Lucillam pecunioſiſſimam*, *& factioſiſſimam fœminam*, *quam pro Eccleſiæ diſciplina ſanctus Cæcilianus adhuc Diaconus læſerat*, *fuiſſe*, quibus ceteri acceſſerunt, aut fures Eccleſiaſtici argenti, ſive ad Epiſcopatum ſe non perveniſſe dolentes, & ſibi prælatum Cæcilianum ægre ferentes, quem ea de cauſa quibus potuerunt calumniis inſectati ſunt.

Majorinus Pſeudo-Epiſcopus Carthagine ordinatur.

Optatus lib. 1. cap. 19. & 20.

27. Conflato autem ſchiſmate, cum Epiſcopi Numidiæ, numero ſeptuaginta, in unum conveniſſent, ut illud firmarent, Majorinum lectorem, ac Lucillæ domeſticum, ipſa ſuffragante, Epiſcopum ordinarunt: iidem nempe Epiſcopi, qui in Concilio Cirthenſi, de quo ſupra egimus, crimina ſua confeſſi fuerant, & indulgentiam ſibi invicem tribuerant, *& ut crimina in ſilentium mitterent*, *vitam infamare conati ſunt alienam*, ait Optatus; *& cum poſſent ipſi ab Innocentibus argui*, *innocentes arguere ſtuduerunt*, *mittentes ubique litteras livore dictante conſcriptas*.

Crimina falſa a Donatiſtis Cæciliano adſcripta.

Aug. in Brevic. collat. diei 3.

28. Duo autem præcipue contra Cæciliani ordinationem a Donatiſtis objecta ſunt, traditionis ſcilicet crimen, quaſi a Traditoribus ordinatus eſſet; alterum, quod cum Diaconus eſſet, perſecutionis tempore Confeſſoribus, in carcere detentis, victum negaverit: iiſque falſis criminibus accuſatum, abſentem, & inauditum condemnarunt: *Recitatum eſt Concilium ferme ſeptuaginta Epiſcoporum contra Cæcilianum*, *apud Carthaginem factum*, *ubi eum abſentem damnavere*, *quod ad eos venire*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 311.

nire noluerit, tanquam a Traditoribus ordinatus, & quia cum eſſet Diaconus, victum afferre Martyribus in cuſtodia conſtitutis prohibuiſſe dicebatur. Nominati ſunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui Traditores aſſerebantur publicis geſtis, quæ tamen geſta non legebantur. Inter eos maxime Felix Aptungenſis acerbius accuſatus eſt, itaut fons malorum omnium diceretur; deinde ſententiæ a ſingulis dictæ ſunt. Primitus a Secundo Tigiſitano, qui eorum Princeps erat, ideſt Numidiæ Primas; deinde a ceteris, quibus expreſſerant ſe Cæciliano, & collegis ejus non communicare. Hactenus de Cæciliani condemnatione Auguſtinus. Majorinum autem in Cæciliani locum ordinatum fuiſſe, Lucillæ non ſolum inſtinctu, cujus domeſticus erat; ſed & pecunia electoribus, & ordinatoribus diſtributa, ex Actis coram Zenophilo viro Conſulari conſtat, quibus de Majorini ordinatione hæc leguntur ex libello Epiſcopis

Auguſt. to. 9. in Append. pag. 30. tradito: *Teſtis eſt Chriſtus, & Angeli ejus, quoniam tradiderunt, quibus communicatis; & eſt Silvanus a Cirthæ traditor eſt, & fur rerum pauperum; quod omnes vos Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſeniores ſcitis de quadringentis follibus*

Aug. contra Creſcon. lib. 3. contra Petil. lib. 1., alibique paſſim. *Lucillæ clariſſimæ fœminæ, pro quo vobis conjuraſtis, ut fieret Epiſcopus Majorinus, & inde factum eſt ſchiſma.* Hæc ibi: quæ Auguſtinus contra Donatiſtas agens ſæpe commemorat.

Unde Donatiſtæ dicti ſint

29. Donatiſtarum ſectæ nomen duo Donati dedere, quorum alter, qui hoc tempore vivebat, a Caſis Nigris Epiſcopus in Numidia, princeps dici poteſt, eo quod factioſi ſchiſmatis præcipuus incentor, auctorque fuerit. Alter vero, iſque notior, non multo poſt fuerit Carthaginenſis Epiſcopus poſt Majorinum, qui cum doctrina, & eloquio polleret, ſchiſma firmavit, & auxit; eoque magis, quam ſeniore Donato a

Aug. contra Creſcon. lib. 1. de hæreſ. cap. 69. Caſis Nigris, gloriabantur Donatiſtæ, ſeu, ut dici malebat Creſconius, *Donatiani*: *Hujus Hæreſis Principem accepimus fuiſſe Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Chriſtianam dividens plebem, adjunctis ſibi ejuſdem factionis Epiſcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Epiſcopum; cui Majorino Donatus Epiſcopus alius in eadem diviſione ſucceſſit, qui eloquentia ſua ſic confirmavit hanc hæreſim, ut multi exiſtiment, propter ipſum potius eos Donatiſtas vocari*, ait Auguſtinus; qui cum alicubi ſcripſiſſet, Donatum Carthaginenſem, cujus refellebat epiſtolas, Imperatorem rogaſſe, ut tranſmari-

Digitized by Google

marinos Epiſcopos eligeret, qui de controverſia inter ipſum, & Cæcilianum cognoſcerent, hoc poſtmodum retractaverit: *Ille enim*, qui hæc apud Imperatorem geſſerat, *non erat Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopus, ſed a Caſis Nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipſum nefarium ſchiſma commiſit*. Sed de Donatiſtarum origine, & nomine ſatis: quid poſtmodum in ea cauſa geſtum ſit, inferius narrabimus.

JESU CHR. AN. 311. *Retract. lib. 1. 21.*

JESU CHRISTI AN. 312. MELCHIADIS PAPÆ 2.
CONSTANTINI IMP. 6. LICINII, ET MAXIMINI IMP. 6.
COSS. IN ITALIA, ET AFRICA MAXENTIO IV.
IN RELIQUO ROMANO ORBE.
COSS. CONSTANTINO II., ET LICINIO II.
OLYMP. 272. AN. 4. URBIS AN. 1065.

Maxentius Romæ triumphat.

1. Inſequens Chriſti annus duodecimus ſupra tercenteſimum, in Italia, & Africa Maxentium Conſulem habuit. In reliquo Romano orbe Conſtantinum, & Licinium ſecundo, ut Idatiani Faſti, libellus de Præfectis Urbis, & Bucherii Catalogus habent: *Maxentio IV. Conſule*, ait libellus Præfectorum Urbis, *qui ſunt Conſtantino II., & Licinio II.* idemque Eccleſiæ, & Imperio fauſtiſſimus fuit, non tam ob triumphum, quem Romæ, ob recuperatam Africam, ut anno elapſo diximus, Maxentius geſſit; ſed ob Conſtantini victoriam, & triumphum, quem hoc eodem labente anno Romæ de Maxentio duxit, de quibus nunc agendum eſt.

Conſtantinus bellum adverſus Maxentium ſuſcipit.

2. *Quinto Imperii anno, Conſtantinus bellum civile adverſus Maxentium commovit, copias ejus multis præliis fudit*, ait Eutropius: quod bellum anno elapſo cœptum, qui quintus, & ſextus Conſtantini erat, labenti, ut videbimus, Maxentii interitu confectum eſt. Bello occaſionem ipſe Maxentius dederat, qui *Conſtantino bellum jam indixerat, quaſi necem patris ſui vindicaturus*, ideſt Galerii Maximiani, ait Lactantius; ſed & Zozimus: *Maxentius occaſiones gerendi adverſus Conſtantinum belli quærebat, ſeque dolere propter obitum patris ſui ſimulans, cui mortis cauſam Conſtantinus præbuiſſet*. Quin & deturbatis Conſtantini imaginibus, eumdem ad bellum provocaverat. Unde in panegyrico Nazarius: *Pugnaſti*, inquit, *Imperator coactus quidem, ſed hoc maxime victoriam meruiſti, quia non deſiderabas; optaſti pacem* . . .

 nega-

JESU CHR. AN. 312.

negata eſt concordia, cui erat parata victoria. Maxentii exercitus centum millibus militum conſtabat, Conſtantini vix quadraginta millibus, ſi Nazario fides. Horum numerum auget Zozimus, ac Maxentium centum ſexaginta millia peditum, decem & octo millia equitum habuiſſe tradit; Conſtantino vero millia peditum nonaginta, equitum octo: imparibus ſane viribus cum Maxentio Conſtantinum pugnaſſe, & Deo favente magis, quam armis viciſſe, uterque ſcribit.

Zozim. lib. 2. 15.

Conſtantinus Romam uſque Victor progreditur.

3. Ut in Italiam Conſtantinus cum exercitu pervenit, Seguſium primo, deinde Taurinum, tum Brixiam, & Veronam, ubique Victor pertranſiit, ac nullo fere reſiſtente Romam uſque progreditur, ubi de ſumma Imperii pugnatum eſt: *Prætereo te*, inquit Nazarius, *Aquileja, te Mutina, ceteraſque regiones, quibus propter inſequutas incredibilium bonorum commoditates, gratiſſima fuit oppugnationis injuria. Recuperata igitur Italia hic primus fuit liberandæ Urbis gradus*. Sed de bello Romæ geſto, & Conſtantini victoria Lactantium audiamus, qui, narrato fœdere Maximinum inter & Maxentium inito in Conſtantini perniciem, ſubdit: *Jam mota inter eos fecerant arma civilia, & quamvis ſe Maxentius Romæ contineret, quod reſponſum acceperat, periturum eſſe, ſi extra portas urbis exiiſſet, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod & patris ſui exercitum receperat a Severo, & ſuum proprium de Mauris, atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, & Maxentiani milites prævalebant; donec poſtea confirmato animo Conſtantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad Urbem propius admovit, & e regione pontis Milvii conſedit. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt a. d. ſextum Kalendas Novembris, & quinquennalia terminabantur. Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ut cœleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut juſſus eſt, & tranſverſa X. littera, ſummo capite circumflexo, Chriſtum in ſcutis notat. Quo ſigno armatus exercitus capit ferrum. Procedit hoſtis obviam ſine Imperatore, pontemque tranſgreditur. Acies pari fronte concurrit; ſumma vi utrimque pugnatur, neque his fuga nota, neque illis. Fit in Urbe ſeditio, & dux increpitatur, velut deſertor ſalutis publicæ, cunctiſque repente populus, Circenſes enim natali ſuo edebat, una voce ſubclamat, Conſtantinum vinci non poſſe. Qua voce conſternatus,* pro-

Cœleſti viſione, & ſigno Crucis de futura victoria Conſtantinus admonetur.

Lactant. cap. 43. 44.

proripit ſe , ac vocatis quibuſdam Senatoribus , libros Sibyllinos inſpici jubet , in quibus repertum eſt , illo die hoſtem Romanorum eſſe periturum . Quo reſponſo in ſpem victoriæ inductus procedit , in aciem venit . Pons a tergo ejus ſcinditur . Eo viſo pugna crudeſcit , & manus Dei ſupererat aciei . Maxentianus proterretur ; ipſe in fugam verſus properat ad pontem , qui interruptus erat , ac multitudine fugientium preſſus , in Tiberim deturbatur . Hæc Lactantius de Conſtantini victoria , & Maxentii interitu . Jesu Chr. an. 312.

4. Rem paulo aliter , & fuſius narrat Euſebius , cui ſane fides negari non poteſt ; cum ab eodem Conſtantino acceptam hiſtoriam referat . Itaque cum Conſtantinus patris ſui exemplo , unico , & ſoli Deo rerum omnium Creatori deſervire deſtinaſſet , quem *cum ſemper coluiſſet toto vitæ ſpatio , eumdem ſervatorem , ac Imperii cuſtodem , omniumque bonorum auctorem habuerat . Hujus itaque opem implorare cœpit , orans , & obſecrans , ut ſe ipſi noſcendum præberet .* Precanti , ac ſuppliciter poſtulanti , admirabile quoddam ſignum a Deo miſſum vidit . Quod ſi quidem ab alio quopiam diceretur , haud facile auditores fidem habituri eſſent , ſubdit Euſebius : *Verum cum ipſe Victor Auguſtus nobis , qui hanc hiſtoriam ſcribimus , longo poſt tempore , cum videlicet in ejus notitiam , & familiaritatem pervenimus , id retulerit , & ſermonem ſacramenti Religione firmaverit ; quis poſthac fidem huic narrationi adhibere dubitabit ?* Sed & rerum eventus viſionis veritatem confirmavit , quare horis diei meridianis , ſole in occaſum vergente , Crucis trophæum in Cœlo ex luce conflatum , ſoli ſuperpoſitum , ipſis oculis ſe vidiſſe affirmabat , cum hujuſmodi inſcriptione : *HAC VINCE*. Ea tamen viſione habita *addubitare animo cœpit* , proſequitur Euſebius , *quidnam hoc ſpectrum ſibi vellet* . Cui cogitanti , ac diu multumque apud ſe reputanti , nox tandem ſupervenit . Tum vero Chriſtus dormienti apparuit cum ſigno eodem , quod in Cœlo oſtenſum fuerat , præcepitque , ut militare ſignum ad ſimilitudinem ejus , quod in Cœlo viderat , faceret , eoque tanquam ſalutari præſidio in præliis uteretur . Lactantius vero viſione prætermiſſa , eum in quiete commonitum fuiſſe tradit , ut ſalutare ſignum in ſcutis ſculpi juberet ; unde primo diluculo ſurgens , arcanum omne amicis expoſuit , convocatiſque auri , & gemmarum fabris , medius inter eos ſedens , ſpeciem ſigni eis ſermone de-

Crucis trophæum Conſtantino oſtenſum . *Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 1. cap. 27. ad 31.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 312.

depinxit, præcepitque, ut auro, & lapillis ſimilitudinem ejus exprimerent, quod & nos aliquoties vidiſſe meminimus, ait Lactantius.

Quæ eſſet Labari forma. *Conſtant. Vita lib. 1. cap. 31.*

5. Labari autem forma hæc erat: *Haſta longior auro contexta erat, tranſverſam habet antennam inſtar Crucis. Supra in ipſa haſtæ ſummitate corona erat affixa gemmis, & auro contexta. In hac ſalutaris appellationis Signum, duæ videlicet litteræ nomen Chriſti primis apicibus deſignabant littera* ☧ *in medio ſui decuſſata. Quas quidem litteras Imperator in galea geſtare poſt hæc etiam conſuevit. Porro ex antenna, quæ oblique per haſtam trajecta eſt, velum quoddam dependebat, textum videlicet purpureum pretioſis lapidibus inter ſe junctis, & luminis ſui fulgore oculos præſtinguentibus coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quamdam pulchritudinis ſpeciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipſa vero recta haſta ab infima ſui parte in magnam longitudinem producta, in ſuperiori parte ſub ipſo Crucis ſigno ad ipſam veli variis coloribus depicti ſummitatem, auream Deo cari Imperatoris, & liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus ſublimem geſtabat.* Hæc de Labari forma Euſebius, quo adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias Imperator ſemper eſt uſus.

Crux Conſtantino quo loco apparuerit. *Conſt. vita lib. 1. 28.*

6. Quo loco Crucis trophæum Conſtantino apparuerit, cum veterum nemo tradiderit, difficillimum eſt definire, quia non obſcure locum ſe ignoraſſe Euſebius teſtatur: *ſeipſum & milites omnes, qui ipſum neſcio quo iter facientem, ſequebantur &c.*; eam tamen viſionem adventum Conſtantini in Italiam, ejuſque de Maxentii exercitu victorias Seguſii, Taurini, & Veronæ habitas, præceſſiſſe indicat his verbis: *Cumque ſummum omnium Deum patronum ſibi adſciviſſet, Chriſtumque ejus Filium Salvatorem, atque auxiliatorem invocaſſet, & victoriæ trophæum, ſalutare ſcilicet Signum, ante milites, ac Stipatores ſuos ſtatuiſſet, cum omni exercitu progreſſus eſt* (in Italiam ſcilicet) *divino fretus auxilio, primam ſecundam, ac tertiam Tyranni aggreſſus aciem, cunctis primo ſtatim impetu fuſis, ac fugatis in interiora Italiæ penetravit.* Quæ ſi vera ſunt, ſequitur neceſſario, in Galliis Crucis trophæum eidem oſtenſum fuiſſe: quod & Nazarius in panegyrico Conſtantini indicat, dum illud in Galliis præcipue notum fuiſſe narrat: *In ore denique eſt omnium, Galliarum exercitus viſos,*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 312.

viſos, qui ſe divinitus miſſos præſeferebant, & quamvis cæleſtia ſub oculis hominum venire non ſoleant; illi tamen auxiliatores tui aſpici, audirique patientes, ubi meritum tuum teſtificati ſunt; mortalis viſus contagium refugerunt. Hæc Nazarius vir Gentilis de Crucis ſigno Conſtantino exhibito. Quare in Galliis ea accidiſſe nonnulli cenſent.

Signum Crucis Conſtantino juxta Romam oſtenſum.

Bar. an. 312.
Tillem. hiſt. Imp. tom. 4. pag. 632.
Mamach. Orig. Chriſt. tom. 1. lib. 1 pag. 392.
De mort. perſeq. cap. 44.
Balut. in Lact. ut ſupra.
Pag. ad ann. 312.

7. Poſtquam vero in lucem prodiit Lactantius, Eruditorum plurimi, Crucem Conſtantino eo tempore apparuiſſe autumant, quo Romæ proximus cum Maxentio dimicaturus erat. Narrat enim ſexto Kal. Novembris, quo quinquennalia Maxentii terminabantur, in quiete eum commonitum fuiſſe; *ut cæleſte Signum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret*; quod ſequenti die factum eſt. Ex Euſebio quoque ſcimus: *Cum Crucis trophæum, horis meridianis, Sole in occaſum vergente, vidiſſet, addubitare animo cœpit, quidnam hoc ſpectrum ſibi vellet, cum nocte adveniente Chriſtus dormienti apparuit, præcepitque, ut militari ſigno ad ſimilitudinem ejus, quod in Cœlo vidiſſet, fabricato, eo tanquam ſalutari præſidio in præliis uteretur*. Inter viſionem itaque e Cœlo oſtenſam, & apparitionem in ſomnis factam, vix horæ perpaucæ interceſſerunt. Hæc porro, Lactantio teſte, ſexto Kalendas Novembris tunc acciderunt, cum prope Romam eſſet, Maxentii exercitui obviam factus. Quare Lactantium Euſebio hoc loco præferendum eſſe cenſemus: de quibus tamen plura videri poſſunt apud Mamachium, Tillemontium, alioſque, qui in utramque partem quæſtionem tractant; præ ceteris vero Noriſium in Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum *tom. 4. pag. 661.*

Mamach. ut ſupra.
Tillem. Hiſt. Imp. tom. 4.
Balut. Pag. ut ſupra.

Maxentius in Tiberim præcipitatus interiit.

Euſeb. Conſt. vita lib. 1. 38.

8. Eo itaque ſalutari ſigno munitus cum hoſte congreditur Conſtantinus, quem Deus, *quaſi vinculis quibuſdam conſtrictum, quam longiſſime extra Urbis portas protraxit*. Inito certamine, cum Maxentius una cum ſuis in fugam verſus in Urbem rediret, Mylvio ponte ſoluto, in Tiberim una cum ſtipatoribus ſuis, veluti alter Pharao cum exercitu præcipitatus eſt: *In quo ponte ex ſcaphis firmiſſime contabulato, ipſe machinam quamdam in ſuam ipſius perniciem conſtruxerat, ejuſmodi dolo Conſtantinum interceptum iri ſperans; verum huic* (Conſtantino ſcilicet) *Deus, quem colebat, auxilio adfuit, ut impius ille Maxentius occultas machinas in ſuum ipſius caput miſer comparavit*, ac *incidit in foveam, quam fecit*. Sed de his plura apud Euſebium.

9. In-

Jesu Chr. an. 312. Maxentio caput amputatur, eique Romæ, & in Africa illuditur.

9. Interea Mylvio ponte abrupto, Maxentius in flumen præcipitatus *cum equo, & armis inſignibus fruſtra conaretur per abrupta ripæ ulterioris evadere*, ait Nazarius, *idem Tiberis correptum gurgite devoravit; cumque aliorum hoſtium corpora, & arma præceps fluvius volvenda devexerit, illum eodem, quo extinxerat loco tenuit*, ait ignotus auctor panegyrici, in Conſtantini laudem recitati. Elato itaque ab undis cadavere, caput ejus abſciſſum eſt, ac haſtæ impoſitum Romæ delatum, cujus e conſpectu *univerſus in gaudia, & vindictam populus Romanus exarſit. Injiciebantur*, ait Nazarius, *vulgo contumelioſiſſimæ voces; nam & ludibriis oppreſſoris ſui auſpicari libertatem juvabat... Pari ſtudio miſſum ejuſdem Tyranni caput ad permulcendam Africam, ut quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret*.

Fauſtus Conſtantini in Urbem ingreſſus.

10. Sed lætiſſimum Conſtantini in Urbem ingreſſum, atque triumphum proſequimur: *Confecto jam acerbiſſimo bello*, ait Lactantius, *cum magna Senatus, Populique Romani lætitia ſuſceptus Imperator Conſtantinus, Maximini perfidiam cognoſcit, litteras deprehendit*, quibus de ſocietate inter Maximinum, & Maxentium inita in Conſtantini perniciem conſtabat; *Statuas, & imagines invenit* Maximini; *Senatus Conſtantino, virtutis gratia, primi nominis titulum decrevit, quem ſibi Maximinus vindicabat; ad quem victoria liberatæ Urbis cum fuiſſet adlata, non aliter accepit, quam ſi ipſe victus eſſet*. Cognito autem Senatus decreto, quo Conſtantinum Maximino, & Licinio præferebat, *ſic exarſit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adverſus Imperatorem Maximum*, ideſt Conſtantinum, *diceret*. De fauſto Conſtantini in Urbem adventu, audiendus eſt Nazarius: *Nullus*, inquit, *poſt Urbem conditam dies Romano illuxit Imperio; cujus tam effuſa, tamque inſignis gratulatio, aut fuerit, aut eſſe debuerit; nulli tam læti triumphi. Non agebantur quidem ante currum vincti duces, ſed incedebat tandem ſoluta nobilitas, non conjecti in carcerem Barbari, ſed deducti carcere Conſulares, non captivi alienigenæ introitum illum honeſtaverunt, ſed Roma jam libera nihil ex hoſtico accepit, ſed ſe ipſam recuperavit; nec præda auctior facta eſt, ſed eſſe præda deſiit, & quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem poteſt, Imperium recepit, quæ ſervitium ſuſtinebat &c.* de quibus plura ibidem videri poſſunt.

11. Hi-

11. Hilariorem etiam, feliciorem que diem, qua Urbem Conſtantinus ingreſſus eſt, clementia ſua reddidit, cum vix perpaucis ſanguine, aut ſocietate Maxentio conjunctis, extinctis, ceteris, ſive Tyranni miniſtris, aut militibus, non ſolum pepercit, ſed etiam officia, dignitateſque reſtituit. Populo etiam Romano gratiſſimum fuit, quod Prætorianam militiam, quæ Urbi infauſta ſæpe fuerat, ipſiſque Imperatoribus ſæpe rebellis, delevit; Prætorianorum caſtellum funditus diruit; milites vero prætorianos inter gregarios pro cujuſcumque merito diſtribuit.

JESU CHR. AN. 312. De Conſtantini clementia, aliiſque in Urbe geſtis.

12. Ut debitas Deo gratias redderet Conſtantinus, & Romano Orbi, cui victoriam deberet, teſtatum faceret, ſalutiferum Crucis trophæum media in Urbe erigi juſſit. Sed Euſebium pluribus hæc narrantem audire præſtat, tum in Conſtantini Vita, cum in Hiſtoria: *Cum Conſtantinus*, ait, *Moyſem imitatus in laudem Dei, univerſorum Principis, & victoriæ auctoris, factis ipſis ceciniſſet, omnium ordinum gratulatione Romam triumphans ingreditur*, fauſtis Romanorum acclamationibus exceptus. *Verum ille pietatem in Deum quaſi inſitam ſibi, atque innatam gerens, nec hujuſmodi acclamationibus, nec laudibus elatus eſt, ſed cum Dei auxilium ſibi adfuiſſe probe intelligeret, illico victoriæ Auctori gratiarum actionem ſupplex rependit; & clara voce, ac titulorum inſcriptionibus ſalutare Signum cunctis hominibus annunciavit, hoc tropheo in medio Urbis Regiæ adverſus hoſtes erecto, atque hoc ſalutari Signo, quod Imperii Romani, ac totius Orbis præſidium eſt, litterarum notis nunquam interituris inciſo, ſtatim ergo ſublimem haſtam in modum Crucis ſub manum ſtatuæ ſuæ in celeberrimo Urbis loco poni juſſit, & hujuſmodi inſcriptionem latino ſermone ſubjici*: HOC SALUTARI SIGNO, QUOD VERÆ VIRTUTIS ARGUMENTUM EST, VESTRAM URBEM TYRANNICÆ DOMINATIONIS JUGO LIBERATAM SERVAVI, SENATUI, POPULOQUE ROMANO IN LIBERTATEM ASSERTO, PRISTINUM DECUS NOBILITATIS SPLENDOREMQUE RESTITUI. *In hunc modum amantiſſimus Imperator victricis Crucis confeſſionem præſeferens, Filium Dei Romanis libere, atque ingenue prædicavit*. Hactenus de his Euſebius in Vita Conſtantini, eademque in Hiſtoria, libro nono capite nono.

Crucis ſignum Romæ erigi Conſtantinus jubet. *Euſeb. Conſtant. vita lib. 1. cap. 39. 40. Hiſt. lib. 9. cap. 9.*

JESU CHR. AN. 312.

Conſtantini in Deum pietas.

13. Percelebrem itaque victoriam contra Maxentium divinitus ſibi tributam fuiſſe teſtatus eſt Imperator in ea oratione, ab eo multos poſt annos ad Sanctorum cœtum habita, qua beneficia a Deo accepta commemorans, ſubdit: *Equidem meum felicitatem, meaque omnia Pietati accepta refero, teſtes ſunt rerum eventus, qui ex voto mihi reſponderunt, teſtes ſunt pugnæ, atque victoriæ, & trophæa de hoſtibus parta. Scit, & laudibus celebrat urbs Roma, idem ſentit populus Urbis mihi cariſſimæ, licet falſa ſpe deceptus indignum ſua majeſtate Principem elegerit, qui mox convenientem ſceleribus ſuis exitum ſortitus eſt. Verum ea nunc commemorare nefas arbitror, o Pietas; dicam tamen, quod nec indecorum videbitur. Bellum inexpiabile, plenum amentiæ, & inauditæ crudelitatis adverſus te, Pietas, & adverſus omnes ſanctiſſimas Eccleſias tuas a tyrannis gerebatur, nec deerant in urbe Roma, qui tantis malis, & publica calamitate gratularentur. Erat & campus ad prælium conſtitutus. Tu vero, tu in medium progreſſa temetipſam ultro tradidiſti, fide in Deum fulta, atque innixa.* Hæc Conſtantinus de victoria Dei beneficio parta.

Conſtantinus fit Catechumenus, ſacraſque Scripturas legit.

Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 1. 31.

14. Poſt victoriam, ut debitas Deo redderet gratias, utque impenſius ejuſdem ſe cultui dicaret, chriſtianæque Religionis myſteria perciperet, *Sacerdotes arcanæ illius doctrinæ myſteriis inſtructos ad ſe accerſivit*, ait Euſebius, *& quiſnam ille Deus eſſet, interrogavit; quidve ſigni illius viſio ſibi vellet. Illi hunc quidem Deum eſſe dixerunt, unius, ac ſolius Dei unicum Filium; ſignum vero illud, quod oſtenſum fuiſſet, immortalitatis ſymbolum eſſe, & trophæum victoriæ, quam ille in Terris olim verſatus, de morte retuliſſet. Simul cauſas illius adventus eum docuerunt, accuratam incarnationis rationem ei exponentes.* Quos quidem ſermones attente conſiderans Impertor, atque cum cæleſti habita viſione conferens, admirabatur. Exinde vero divinorum librorum lectioni vacare conſtituit, & cum Sacerdotes Dei ſibi aſſeſſores adſciviſſet, Deum illum, quem votis ſuis hactenus favere probaverat, majori obſervantia colere cœpit.

Conſtantini in Sacerdotes humanitas.

Euſeb. Conſtant. Vita cap. 42.

15. Qua autem animi ſubmiſſione, & clementia chriſtianæ Religionis Sacerdotes exciperet, atque omni obſequio, ac honore proſequeretur, ibidem narrat Euſebius; quos ideo menſæ ſuæ participes faciebat, ac quocumque iter faceret, ſecum

Digitized by Google

ſecum ducebat, Deum, quem illi colerent, ob id etiam propitium ſibi adfore pro certo habens. Lege deinde lata Conſtantinus & Licinius Deum bonorum omnium auctorem venerantes, Chriſtianis abſolutiſſimam, pleniſſimamque Religionis ſuæ libertatem tribuerunt, atque ad Maximinum, qui Orientale regebat Imperium miſerunt. At quid his acceptis nunciis, & litteris egerit Maximinus, inferius dicemus. Interea rebus in Urbe compoſitis, hyeme proxima Conſtantinus Mediolanum contendit, ait Lactantius; quare de geſtis ibidem ad ſequentem annum dicemus.

Jesu Chr. an. 312. Conſtantinus, & Licinius pro Chriſtianis legem ferunt. *Euſeb. lib. 9. 9.* *Lactant. de mort. perſec. cap. 45.*

16. Illud hoc loco adnotandum reſtat, hanc Conſtantini de Maxentio victoriam, non ſolum ab coævis ſcriptoribus Chriſtianis, & Gentilibus celebratam fuiſſe, ſed & in magnificentiſſimo triumphali arcu prope Coloſſeum, ad radices Montis Cœlii, cum hac inſcriptione, quæ adhuc extat, inſculptam fuiſſe:

Quo anno triumphalis Arcus Conſtantino erectus ſit.

IMP. CÆS. FL. CONSTANT[illegible] MAXIMO.
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS.
MAGNITVDINE. CVM. EX[illegible]RCITV. SVO.
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. [illegible]MNI. EJVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. [illegible]
REMPVBLICAM. [illegible] VLTVS. EST. A[illegible] S.
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT.

In fornice majori ejuſdem arcus legitur:

LIBERATORI URBIS.
Hinc inde
FVNDATORI QUIETIS.

In lateribus vero ex utraque parte:

VOTIS X. VOTIS XX.

Magnificentiſſimum opus quadriennio poſt, ideſt anno 316., cum Imperii decennalia celebravit Conſtantinus, abſolutum fuiſſe, iudicant vota decennalia, ibidem notata, VOTIS X., vicennalia vero nuncupata VOTIS XX., de quibus plura apud Noriſium, & Pagium videri poſſunt.

Noriſ. de Numiſ. Lucin. cap. 3. *Pag. ad ann. 312.*

17. Ex

JESU. CHR. AN. 312. Chriſtianæ fidei gloria, & propagatio.

17. Ex inſperata Conſtantini Imperatoris ad fidem Chriſti converſione, innumera tum in Republica, cum in Eccleſia emolumenta profluxiſſe non eſt ambigendum, dum chriſtiana Religio Imperiali inſidens throno, ex tam ſublimi loco ſubditorum utilitati multa proſpexit, ut ex Hiſtoriæ progreſſu conſtabit. Quot vero Eccleſiæ commoda inde manaverint, quis ea numerare poterit? dum ſublato jam Crucis opprobrio, deletiſque reſcriptis, in ejuſdem everſionem olim vulgatis, Imperatoris exemplo certatim cujuſcumque generis, & conditionis homines chriſtianæ Fidei nomen dederunt, ſeſeque Chriſtianos eſſe libere, & palam gloriabantur. Quæ Romæ in tanta rerum mutatione contigerint, pluribus proſequitur Prudentius adverſus Symmachum hoc eodem ſeculo ſcribens, cujus ætate tam altas chriſtiana Religio radices fixerat, ut non ſolum ex vulgo, aut nobilibus, ſed & ex Senatoribus pars maxima Chriſto devota eſſet. Quare poſt deſcriptam verſibus ſuis Conſtantini de Maxentio victoriam, ac pacem, libertatemque Urbi reſtitutam, de veteri Religione abrogata, novaque ſuſcepta, hæc inter alia habet:

Prudent. lib. I contra Symmachum.

Tunc primo ſenio docilis tua ſecula Roma
Erubuit, pudet exacti jam temporis, odit
Pr[illegible]os fœdis cum religionibus annos
EMI aliqua.
Compenſare cupit teterrima vulnera læſæ
Juſtitiæ ſero obſequio, veniaque petenda
Ne tanto imperio maneat, pietate repulſa,
Crimen ſævitiæ, monſtrata piacula quærit;
Inque fidem Chriſti pleno transfertur amore.

De S[illegible]atoribus vero, qui Chriſto crediderant, ſubdit:

Exultare Patres videas pulcherrima Mundi
Lumina, conciliumque Senum geſtire Catonum,
Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere, & exuvias deponere Pontificales.
Jamque ruit paucis Tarpeja in rupe relictis,
Ad ſincera virum penetralia Nazareorum,
Atque ad Apoſtolicos Evandria Curia fontes
Æneadum Soboles, & pignora clara Proborum.

Fer-

Digitized by Google

Fertur enim ante alios generoſus Anicius Urbis JESU CHR. AN. 312.
Illuſtraſſe caput, ſic ſe Roma inclita jactat.
Quin, & Olybriaci generiſque, & nominis hæres, De Senatoribus ad Chriſtum converſis.
Adjectis Faſtis, palmata inſignis ab aula,
Martyris ante fores Bruti ſubmittere faſces
Ambit, & Auſoniam Chriſto inclinare ſecurim,
Non Paulinorum, non Baſſorum dubitavit
Prompta fides dare ſe Chriſto, ſtirpemque ſuperbam
Patriciæ gentis venturo attollere ſæclo.
Jam quid Poplicolas percurram carmine Gracchos
Jure poteſtatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos ſimulacra Deum juſſiſſe revelli:
Cumque ſuis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos,
Sexcentas numerare domos de ſanguine priſco
Nobilium licet ad Chriſti ſignacula verſas
Turpis ab idolii vaſto emerſiſſe profundo.

Hæc Prudentius de Gentilium multitudine tunc ad fidem Chriſti converſa, quorum numerus non ſolum in Urbe, ſed & in Orbe cujuſcumque generis, & conditionis euſque auctus eſt, ut poſthac deſerta remanſerint Idolorum delubra.

18. Interea cum res Eccleſiæ, & Imperii tam felicibus, fauſtiſque progreſſibus in Occidente augerentur triſtiſſima Orientalis Imperii conditio erat, nam eodem tempore fames, & peſtilentia, & quod utriſque etiam fœdior erat, Maximini libido, & crudelitas illud divexabat; unde Euſebius: *Imbres, ac pluviæ hiberno tempore abundantius cadere præter ſolitum deſierunt; & inſperata contigit fames, quam deinde peſtis ſubſequuta eſt.* Præter hæc cujuſdam morbi vis etiam ſæviit, ulcus videlicet, quod ob inflammationem Carbunculus vocatur. Hic morbus per univerſum corpus paulatim ſerpens, gravia ægris diſcrimina afferebat, ſed præcipue circa oculos hærens, & inſidens diutius, innumeros promiſcuæ ætatis, & ſexus luminibus orbavit. Bellum inſuper a Tyranno commotum eſt adverſus Armenios, quos Maximinus cum ad ſimulacrorum, ac dæmonum cultum traducere per vim conatus eſſet, pro amicis inimicos, hoſtes pro ſociis effecit. Hæc autem omnia uno eodemque temporis momento ſimul ingruentia, quædam quaſi præludia futuri exitii, quod illi immine-

De fame, peſte, bello tunc ingruentibus.

Euſeb. lib. 9. 8.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 312.

nebant, fuerunt. Et ſane in bello adverſus Armenios geſto, varias clades, atque ærumnas pertulit; reliqui vero Imperio ejus ſubditi, fame ſimul, ac peſtilentia graviter vexati ſunt; *adeo ut unus frumenti medimnus bis mille, & quingentis Atticis drachmis venundaretur*, ait Euſebius. Nec defuerunt qui pro exiguo admodum cibo cariſſima pignora locupletioribus vendere non dubitarunt, eo quod diſtractis prædiis, ac facultatibus ſuis, ad extremam inopiam redacti eſſent. Alii vero fœni ſegmenta mandentes, & noxiis quibuſdam paſti graminibus, vario morbi genere interierunt. Nonnulli, deficientibus præ fame viribus, nutabundi, ceſpitanteſque mediis in plateis corruebant; quorum inſepulta corpora canes vorabant, ut pluribus idem auctor narrat.

Qui fame ſuperant, peſte tolluntur.

19. Interim peſtilentia domos, ac familias undique depaſcebatur, eos præcipue invadens, quos, utpote cunctis ad victum neceſſariis affluentes, fames conficere non potuerat. Igitur opulentiſſimi quique Provinciarum rectores, ac Præſides, & ex primoribus civitatum quamplurimi, perinde ac ſi fames eos de induſtria peſtilentiæ reſervaſſet, acutiſſimo, ac velociſſimo mortis genere paſſim interibant. Atque his duobus flagellis armata mors, fame videlicet, ac peſte, integras familias brevi tempore delevit. His autem ingruentibus calamitatibus, Chriſtianorum erga omnes pietas manifeſtiſſimo indicio univerſis Gentilibus innotuit; hi quippe ſoli in tanta hominum ſtrage miſericordiæ, atque humanitatis officia quotidie exhibentes, curandis, ſepeliendiſque mortuorum cadaveribus vacabant, ac omnibus egenis, qui fame opprimebantur, panes dividebant; adeo ut cum hujus rei fama crebris hominum ſermonibus divulgaretur, cuncti Chriſtianorum Deum ſummis laudibus extollerent.

Chriſtianorum pietas in alendis pauperibus, & mortuis ſepeliendis.

De Maximini libidine, & crudelitate.

2[illegible] Cum tot calamitatibus affligeretur Orbis, omnium tamen maxima ea erat, quam ex Maximini libidine, & crudelitate patiebatur. De effræni ejuſdem laſcivia jam ſupra diximus nunc adnotare ſufficiet cum Lactantio: *cum libidinibus ſuis hanc legem dediſſet, ut fas putaret quidquid concupiſſet; ne ab Auguſta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare*. Erat hæc Valeria Diocletiani Imperatoris filia, Maximiano Galerio nupta, quam moriens Licinio commendaverat, ut ex Lactantio ſcimus. Sed marito mortuo, ad Maximinum potius *Valeria venerat, cum ſe putaret in*

Lactant. de mort. perſec. cap. 39.

Cap. 35. & 39.

in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime, quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardeſcit. Adhuc in atris veſtibus erat mulier, nondum luctus tempore expleto. Legatis præmiſſis in matrimonio poſtulat, ejecturus uxorem ſi impetraſſet. Reſpondit illa libere, quæ ſola poterat; primo non poſſe de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti ſui, patris ejus; deinde illum impie facere, quod ſibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & ſibi; poſtremo nefas eſſe illius nominis, ac loci feminam ſine more, ſine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini, quid eſſet auſa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proſcribit, bona ejus rapit, aufert comites, ſpadones in tormentis necat; ipſam cum matre in exilium relegat, nec in locum certum, ſed huc, atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus, adficto adulterio, damnat.

21. Valeria autem in deſertas Syriæ ſolitudines relegata, patrem ſuum Diocletianum per occultos nuncios calamitatis ſuæ conſcium fecit. Ille vero legatos mittit, & rogat, ut ad ſe filiam remittat; & cum nihil obtinuiſſet, iterum, ac ſæpius obſecrat, ſed fruſtra. Poſtremo cognatum ſuum quemdam militarem, ac potentem virum mittit, qui cum beneficiorum ſuorum admonitum deprec[illegible] At is quoque imperfecta legatione irritas preces renuntiavit. Inter ceteras clariſſimam quamdam fæminam, quam Valeria tanquam matrem diligebat, cujus conſilio negatam ſibi thori ſocietatem Maximinus ſuſpicabatur, interfici juſſit, Eratineo Præſidi præcipiens, eam cum decore occidere, cui aliæ duæ adjunctæ ſunt æque nobiles, quarum una erat virgo Valeriæ familiaris; altera vero maritum habebat Senatorem. Hæc aliaque de Maximini laſcivia, & crudelitate Lactantius. Valeriam vero, ejuſque ſocias, ob ſervatam pudicitiam, a Maximino et occiſas, aut vexatas, Chriſtianas fuiſſe, vix dubitamus. Scimus enim, Valeriam Diocletiani filiam, una cum ejus matre Priſca Chriſtianas fuiſſe; quas etſi vulgatis contra Chriſtianos edictis, *ſacrificiis pollui coegerit* Diocletianus; veroſimile tamen eſt, poſt redditam a Galerio Maximiano Chriſtianæ Religionis libertatem, ea, quæ coacta egerat, dum Idolorum ſe ſacrificiis polluerat, retractaſſe, ac pœnitentiæ operibus curaſſe, ut cum Deo, & Eccleſia reconciliari poſſet; eaque for-

Valeria Aug. relegatur, Matronæ ſalſis criminibus ac cuſatæ necantur.

Lact. ut ſupra cap. 40. 41.

JESU CHR. AN. 312.

fortaſſe de cauſa oblatas a Maximino ſecundas nuptias recuſavit; unde factum eſt, ut ob continentiæ ſervandæ propoſitum, Maximini ſævitiam unacum ſociis experiretur.

Maximini epiſtola ad Sabinum pro libertate Chriſtianorum. *Euſeb. lib. 9. 9.*

22. Dum his intentus eſſet Maximinus, Chriſtianoſque urbibus, agriſque exterminandos curaret, de Conſtantini victoria adverſus Maxentium habita, deque Tyranni interitu certior redditur; acceptiſque reſcriptis Conſtantini, & Licinii, quibus Chriſtianis pax reddebatur, tunc primum graviter quidem ingemuit, ait Euſebius: ne tamen aliis ceſſiſſe videretur, veluti ſua ſponte, & ex propria auctoritate ad Præſides Imperii ſui litteras dedit, quibus præceperat, ne quemquam chriſtianæ Religionis prætextu vexare permitterent; itaut ſi quis ſua ſponte Deorum cultum ſuſcipere vellet, ambabus ulnis amplecteretur, qui vero Religioni ſuæ inhærere maluerit, arbitrio, ac poteſtati ſuæ relinqueretur. Hæc tamen cum non ex animi ſui ſententia, ſed neceſſitate compulſus præcepiſſet, vix verax, aut fide dignus videbatur, cum præcipue jam antea, poſt pacem Chriſtianis ob Galerii Maximiani edicta reſtitutam, eoſdem iterum vexari juſſiſſet. Itaque Chriſtianorum nemo, aut conventus Eccleſiaſticos agere, aut ſe ipſum palam facere, & in apertum proferre audebat. Hanc epiſtolam labenti anno e[illegible] n dediſſe, multa indicant; tum quod teſtatur Euſebius, [illegible]s eamdem indulgentiam Chriſtianis conceſſiſſe, ide[illegible] [illegible]apto anno, poſtquam Galerius edicta pro Chriſtianis vul[illegible]erat; tum etiam quod eadem epiſtola narrat, anno præteri[illegible] [illegible]e Nicomediæ fuiſſe, cum ſcilicet poſt Galerii interitum [illegible]ad occupandas eas provincias convolaverat, ut narrat Lactantius.

De inſtitutione Indictionum, eorumque uſu.

23. Labentis anni celebritatem auxit Indictionum inſtitutio, quæ præceteris, ad deſignandos annos, periodis apud Ro[illegible]os celeberrima perſeverat; cum uſque nunc non ſolum in [illegible]ficiis Diplomatibus, ſed & publicis inſtrumentis adhibeatu[illegible]. Eſt autem Indictio periodus annorum quindecim, quo numero abſoluto ad unitatem reditur; qua autem ratione cum quolibet anno indictio inveniri poſſit, in Rubricis Breviarii, aut Miſſalis Romani facile invenitur. Indictionis nomen apud Latinos tributum indicat; unde extat in Codice titulus de indictionibus, ſeu de tributis, & Lactantius de Diocletiano: *Enormitate indictionum conſumptis viribus Colonorum*. Plinius vero in panegyrico Trajani: *Nec novis indictionibus preſſi &c.*

Lactant. de mort. perſec. cap. 7.

Cur

Cur ad deſignanda tempora Indictionis nomen fuerit uſurpatum, nonniſi divinando dici poteſt, de quibus etſi plura a doctiſſimis Chronologis congeſta ſint, an tamen rem illuſtraverint, aut obnubilaverint, alii judicent. Baronius quidem quindecennalem Indictionem, ad militum ſervitia computanda, Conſtantinum inveniſſe tradit; ut qui antea ſexdecim annis ſtipendia percipiebant, annis quindecim in poſterum dimitterentur; at cum ſine teſte hæc Baronius aſſerat, vix fidem invenit. Hoc unum fere apud Eruditos convenit, ſi Petavium fortaſſe excipias, Conſtantinum hujuſce Indictionis fuiſſe auctorem; & quidem labenti anno poſt devictum Maxentium, cujus memoria paulo poſt in ſcriptis Patrum, & in Conciliorum actis occurrit, ut apud Epiphanium in Ancorato, in Ambroſii epiſtola ad Epiſcopos Æmiliæ anno 386. data. Cetera, quæ de Indictionis nomine, aut introducendæ cauſa afferri ſolent, dubia ut plurimum ſunt; atque incertiores abimus, cum ab Auctoribus tradita perpendimus, quam cum acceſſimus: quare ſat erit addere, ejuſdem Indictionis exordium fuiſſe varium pro temporum, aut locorum diverſitate, cujus tria initia numerantur. Nam Indictio Conſtantinopolitana, a Calendis Septembris proficiſcitur; Cæſarea Conſtantiniana, ut vulgo vocatur, a die xxiv. Septembris oritur; Pontificia Romana, a die prima Januarii ſumit initium, quam noſtris in Annalibus Indictionem adhibemus. Antiquitus tamen tam Romani, quam Græci novas Indictiones a primo Septembris numerabant, ut ex variis Gregorii Magni epiſtolis liquet. Qui mos, ſedente Gregorio VII., adhuc perſeverabat, teſte epiſtola ejus ad Rodulphum Sueviæ Ducem, quæ data dicitur Capuæ Kalendis Septembris, Indictione incipiente xii. Galli vero priſcam Indictionem retinentes, ex die viii. Kal. Octobris earum originem ducebant. Pariſienſis Synodi iv. epiſtola ad Ægidium Rhemenſem data eſt tertio Iduum Septem an anno xii. Regum Dominorum noſtrorum Indictione vi. Pariſiis. Annus erat 573. Nec dum labente anno 869. mutabatur Indictio. Quippe in Capitularibus Caroli Calvi, coronatus is dicitur Metis, quinto Idus Septembris Indict. 2. Gothofredo etiam eximiæ doctrinæ viro placuit, Indictiones uno anno ſerius in Oriente, quam in Occidente fuiſſe numeratas. Sic enim Indictiones in ordine collocat. Italica ſurgit ab anno Domini 312., Orientalis ab anno 313., Proconſularis Africæ ab anno

Jesu Chr. An. 312.

Baron. ann. 312. nu. 107.

Jesu Chr. An. 312.

anno 314., Africanæ Diœceſeos ab anno 315. Eam tamen Indictionum diviſionem viri docti communiter rejiciendam putant, de quibus, & de pluribus aliis, quæ Indictionum nomen, originem, aut uſum ſpectant, plura alibi videri poſſunt, apud Petavium ſcilicet, Noriſium, in Cœnotaphiis Piſanis, & Hiſtoria Donatiſtarum, Pagium, Ballerinos Noriſii editores tom. 4. pag. 81.

JESU CHRISTI AN. 313. MELCHIADIS PAPÆ 3.
CONSTANTINI IMP., ET LICINII IMP. 7.
COSS. CONSTANTINO AUG. III., ET LICINIO AUG. III.
OLYMP. 273. AN. 1. URBIS AN. 1066.

Licinii nuptiæ cum Conſtantini Imp. Sorore.

Lactant. de mort. Perſec. cap. 45.

Maximinus adverſus Licinium arma movet.

1. Rebus in Urbe compoſitis, Mediolanum hyeme inſtante Conſtantinus Imperator contenderat; eoque Licinius advenit, ut acciperet uxorem Conſtantinam Conſtantini ſororem. Cumque hæc nuptiarum fœdera in ſui perniciem inita ſibi perſuaſiſſet Maximinus, ut hoſtem præveniret, imparatumque opprimeret, media hyeme e Syria in Bithiniam exercitum duxit: *Ubi Maximinus eos intellexit nuptiarum ſolemnitatibus occupatos, exercitum movet e Syria, hyeme quam maxime ſæviente, & manſionibus geminatis* (ideſt militari itinere duplicato) *in Bithiniam concurrit, debilitato agmine; nam maximis imbribus, & nivibus, & luto, & frigore, & labore jumenta omnis generis amiſſa ſunt, quorum miſerabiles per viam ſtrages, ſpeciem jam futuri belli, & ſimilem cladem militibus nuntiabat*. Fines itaque Imperii ſui tranſgreſſus, ad Byzantii portas acceſſit armatus. At Licinii milites ad Urbis cuſtodiam relictos invenit, quos primum muneribus, & promiſſis illicere tentavit; poſtea vi, & oppugnatione terrere; nil tamen cum vis, tum promiſſa valuerunt. Interea dies undecim tranſierant, cum milites non fide, ſed paucitate diffiſi, ſe ipſos dediderunt. Quare Maximinus promovit Heracleam; & illic eadem ratione detentus, diebus aliquot ſubſtitit. Licinius interea, his acceptis, Hadrianopolim feſtinato itinere tranſierat, ac collectis ex proximo quantis potuit copiis, pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam cum propoſito dimicandi, aut ſpe victoriæ; quippe cum ille ſeptuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipſe vix triginta millia haberet, quos per diverſas regiones diſperſos temporis anguſtia colligere non permiſerat. 2. Pro-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 313.

Licinio victoria divinitus promittitur.

2. *Propinquantibus ergo exercitibus*, ait Lactantius, *futurum propediem prælium videbatur. Tum Maximinus ejuſmodi votum Jovi vovit, ut ſi victoriam cepiſſet, Chriſtianorum nomen extingueret, funditusque deleret*. Interea nocte proxima Licinio quieſcenti adſiſtit Angelus Dei, ac ut ocius ſurgeret, atque Deum ſummum cum omni exercitu ſuo oraret admonuit, illius fore victoriam ſi feciſſet. Poſt has voces cum ſurgere ſibi viſus eſſet Licinius, quomodo & quibus verbis orandum eſſet, didiciſſe, diſcuſſo ſomno Notarium adeſſe juſſit, cui hanc orationem dictavit: *Summe Deus, te rogamus: Sancte Deus, te rogamus: omnem juſtitiam tibi commendamus: ſalutem noſtram tibi commendamus: Imperium noſtrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores, & felices exiſtimus. Summe, Sancte Deus, preces noſtras exaudi: brachia noſtra ad te tendimus. Exaudi Sancte, Summe Deus. Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per præpoſitos, tribunoſque mittuntur, ut ſuos quiſque milites doceat*. His narratis in *tranſcurſu notetur*, ait Baſnagius, *unius Dei quidem, non vero Cælitum, non Martyrum invocationem mandari*. Argute ſatis, & ad rem! Cui enim non mirum erit, tunc temporis Angelum Licinio Litanias non docuiſſe, ſed tantummodo, ut Summum, & Sanctum Deum invocaret? Sed ut prætereamus, non aliter Licinium adhuc Gentilem edocendum fuiſſe; quis unquam notatu, aut admiratione dignum cenſuit, quod aliquis Deum invocaverit, prætermiſſa Sanctorum Cœlitum, aut Martyrum invocatione? cum in arbitrio cujuslibet ſit, Sanctorum quemquam cum voluerit, quando voluerit invocare, ejuſque apud Deum patrocinium quærere; quod bonum, & utile eſſe declarat Sacroſancta Tridentina Synodus. Hinc aliquando accidit, ut vel ipſi Catholici Deum omnium bonorum fontem invocent, nulla Sanctorum facta mentione, quin inde, aut cuiquam id ſcandalo, aut admirationi fuit, niſi uni Baſnagio; qui notatu dignum cenſuit, quod Angelus Deum ſummum invocare docuerit, nulla Cœlitum, aut Martyrum facta invocatione.

Baſnag. an. 313. 4.

Synod. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2.

Maximinus Licinio fit obviam.

3. Ad Licinii victoriam, unde digreſſi ſumus, redimus: *Crevit animus univerſis victoriam ſibi credentibus de Cœlo nuntiatam*, ex apparitione Angeli Licinio facta, *ſtatuit Imperator prælium die Kal. Majarum, quæ octavum annum nuncupatio-*

Jesu Chr. an. 313.

pationis ejus implebant , ut ſuo potiſſimum natali vinceretur . Nunciatur itaque in caſtra , ſe moviſſe Maximinum . Itaque Licinii milites arma capiunt , obviamque adverſariis procedunt . Cumque utraque acies in conſpectu jam eſſet , Liciniani ſcuta deponunt , galeas reſolvunt , ad Cœlum manus tendunt , præeuntibus præpoſitis , & poſt Imperatorem precem dicunt , ac oratione ter dicta , virtute jam pleni , reponunt capitibus galeas , ſcuta tollunt . Procedunt Imperatores ad colloquium ; at Maximinus pacem recuſavit ; contemnebat enim Licinium , ac deſertum iri a militibus exiſtimabat , quod ille eſſet in largiendo tenax , ipſe autem profuſus ; eoque propoſito moverat bellum , ut exercitu Licinii ſine certamine accepto , ad Conſtantinum duplicatis viribus ſtatim pergeret .

Maximini exercitus a Licinianis victus.

4. Propius itaque , atque ad manus ventum eſt . Liciniani , impetu facto , adverſarios invadunt : illi vero perterriti , nec gladios expedire , nec tela jacere quiverunt . Maximinus quidem Licinianos milites ſollicitare tum precibus , cum præmiis non deſtitit ; fit tamen impetus in eum , & ad ſuos redire cogitur . Interea acies ejus impune cædebatur , & tantus numerus legionum , tanta vis militum a paucis metebatur , & quaſi ad devotam mortem , non ad prælium veniſſent , paſſim jugulabantur . Maximinus vero , cum aliter rem , quam putabat , geri videret , purpuram depoſuit , & ſervili indutus veſte fugit , ac fretum trajecit ; exercitus ejus pars maxima periit , ceteri in fugam verſi ſunt . *At ille Kalendis Maiis , ideſt una nocte , atque una die , Nicomediam alia nocte pervenit , cum locus prælii abeſſet millia centum ſexaginta ; raptiſque filiis , & uxore , & paucis ex palatio comitibus , petivit Orientem .* Cumque in Cappadocia ſubſtitiſſet , collectis ex fuga , & ab Oriente militibus , Imperii inſignia , purpuramque reſumpſit .

Lactant. de mort. perſec. cap. 47. p. 244.

Maximinus veneno hauſto miſerabiliter interiit.

§ 5. Cum fugientem perſequutus eſſet Licinius , eo tandem impulit , ut veneno ſumpto , ſibi e vita exitum pararet . Licinius vero accepta exercitus parte in Bithiniam tranſiit , ac paucis poſt pugnam diebus : *Nicomediam ingreſſus gratias Deo , cujus auxilio vicerat , retulit .* Maximinus vero Tauri montis anguſtias petens , munimentis , ac turribus fabricatis iter obſtruere conatus eſt , ſed fruſtra ; quare Tarſum confugit , ubi cum jam terra , marique obſideretur , nec ullum ſperaret refugium , angore animi , ac metu confugit ad mortem , quaſi ad remedium malorum . Sed prius cibo ſe , ac vino ingur-

gurgitavit, venenum deinde hauſit, cujus vis, referto ſtomacho repercuſſa, valere non potuit in præſens, ſed in languorem verſa eſt peſtilentiæ ſimilis, ut diutius, retenta vita, cruciamenta ſentiret. *Jam ſævire in eum cœperat virus, cujus vis cum præcordia ejus ureret, inſuſtentabili dolore uſque ad rabiem mentis elatus eſt; adeo ut per dies quatuor inſania percitus, hauſtam manibus terram, velut eſuriens devoraret. Deinde poſt multos graveſque cruciatus cum caput ſuum parietibus infligeret, exſilierunt oculi ejus de caſſis. Tunc demum amiſſo viſu, Deum videre cœpit, candidatis miniſtris de ſe judicantem. Exclamabat ergo ſicut ii, qui torqueri ſolent, & non ſe, ſed alios feciſſe dicebat. Deinde quaſi tormentis adactus fatebatur, Chriſtum ſubinde deprecans, & plorans, ut ſuimet miſereretur. Sic inter gemitus, quos, tanquam cremaretur, edebat, nocentem ſpiritum deteſtabili genere mortis efflavit*, cujus infelicem exitum Euſebius quoque lib. 9. cap. 10. narrat.

Jesu Chr. an. 313.

Lactant. de mort. perſec. cap. 49.

6. Poſt Maximini interitum, Licinius uxorem ejus, & filios, unaque cum iis Severi Imperatoris filium, ſed & Valeriam, & Priſcam, Diocletiani uxorem, & filiam, interfecit. *Hoc modo, Deus univerſos perſecutores nominis ſui debellavit; ut nec eorum ſtirps, nec radix ulla remaneret*; ait Lactantius, qui librum de mortibus Perſecutorum claudens, addit: *Quæ omnia ſecundum fidem ſcientium loquor ita ut geſta ſunt, mandanda litteris credidi, ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut ſi quis hiſtoriam ſcribere voluiſſet, corrumperet veritatem, vel peccata illorum adverſus Deum, vel judicium Dei adverſus illos reticendo*. Cur autem de mortibus Perſecutorum agens, Licinium prætererit, nulla alia veroſimilior ratio occurrit, niſi quod hunc librum Lactantius ſcripſerit circa hæc tempora, cum nondum Licinius Conſtantino, & Eccleſiæ bellum indixiſſet.

Maximini uxor, & filii, Severi filius, item Priſca, & Valeria Diocletiani uxor, & filia a Licinio interfecti.

Cap. 52.

Euſeb. lib. 9. cap. 9. 10.

7. Hoc etiam anno Diocletianus, qui poſt Imperii abdicationem, prope Salonam aliquandiu præclaro utens otio, tranquillam vitam egerat, calamitatibus tandem oppreſſus, doloribuſque vexatus, eum vitæ exitum habuit, qualem perſecutorem Chriſtianorum decebat: *Eo tempore Senes Maximiani* (ideſt Herculei) *Conſtantini juſſu revellebantur, & imagines ejus, cum quo pictus eſſet, detrahebantur; & quia Senes ambo*, ideſt Diocletianus & Maximianus, picti erant, ſimul deponeban-

Diocletiani interitus.

Diocletiani, & Maximiani ſtatuæ, & imagines dejectæ.

Lactant. cap. 41. 42.

Jesu Chr. An. 313.

bantur amborum. *Itaque cum videret vivus Diocletianus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum ſibi eſſe decrevit. Jactabat ſe huc, atque illuc æſtuante anima per dolorem, nec ſomnum, nec cibum capiens. Suſpiria, ac gemitus, crebræ lacrymæ jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum Imperator ad humilem vitam deductus adeo, & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ deductus, poſtremo fame, atque angore affectus eſt.* Hæc de Diocletiani interitu Lactantius; quem paulo ante Maximinum obiiſſe, idem auctor innuit, dum his narratis de Maximini exitu addit: *Unus jam ſupererat de adverſariis Dei, cujus nunc exitum, ruinamque ſubnectam.* Quare uterque hoc anno vivere deſiit. Quæ de dejectis Diocletiani, & Maximiani ſtatuis, & imaginibus Lactantius narrat, eadem Maximini imaginibus, ſtatuiſque contigiſſe Euſebius adnotat.

Euſeb. lib. 9. 10.

Maximini propinqui, & amici, ac crudelitatis adminiſtri ad mortem damnati.

Euſeb. ibid.

8. Maximini vero propinquos, familiares, ac crudelitatis adminiſtros, eodem affectos fuiſſe ſupplicio idem Euſebius narrat: *Omnes, qui a Maximini partibus ſtabant, qui præ reliquis provinciarum Rectoribus ab eo culti, & ornati, ut ei aſſentarentur, adverſus Religionem noſtram inſolenter debacchati fuerant, capite plectuntur.* Ex his Picentium nominat, in ſummo honore, ac veneratione a Maximino habitum, & ſodalium omnium longe cariſſimum, quem iterum, ac tertio Conſulem, & Præfectum, ac Procuratorem ſummæ rei creaverat. Poſt eum ſequitur Calcianus omnibus Magiſtratibus, & Provinciarum adminiſtrationibus perfunctus, qui innumeris Chriſtianorum cædibus apud Ægyptum inclaruerat, & cum eo alii plurimi, quorum inſtinctu confirmata, & aucta Maximini crudelitas fuerat. Sed & Theotecnum ad ſupplicium vocabat divina juſtitia. Quare Licinius Antiochiam ingreſſus Theotecnum quoque ultimo ſupplicio affecit, eumdemque exitum alii plurimi ſortiti ſunt, ii præcipue, quos Maximinus præ ceteris honoribus exornaverat.

Conſtantini, & Licinii reſcriptum, quo Chriſtianis libertas redditur, ſuaque reſtitui jubent.

Lactant. cap. 49.

9. Ad res Eccleſiæ revocanda eſt oratio, quæ quidem erant auſpicatiſſimæ, dum ſublatis repente perſecutoribus, Conſtantinus, & Licinius pari conſenſu, eodemque ſpiritu ducti, legibus edictiſque vulgatis, ejuſdem ſecuritati, dignitatique conſuluerunt. Inter cetera, cum Mediolano eſſent, has ubique litteras vulgandas juſſerunt: *Cum feliciter tum ego Conſtan-*

ſtantinus Auguſtus, quam ego Licinius Auguſtus apud Mediolanum conveniſſemus, atque univerſa, quæ ad commoda, & ſecuritatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, hæc, inter cetera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda eſſe credidimus, quibus Divinitatis reverentia continebatur, ut daremus & Chriſtianis, & omnibus liberam poteſtatem ſequendi Religionem, quam quiſque voluiſſet; ut nobis, ac ceteris, qui ſub poteſtate noſtra ſunt conſtituti, placatum, ac propitium poſſit exiſtere Numen. Itaque hoc conſilio ſalubri, ac rectiſſima ratione innuendum eſſe credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel obſervationi Chriſtianorum, vel ei Religioni mentem ſuam dederet, quam ipſe ſibi aptiſſimam eſſe ſentiret, ut poſſit nobis Summa Divinitas, cujus Religioni liberis mentibus obſequimur, in omnibus ſolitum favorem ſuum, benevolentiamque præſtare. Quare ſcire dignationem tuam convenit, placuiſſe nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quæ prius ſcriptis, ad officium tuum datis, ſuper Chriſtianorum nomine videbantur, nunc cavere, ut ſimpliciter unuſquiſque eorum, qui eamdem obſervandæ Religioni Chriſtianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem, ac moleſtiam ſui id ipſum obſervare contendant. Quæ ſollicitudini tuæ pleniſſime ſignificanda eſſe credidimus, quo ſcires, nos liberam, atque abſolutam colendæ Religionis ſuæ facultatem iiſdem Chriſtianis dediſſe. Quod cum iiſdem a nobis indultum eſſe pervideas, intelligit dignatio tua, etiam aliis Religionis ſuæ, vel obſervantiæ, poteſtatem ſimiliter apertum, & liberam pro quiete temporis noſtri eſſe conceſſam, ut in colendo, quod quiſque diligerit, habeat liberam facultatem &c.

JESU CHR. AN. 313.

10. Loca etiam, quæ olim Chriſtianorum, vel Eccleſiarum fuerant, ſine mora, ac ſine pecunia, vel pretii reſtitutione iiſdem reddenda jubet; quare poſt plurima: *Et quoniam iidem Chriſtiani non ea loca tantum, ad quæ convenire conſueverunt, ſed alia etiam habuiſſe noſcuntur, ad Jus corporis eorum, ideſt Eccleſiarum, non hominum ſingulorum pertinentia, ea omnia lege, qua ſuperius comprehendimus, citra ullam prorſus ambiguitatem, vel controverſiam iiſdem Chriſtianis, ideſt corpori, & conventiculis eorum, reddi jubetis; ſupradicta ſcilicet ratione ſervata, ut ii, qui eadem ſine pretio, ſicut diximus, reſtituerunt, indemnitatem de noſtra benevolentia*

Bona immobilia ab Eccleſiis poſſeſſa Imperatores reſtitui juſſerunt.

JESU CHR. AN. 313. *Euſeb. lib.* 10. *cap.* 5.

tia ſperent. Ut autem ad omnium notitiam hæc pervenirent, jubet Imperator, ut propoſito Programmate ubique vulgentur. Imperatorum epiſtolam Euſebius Hiſtoriæ ſuæ inſeruit, ac præfationem a Lactantio prætermiſſam addidit. De datis ab Imperatoribus Conſtantino, & Licinio epiſtolis anno ſuperiori pro chriſtianæ Fidei libertate mentionem faciens Lactantius addit: *Quibus propoſitis etiam verbo hortatus eſt, ut conventicula* (ideſt Eccleſiæ Diocletiani, & Maximiani juſſu dirutæ, & everſæ) *in ſtatum priſtinum redderentur*, deinde: *Sic ab everſa Eccleſia uſque ad reſtitutam* (ideſt ab indicta perſecutione, uſque ad reſtitutam pacem) *fuerunt anni decem, menſes plus minus quatuor*; ab anno 303. die 23. Februarii, qua Nicomediæ feralia edicta propoſita fuerunt, ad diem decimam tertiam Junii labentis anni, qua Nicomediæ Licinii decretum pro Eccleſiarum reſtitutione vulgatum eſt.

Conſtantini reſcripta ad Anulinum Africæ Proconſ. quibus bona Eccleſiis reſtitui jubet. *Euſeb. lib.* 10. *cap.* 5. & 7.

11. Cum Africam Imperio ſuo Conſtantinus addidiſſet, Anulinum illuc Proconſulem miſit, ad quem plura extant data reſcripta, quibus Africanam Eccleſiam beneficentia ſua cumulatam voluit: quorum primo jubet, ut quæcumque ad Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam pertinebant, ac a Decurionibus, aut quibuslibet aliis detinebantur, confeſtim Chriſtianorum Eccleſiis reſtituere faciat, hortos ſcilicet, ædes, aut quodcumque aliud. Reſcripto altero, ſeu epiſtola ad Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum data, eum admonet, ſe Ruſo Africæ Rationali præcepiſſe, ut ingentem eidem pecuniæ ſummam numeraret, hortaturque, ut in coercenda Donatiſtarum temeritate, Magiſtratuum auctoritate, poteſtateque uteretur. Epiſtola autem hæc eſt ſane digna, ut Annalibus inſeratur.

Euſeb. lib. 10. 6. Conſtantini epiſtola ad Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum.

12. *Conſtantinus Auguſtus Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi. Quandoquidem placuit nobis, ut per omnes Provincias Africæ, Numidiæ, & utriuſque Mauritaniæ, certis quibuſdam legitimæ, & ſanctiſſimæ Religionis Catholicæ miniſtris ad ſumptus neceſſarios aliquid præberetur: litteras dedi ad Urſum, virum perfectiſſimum Rationalem Africæ, eique ſignificavi, ut ter mille folles tuæ Gravitati numerari curaret. Tu itaque, ubi prædictam quantitatem acceperis, operam dabis, ut cunctis ſupra memoratis juxta brevem ab Hoſio ad te directum ea pecunia dividatur*. Quod ſi forte, ſubdit, ea pecuniæ quantitas ſublevandis neceſſitatibus non ſufficeret, ut incunctanter, quid neceſſarium fuerit, ab Heraclida Procuratore prædiorum petat,

admo-

Digitized by Google

admonet, cui præceperat, ſi quid pecuniæ petiiſſet, abſque ulla dubitatione dinumerandum eidem curaret: *Et quoniam accepi quoſdam non ſatis compoſitæ mentis homines id agere, ut ſanctiſſimæ & catholicæ Eccleſiæ populum improba, atque adulterina falſitate corrumpant; ſcias, me Anulino Proconſuli, & Patricio Vicario Præfectorum coram hæc dediſſe mandata, ut inter cætera hujus rei competentem curam gerant; nec ſi quid ejuſmodi agatur, negligere, ac diſſimulare ſuſtineant. Itaque ſi vos ejuſcemodi homines in hac amentia perſeverare conſpexeris, abſque ulla hæſitatione ſupradictos Judices adibis; idque ipſis referes, ut in eos, quemadmodum ipſis coram mandavi, animadvertant. Divinitas Summi Dei multis annis te ſervet.*

Conſtantini Reſcriptum ad Anulinum pro Clericorum immunitate.

13. Lege autem altera ad eumdem Africæ Proconſulem data, cujuſcumque ordinis Clericos ab omni publico officio immunes eſſe voluit; quare poſt plurima: *Quo circa*, ait, *Anuline cariſſime, eos homines, qui intra Provinciam tibi creditam in Eccleſia catholica, cui Cæcilianus præeſt, huic ſanctiſſimæ Religioni miniſtrant, quos Clericos vocare conſueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conſervari; ne errore aliquo, aut caſu ſacrilego a cultu ſummæ Divinitati debito abſtrahantur. ſed ut [illegible] abſque ulla inquietudine propriæ legi deſerviant &c.* [illegible] denique pro Clericorum immunitate reſcriptum ceteris Imperii ſui Præſidibus datum fuiſſe Euſebius teſtatur.

Donatiſtæ apud Conſtantinum Cæcilianum accuſant.

14. Tantam vero Eccleſiæ felicitatem diſturbarunt in Africa Donatiſtæ, qui audaciores in dies facti, & Conſtantini ad Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum reſcripto exacerbati, eo quod ejus communionis Clericis immunitatem conceſſiſſet, Anulino Proconſuli libellum obtulerunt, quo ſe Catholicos eſſe mentiebantur, ac Cæciliano falſa pro more objiciebant crimina. Quare decimoſeptimo Kal. Majas Anulinus, annuente etiam, vel monente Cæciliano, ad Imperatorem deferens Donatiſtarum querelas, hanc ad eumdem epiſtolam ſcripſit: *Auguſtis noſtris, Anulinus V. C. Proconſul Africæ. Scripta cæleſtia Majeſtatis veſtræ accepta atque adorata, Cæciliano, & his, qui ſub eodem agunt, quique Clerici vocantur, devotio mea apud acta parvitatis meæ inſinuare curavit; eoſdemque hortata eſt, ut unitate conſenſu omnium facta, cum omni omnino munere indulgentia Majeſtatis veſtræ liberati eſſe videantur, Catholi-*

Anulini epiſtola ad Conſtantinum Imperat. *Auguſt. epiſt. 88. & tom. 9. in Append. pag. 15.*

Jesu Chr. an. 313.

tholica cuſtodita, ſanctitati legis debita reverentia, ac divinis rebus inſerviant. His ſubdit extitiſſe poſt paucos dies quoſdam, qui adunata ſecum populi multitudine, Cæciliano contradicendum putarunt; quique faſciculum in aluta ſignatum, & libellum ſine ſigno obtulerunt, petentes ut ad Imperatorem dirigeret; *Tranſmiſi libellos duos*, ait Anulinus, *unum in aluta ſupraſcriptum ita: Libellus Eccleſiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus a parte Majorini. Item alium ſine ſigillo cohærentem eidem alutæ: datum die* XVII. *Kal. Majas, Carthagine, Domino noſtro Conſtantino Auguſto tertium Conſule*; ideſt hoc anno, quo Conſtantinus tertio Conſul cum Licinio fuit. Hujus relationis ab Anulino ſibi factæ idem Conſtantinus meminit in epiſtola ad Miltiadem Romanum Pontificem, ut Concilium Romæ in Donatiſtarum cauſam congregaret, de quo infra. Eaque omnia recitat Auguſtinus in epiſtola ad Januarium, eademque extant in Actis Carthaginenſis collationis.

Epiſt. 88. to. 9. append. p. 62.

Donatiſtarum libellus ad Conſtantinum. *Auguſt. tom. 9. in Append. pag. 16.*

15. In uno autem ex libellis Conſtantino oblatis hæc dicebant: *Rogamus te, o Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia; nam in Africa inter nos, & ceteros Epiſcopos contentiones a[illegible] petimus, ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat Pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Epiſcopis partis Donati.* Hactenus Donatiſtarum libellus Conſtantino per Anulinum Proconſulem exhibitus. Ex duobus Donatiſtarum libellis Anulino oblatis, unus cum ſigillo, & ſubſcriptionibus, alter ſine ſigillo in aluta oblatus eſt, ut habet Anulinus in relatione ad Conſtantinum. Alutæ vero nomine, ſacculus ex pelle, ſeu marſupium venit, quo ſcripta, quæ longius mittenda erant, claudebantur, ne ab aqua corrumperentur. Sed de Aluta, Alutario, Alutamento plura a Grammaticis petenda. Neque his contenti Donatiſtæ, eaſdem adverſus Cæcilianum querelas, miſſa Epiſcoporum legatione, inſtaurarunt. Conſtantinus vero legatis auditis, lectoque libello *pleno livore*, ait Optatus, *reſpondit: Petitis a me in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem? & tamen dati ſunt judices*, ait Optatus, *Maternus ex Agrippina civitate, Rheticius ab Auguſtoduno civitate, Marinus Arelatenſis.*

Conſtantinus Romæ Concilium cogi jubet.

16. Cumque ex Gallia judices ſibi dari Donatiſtæ petiiſ-

tiiſſent, tres ex præcipuis Galliarum Eccleſiis Epiſcopos, Maternum ſcilicet, Rheticium, & Marinum in ea cauſa judices delegit Conſtantinus. Romæ tamen Concilium cogi juſſit, ut coram Melchiade, aliiſque congregatis ex Italia Epiſcopis, majori auctoritate controverſia finiretur. Sciebat quippe, in quæſtionibus Eccleſiæ dirimendis, potiorem ceteris eſſe Romani Pontificis auctoritatem; atque ut facilius ſopiri diſſidia poſſent, Anulino interea juſſit, ex utraque parte, Cæciliani ſcilicet, & Majorini, decem quantocius Romam mittere, ut Imperatoris epiſtola ad Melchiadem Romanum Pontificem, & Marcum ejuſdem Eccleſiæ Presbyterum data, teſtatur: *Conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo urbis Romæ, & Marco. Quoniam hujuſmodi plures libelli a viro clariſſimo Anulino Africæ Proconſule ad me ſunt miſſi, in quibus continetur Cæcilianum Carthaginenſis urbis Epiſcopum a quibuſdam collegis per Africam conſtitutis, multis de rebus inſimulari: quod quidem permoleſtum mihi videtur, in iſtis provinciis, quas divina Providentia meæ devotioni ſpontanea deditione tradidit, & in quibus maxima populi multitudo, plebem quaſi in duas partes diviſam ad deteriora deflectere, & Epiſcopos inter ſe diſſentire: Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget; quatenus ibi coram vobis, & coram Rheticio, Materno, ac Marino collegis veſtris, quos ea cauſa Romam properare juſſi, poſſit audiri, quemadmodum ſanctiſſimæ legi convenire optime noſtis. Porro ut totius negotii pleniſſimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me miſſorum litteris meis ſubjecta ad Collegas voſtros ſupradictos tranſmiſi. Quibus lectis, perpendet Gravitas veſtra, quonam modo ſupra memorata controverſia accuratiſſime dijudicanda ſit, & ex præſcripto juſtitiæ terminanda. Siquidem nec tuam ſedulitatem latet, tantam a me reverentiam ſanctiſſimæ Eccleſiæ Catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum ſchiſma, aut diſſidium ullibi a vobis relinqui velim. Divinitas Summi Dei multis vos annis ſervet, cariſſimi.* Hactenus Conſtantini epiſtola ad Miltiadem Papam, & Marcum Presbyterum, qui poſt Silveſtrum Pontifex fuit, ſi conjecturis locus eſt. Alii tamen Marcum eumdem eſſe dicunt, ac Meroclem Mediolanenſem Epiſcopum.

17. De Synodo Romana in eam cauſam habita audiendus

Jesu Chr. An. 313.

Conſtantini Imp. epiſtola ad Melchiadem, & Marcum. *Euſeb. lib. 10. cap. 5. Aug. Oper. in Append. to. 9.*

Apud Tillem. to. 6. pag. 31., & Couſtan. pag. 326.

Romana Synodus Cæcilianum abſolvit, Donatum condemnat.

JESU CHR. AN. 313. *Optat. lib. 1. to. 9. Auguſt. in Append. pag. 16.*

dus eſt Optatus Milevitanus : *Dati ſunt Judices* , inquit , *ad urbem Romam ventum eſt ab iis tribus Gallis* , Materno Agrippinæ Epiſcopo , Rheticio Auguſtodunenſi , & Marino Arelatenſi , *& ab aliis quindecim Italis . Convenerunt in domum Fauſtæ in Laterano , Conſtantino ter , & Licinio ter Coſſ. nonas Octobris die , ſexta feria . Cum conſediſſent Miltiades urbis Romæ , & Rheticius , & Maternus , & Marinus Epiſcopi Gallicani , & Merocles a Mediolano , Florianus a Ceſena , Zoticus a Quintiano , Stemnius ab Arimino , Felix a Florentia Tuſcorum , Gaudentius a Piſis , Conſtantius a Faventia , Proterius a Capua , Theophilus a Benevento , Savinus a Terracina , Secundus a Præneſte , Felix a Tribus Tabernis , Maximus ab Oſtia , Evandrus ab Urſino , Donatianus a Foro Claudii : hi decem & novem conſedentibus Epiſcopis , cauſa Donati , & Cæciliani in medium miſſa eſt .* Re autem attentius examinata , ſingulorumque ſententiis expetitis , Donatum rebaptizaſſe , & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe compertum eſt ; qui vero contra Cæcilianum oblati ſunt teſtes , ſe nil adverſus eum habere , ingenue teſtati ſunt . Quare Cæcilianus communi omnium ſententia , ac præcipue Melchiadis Papæ , innocens eſt declaratus , his verbis : *Cum conſtiterit , Cæcilianum ab iis , qui cum Donato venerunt , juxta profeſſionem ſuam non accuſari ; nec a Donato convictum eſſe in aliqua parte [illegible] , ſuæ Communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinend merito eſſe cenſeo .* Tantæ auctoritatis ſententia damnatus Donatus , Cæcilianus vero abſolutus , cauſa finita videri poter ; unde ſubdit Optatus : *Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis percuſſum eſſe , & Cæcilianum tanto judicio purgatum .*

Melchiadis Papæ ſollicitudo pro ſchiſmate extinguendo , & indulgentia Donatiſtis exhibita. *Auguſt. epiſt. 43. Brevic. collat. die 3.*

18. Eadem geſta tum in Africa , tum in Romana ſynodo pluribus in locis recitat Auguſtinus , præcipue vero in collatio cum Donatiſtis habita , qui & Melchiadis Papæ ſollicitudi em pro ſchiſmate extinguendo his verbis celebrat : *Qualis ipſi s beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia , quam innocens , quam integra , quam provida , atque pacifica , qua neque collegas , in quibus nihil conſtiterat , de collegio ſuo auſus eſt removere , & Donato ſolo , quem totius mali principem invenerat , maxime culpato , ſanitatis recuperandæ optionem ceteris fecit , paratus communicatorias litteras mittere etiam iis , quos a Majorino ordinatos eſſe conſtaret , ita ut quibuſcumque*

locis

locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs altera regenda provideretur. O virum optimum, o filium chriſtianæ pacis, & patrem chriſtianæ plebis! ait Auguſtinus de Melchiadis indulgentia in Romana ſynodo Donatiſtis exhibita, ut eoſdem Eccleſiæ reconciliaret; ita ut victi cum victoribus, rei cum innocentibus, ſchiſmatici cum Catholicis quodammodo coæquati fuerint; dum & Donatiſtis Epiſcopis, qui a Majorini parte receſſiſſent, communicatorias epiſtolas exhibuit; & ut in Epiſcopali Cathedra perſeverarent, cum prior Epiſcopus Donatiſtarum ordinatus eſſet, Catholicus vero ad aliam Eccleſiam transferretur: cujus ſententiæ, utpote finiendo ſchiſmati aptiſſimæ, & ceteri Patres ſubſcripſerunt.

De Rheticio Auguſtodunenſi Epiſcopo, ejuſque ſcriptis.

Hier. de vir. ill. cap. 22.

19. Quantæ autem dignitatis, & meriti fuerint ceteri in Romana ſynodo Adſeſſores, & Sedium dignitas, vitæ ſanctitas, aut ſingularis doctrinæ excellentia demonſtat. De Rheticio Auguſtodunenſi narrat Hieronymus: *Rheticius Æduorum, ideſt Auguſtodunenſis Epiſcopus ſub Conſtantino celeberrimæ famæ habitus eſt in Galliis; leguntur ejus Commentarii in Cantica Canticorum, & aliud grande volumen adverſus Novatianum*; quem ſub Silveſtro Pontifice Romam veniſſe ob Donatiſtarum cauſam tradit, cum ſub Melchiade dicto . . ebuiſſet. Auguſtinus etiam contra Julianum de Rheticio ſcribens: *Rheticium ab Auguſtoduno Epiſcopum magnæ fuiſſe auctoritatis in Eccleſia tempore Epiſcopatus ſui, geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant, quando in Urbe Romana, Melchiade Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo ſedente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatiſtarum ſchiſmatis fuit, & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſolvit.*

Aug. contra Julian. lib. 1. cap. 3.

Donatiſtæ a Melchiadis ſententia ad Imperatorem Conſtantinum appellant.

Optat. contr. Parmen. lib. 1.

20. At Donatiſtæ æquiſſimas pacis conditiones rejicientes, ex Judicum clementia, duriores audacioreſque facti, a Melchiadis, & Romanæ ſynodi judicio ad Conſtantinum appellarunt, quorum inſanam temeritatem Imperator vix tulit: *Et tamen*, ait Optatus, *Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis cenſuit, ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit: O rabida furoris audacia, ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerint!* Hæc de Donatiſtarum appellatione ad Conſtantinum Imperatorem, poſt Romanam ſynodum. Hanc tamen appellationen, poſt ſynodum Arelatenſem, anno ſequenti habitam, interpoſitam fuiſſe ſcribunt nonnul-

JESU CHR. AN.313.

Valeſ. de ſchiſm. Donat. cap. 7. 8. 10. 1. Euſeb. Aug. in brev. collat. contra Petil. lib. 2. 92. alibique. In Pſalm. Abecedario 10. 9.

nulli. In re tamen clariſſima viros doctos erraſſe inde facile probatur, quod ab utraque Synodo bis ad Imperatorem appellarunt. De prima, ideſt Romana, id non ſolum Optatus loco citato teſtatur, ſed & Auguſtinus pluribus in locis; præcipue vero in pſalmo contra Donatiſtas, cujus initio de Donatiſtarum appellatione a ſynodo Romana hæc refert: *Donatus cum volebat Africam totam obtinere; tunc Judices tranſmarinos petiit ab Imperatore ... Conſenſit Imperator, miſit, qui ſederent Romæ Sacerdotes, qui tunc poſſent Cæcilianum cum illo audire. Dicta cauſa eſt, nihil probatum eſt. Auſus eſt & appellare, & poſt collegarum Sedem audiri ab Imperatore.* En quid poſt Synodum Romanam Donatus cum ſuis egerit, teſte Auguſtino, ad Imperatorem ſcilicet appellavit; quod etiam Conſtantinus in Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum anno ſequenti data confirmat, qua inquietos homines *prolatæ ſententiæ* acquieſcere noluiſſe adnotat, cum anno ſequenti eamdem cauſam in Arelatenſi ſynodo retractandam juſſerit; cujus ſynodi [illegible] non fuiſſet, niſi ex Romana ſynodo ad Imperatoris tribunal iterum cauſam detuliſſent Donatiſtæ; hinc Conſtantinu ad Chreſtem ſcribens; *Poſt depromptum judicium*, a Romana ſynodo, *voluntaria aſſenſione hæc jam finita eſſe debuerant*

Donatiſtarum in Romanam Synodum, & Melchiadem calumnia.

Euſeb. lib. 10. cap. 5.

2. Appellationis interpoſitæ hanc præcipue cauſam prætex Donatiſtæ, quod eorum controverſia a paucioribus Epiſcopis cognita, ſatis diſcuſſa non fuerit: *Prolatæ ſententiæ acquieſcere nolentes*, ajebat Conſtantinus, *aſſerenteſque paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, qui nec omnibus, quæ prius inquirere oportebat, diligenter excuſſis, ad depromendum judicium pro inter acceſſiſſent*. Poſterioris vero Donatiſtæ appellationis alium prætextum ſe habuiſſe dicebant, ac Melchiadem traditionis crimine accuſabant. Cumque conſtaret Donatiſtarum auctores Traditionis reos fuiſſe, idem crimen Melchiadi Pontifici objicibant, vel ſaltem ejuſdem Eccleſiæ Diacono Stratoni:

Tom. 9. Aug. pag. 28.

Tunc Donatiſtæ ipſum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere majores ſuos propterea illius judicium refugiſſe, quod traditor fuiſſet, ut in Breviculo collationis alibique paſſim narrat Auguſtinus. Cumque Melchiadis crimen nullo modo probare poſſent: *Geſta alia recitarunt* (Donatiſtæ), *in quibus legebatur, Melchiadem miſiſſe Diaconos cum litteris Maxentii Imperatoris, & litteris Præfecti Prætorii, ad Præfectum*

Auguſt. brevic. die 3., & lib. poſt collat. 1. 13. & contra epiſt. Parmen. cap. 5.

ctum Urbis, ut ea reciperent, quæ tempore perſecutionis ablata memoratus Imperator Chriſtianis juſſerat reddi; & cum his quoque geſtis nullum Melchiadi crimen, & cognitori, & Catholicis defenſoribus appareret, dixerunt Donatiſtæ Stratonem Diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Eccleſiaſtica miſerat ſuperioribus geſtis recitatum eſſe Traditorem; & ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aſpergere, quod Diacono illo non degradato uteretur. In proſecutione autem ſua dixerunt, Melchiadem tertium Pontificem fuiſſe ab illo, qui tunc erat, cum traditio illa facta eſſet. Stratoni Caſſianum etiam Romanæ Eccleſiæ Diaconum ejuſdem traditionis participem fecerant. Falſo tamen ejuſmodi crimen, ſive Melchiadi, aut Marcellino Pontificibus, Stratoni, vel Caſſiano Diaconis a Donatiſtis impoſitum fuiſſe, infra videbimus.

Jesu Chr. an. 313.

22. Romanæ ſynodi Patres Conſtantinum de geſtis in ea certiorem reddidiſſe, & Acta ſynodi tranſmiſiſſe, in epiſtola ad Ablavium Africæ Vicarium anno ſequenti data, narrat Conſtantinus: *Qui quidem*, (ideſt Epiſcopi Romæ congregati) *ea quæcumque in præſentia eorum fuerunt geſta, cuncta ad ſcientiam meam etiam actis habitis retulerunt, verbo inſuper affirmantes, quod judicium ſuum pro rerum fuiſſet æquitate depromptum, eoſque potius cauſæ obnoxios eſſe dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putaverunt commovere, adeo ut iſtud poſt judicium habitum, Africam ipſos remeaſſe perhiberent*, ideſt Donatus cum ſuis aſſeclis, & qui cum Cæciliano ad dicendam cauſam Romam venerant; nam Cæcilianum Brixiæ etinuit Conſtantinus, ut narrat Optatus: *Eodem tempore* (celebrato ſcilicet Romano Concilio) *idem Donatus petiit, ut ei reverti licuiſſet, & nec ad Carthaginem accederet. Tunc a Filumino ſuffragatore ejus Imperatori ſuggeſtum eſt, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur, & factum eſt.* Cum enim Melchiadis ſententiæ non acquieviſſent Donatiſtæ, ne per utriuſque partis aſſeclas, diſſidia excitarentur, Donato Carthaginem ingredi vetitum eſt, Cæcilianus vero Brixiæ detentus fuit, uſquedum Romanæ ſynodi ſententia Carthagine a duobus Epiſcopis illuc ab eadem Synodo, vel ab Imperatore miſſis vulgaretur: *Tunc duo Epiſcopi*, ait Optatus, *ad Africam miſſi ſunt Eunomius, & Olympius. Venerunt, & apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronunciaret, ubi eſſet Catholica. Hoc ſeditioſa pars Donati fieri paſſa non eſt.*

Melchiades, aliique EpiſcopiConſtantinum Imp. de geſtis Rom. Synod. certiorem reddunt. *Tom. 9. Aug. pag. 21. in Append.*

De

JESU CHR. AN. 313.

De ſtudio partium ſtrepitus quotidiani ſunt habiti. Noviſſima ſententia eorumdem Epiſcoporum Eunomii, & Olympii talis legitur, ut dicerent illam eſſe Catholicam, quæ eſſet in toto terrarum Orbe diffuſa, & ſententiam decem & novem Epiſcoporum (ideſt Romani Concilii) *jam dudum datam diſſolvi non poſſe; ſic communicaverunt Clero Cæciliani*. Hactenus de publicatione ſententiæ in Romana ſynodo latæ adverſus Donatiſtas, qua Cæcilianus innocens declaratus eſt, ut ex Actis publicis tunc geſtis ſe exſcripſiſſe ibidem narrat Optatus. At Donatus contra ſententiam ſynodi, & Imperatoris præceptum Carthaginem rediit, ubi & Cæcilianus, ut hæc audivit, convolavit, ne Donati præſentia, & calumniis Catholica plebs ſeduceretur: *Inter hæc Donatus ultra prior Carthaginem rediit; quo audito Cæcilianus ad ſuam plebem properavit. Hoc modo iterum renovatæ ſunt partes*, ait Optatus, ideſt contentiones, ut infra ſuo loco videbimus.

JESU CHRISTI AN. 314. SILVESTRI PAPÆ I.
CONSTANTINI, ET LICINII IMP. 8.
COSS. RUFIO VOLUSIANO II., ET ANIANO.
OLYMP. 273. AN. 2. URBIS AN. 1067.

Melchiadis Pontificis obitus.

1. Melchiadi tres Pontificatus annos tribuunt Euſebius, & Proſper in Chronico: qui etiam incompleti fuerunt; nam per nnos duos, menſes aliquot Sedem Romanam tenuit: *Ex e ſexto nonas Julias*, ut habet Bucherii Catalogus, a Con latu *Maximiano octavo*, ideſt ab anno 311. *uſque in tertium dus Januarii Voluſiano, & Aniano*, ad diem decimam Jar rii hujus anni 314., die vero ſequenti ſepultus: *Quarto t Januarii Melchiadis in Calliſti*, ut in Indiculo depoſi is Epiſcoporum ibidem legitur. Unde, quæ ex Anaſtaſio r t Baronius, Melchiadem tertio idus Decembris obiiſſe, qu & in Romanum Martyrologium inſeruit, ex ſupracitatis Catalogo, & Indiculo Romanorum Pontificum, corrigenda ſunt.

Coutan. pag. 322. Baron. ann. 314. num. 47. Pag. not. 16. ad an. 314. Coutan. ut ſupra.

De epiſtolis, & Decretis Melchiadi Papæ adſcriptis.

2. Duas Melchiadi adſcripſit Iſidorus epiſtolas, unam ad Leontium, alioſque Hiſpaniæ Epiſcopos datam, qua de cauſis Epiſcoporum, aliiſque ad Sedem Apoſtolicam deferendis, de dignitate Sacramentorum Baptiſmatis, & Confirmationis, & de jejunio Dominicæ diei, & quintæ feriæ agit. Altera Con-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantini munificentiam in Eccleſias narrat, quam ſynodi Nicænæ mentio, undecim poſt annos habitæ, falſam eſſe manifeſto indicat.

Jesu Chr. an. 314.

3. De Melchiade hæc etiam tradit Auctor Pontificalis: *Hic conſtituit, ne ulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis Fidelium ageret*. Omni anteacta ætate die Dominico jejunare prohibitum fuiſſe lippis, atque tonſoribus notum eſt; hinc Tertullianus: *Die Dominico jejunium nefas ducimus*. Melchiadis Papæ decreto Manichæos, quos Romæ inveniſſe narrat Auctor Pontificalis, cauſam dediſſe veroſimile eſt; qui cum die Dominico jejunarent, ne ſub pietatis, & jejunii larva diu laterent, conſtituit, ut Dominico die nemo Fidelium jejunium ageret, quod, Auguſtino teſte, *ſcandalum eſt magnum; maxime poſtea quam innotuit deteſtabilis, multumque fidei Apoſtolicæ, Scripturiſque divinis apertiſſime contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad jejunandum iſtum conſtituerunt diem*. Feria autem quinta cur jejunare prohibuerit Melchiades, nulla probabilis occurrit conjectura; niſi dicamus eam diem (Quadrageſimali tempore excepto) Romæ a jejunio quoque fuiſſe ex veteri conſuetudine liberam; quare apud *Romanos*, ajebat Auguſtinus, *omnibus iſtis ſex diebus*, ideſt tota hebdomada, *præter pauciſſimos clericos, aut monachos, quotuſquiſque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia, maxime quia ibi jejunandum quinta feria non videtur*.

De Decretis Melchiadi Papæ adſcriptis. *Anaſt. tom. 1. Ccutan. pag. 335.*

Tertull. de coron. cap. 3.

Auguſt. epiſt. 36. ad Caſulanum.

Auguſt.

4. Alterum adhuc Melchiadis decretum his verbis conceptum legitur: *Hic fecit, ut Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecrata Epiſcopi dirigerentur; quod declaratur Fermentum*. Quid vero Fermentum eſſet, quod ab Epiſcopo conſecratum Eccleſiis mittebatur in obſcuro eſt. Baronius, aliique Fermenti nomine: *Fermentatum, panem benedictum intelligunt, quo ob communicationis ſymbolum ab Epiſcopo impartirentur tanquam parochiales Presbyteri, qui eundem ſub ſe conſtitutis Fidelibus diſtribuerent certis diebus, ipſum vero diverſis nominibus appellatum nimirum fermentum, ad diſtinctionem azimi panis, ex quo ſoleret confici Euchariſtia*. Hæc ait Baronius, pro certiſſimo habens, *Romanam, ac ſimul Occidentalem omnem Eccleſiam non niſi in azimo pane conſueviſſe Euchariſtiam conficere*. Alii tamen Fermenti nomine, quod ab Epiſcopo conſecratum ad alias ferebatur Eccleſias, Euchariſtiam ipſam deſignatam fuiſſe tradunt, Fermenti appellatione ideo nuncupatam, eo quod ſym-

Quid Fermenti nomine veniat.

Bar. an. 314. nn. 49. ad 56.

Num. 53. 55.

Jesu Chr. An. 314.

Coutan. pag. 340.

Schelestr. de diſcipl. arcan. pag 7. art. 5. Pag. not. 17. 18. ad an. 314.

ſymbolum communionis inter Fideles eſſet, quos mutua charitate fovebat. Sacramentum autem Corporis Chriſti Fermenti titulo fuiſſe deſignatum, ex pluribus Romanorum Pontificum locis manifeſto conſtare, eruditiſſimi viri adnotarunt. In Siricio etenim narrat Auctor Pontificalis, ſtatuiſſe eum: *Ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum*. Clariora adhuc, & certiora ſunt, quæ in epiſtola Innocentii Papæ I. ad Decentium leguntur capite octavo: *De Fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos. Quod per parœcias fieri non puto, quia nec longe portanda ſunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diverſa conſtitutis presbyteris deſtinamus, & presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam*. Hæc Innocentius I., quibus fermenti nomine Euchariſtiam apertiſſime indicat, quæ Presbyteris intra Urbem per Acolythos in ſignum communionis mittebatur, non vero iis, qui in cœmeteriis extra Urbem conſtituti erant, quibus jus, & licentia erat Sacramentorum conficiendorum, eo *quod non longe portanda ſunt Sacramenta*: quæ quidem Euchariſtiæ magis conveniunt, quam panibus ab Epiſcopo benedictis. Quare cum Siricio, & Innocentio Melchiadem fermenti vocabulo Euchariſtiam deſignaſſe vix dubitamus, ſive ex azimo, aut fermentato pane confecta fuerit.

Apud Coutan. pag. 860.

An Euchariſtia ex fermentato pane, aut azimo confecta fuerit.

Bar. an. 34. n. 46. an. 314. 10.

S. Thom. 3. par. quæſt. 74. num. 4.

5. Dum Fermenti nomine Euchariſtiam deſignatam dicimus, in obſcuram incidimus quæſtionem; num ſcilicet primis Eccleſiæ ſæculis fermentato pane, aut azimo, ad Euchariſtiam conficiendam uteretur Eccleſia: quæ ſane magna animorum diſſenſione inter eruditos agitatur. Nam plurimi eorum, azimum panem ab Eccleſia ſemper adhibitum fuiſſe ad conficiendam Euchariſtiam, tradiderunt: *Ritum conficiendi in azimis, & non in fermentato, ſervatum eſſe ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus*, ex Epiphanio docet Baronius; in quam ſententiam tota Scholaſticorum cohors tranſivit; idque convenientius fuiſſe, multis rationibus Scholaſticorum Princeps facile probat S. Thomas. De qua quæſtione cum olim diu, acriter-

terque inter Latinam & Græcam Eccleſiam diſputatum fuerit, tandem unaquæque, ſalva pace, & communione, ritum ſuum retinendum cenſuit. At quæ antiquis temporibus, & primis Eccleſiæ ſæculis in utraque Eccleſia conſuetudo fuerit, incertum uſque adeo, obſcurumque eſt, ut pro azimo, & fermentato pane in utramque partem diſputent eruditi, atque azimum panem in Eccleſia Latina in uſu ſemper fuiſſe, poſt Baronium, multis argumentis probare nititur vir erudione clariſſimus Mabillonius. Sirmondus econtra fermentatum primis etiam Eccleſiæ ſæculis in uſu apud Latinos fuiſſe contendit; quod & validiſſimis fundamentis innixum monſtrat. Cumque pro utraque ſententia rationes, & exempla occurrant, nulla alia, ad finiendam controverſiam, aptior via viſa eſt piiſſimo, eruditiſſimoque Cardinali Bonæ, quam fateri, in Eccleſia quoque Latina uſque ad ſæculum VIII. promiſcuum fuiſſe tam fermentati, quam azimi panis uſum; cujus opinioni perlibenter eruditorum plurimi ſubſcripſerunt, ut apud Bachilothium, & Le-Brun videri poteſt. Sed de his hactenus.

Bar. an. 34. n. 46. & 314. 56.

Mabill. diſſert. de Azimo.

Sirmond. diſquiſit. de Azimo.

6. Melchiadi Silveſter ſucceſſit, qui per annos XXI. menſes XI. Romanæ præfuit Eccleſiæ, de quo in Catalogo Bucheriano: *Silveſter annis* XXI., *menſibus* XI., *fuit temporibus Conſtantini, a Conſulatu Voluſiani, & Aniani, ex die pridie Kal. Febr. uſque in diem Kal. Januar. Conſtantino, & Albino Conſulibus*, ideſt a die 31. Januarii labentis uſque ad diem ultimum anni 335., qua in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ de ejuſdem obitu legitur: *Pridie Kal. Januarii Silveſtri in Priſcillæ*. De geſtis Silveſtri Pontificis infra ſuis annis plura dicturi ſumus.

Silveſter Papa ordinatur.

7. Donatiſtarum querelas nunc proſequimur. Cum etenim adverſus Melchiadis, ſynodique Romanæ ſententiam, qua Cæcilianus innocens declaratus fuerat, adhuc muſſitarent, atque ab eadem ſynodo eorum cauſam plenius diſcuſſam non fuiſſe quererentur; eo quod de Cæciliani ordinatoribus actum non fuiſſet, quos Traditores aſſerebant, & præcipue Felicem Aptungitanum, qui Cæcilianum ordinaverat; eaque de cauſa etſi Cæcilianus innocens probatus fuiſſet, nihilominus Epiſcopatu indignum eſſe ajebant, utpote a traditore, ideſt Felice ordinatum, & alieno crimine fœdatum: cum itaque hæc, aliaque conclamarent, atque ad Imperatorem Conſtantinum a Romana ſynodo provocaſſent, ut anno elapſo diximus,

Donatiſtarum querelæ adverſus Melchiadis ſententiam.

Jesu Chr. an. 314.

Felicis Aptungitani Epiſcopi cauſa diſcutitur, ejuſque innocentia declaratur.

Optat. lib. 1.

mus, Conſtantinus, ut Donatiſtis cauſam omnem, quin & calumniandi prætextum tolleret, antequam eorum cauſa a majori Epiſcoporum numero Arelate congregando ageretur, de traditionis crimine, Felici Aptungitano impacto, diligentius per Acta publica inquiri voluit; atque ad Ælianum Africæ Proconſulem ſcripſit, ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret, ut pluribus narrat Optatus, qui Acta Proconſularia refert, & nomina eorum, qui in ea cauſa interrogati fuerant, ideſt, Claudii Saturiani Curatoris, & Cæciliani Magiſtratus, & Superii Stationarii, & Scribæ Ingentii, & Solonis Officialis publici illius temporis; atque Proconſulis ſententia Felicem Epiſcopum ab exuſtione ſacrarum Scripturarum innoxium fuiſſe declaratum: *Hoc actis continetur, quod Felix Epiſcopus Religioſus illis temporibus, neque præſens fuerit, neque conſcientiam accomodaverit, neque tale aliquid fieri juſſerit*. Hæc Optatus de Proconſulis ſententia, qua Felicem Aptungitanum a crimine traditionis Scripturarum innocentem pronunciavit, quæ & in Carthaginenſi collatione cum Donatiſtis habita recitata ſunt, atque in Breviculo collationis ab Auguſtino inſerta: *Hac accepta opportunitate*, ait, *Catholici recitandam pertulerunt, & ipſius Æliani tunc Proconſulis relationem de hac re ad Conſtantinum datam, ubi ſe cauſam Felicis audiiſſe, ac finiſſe commemorat, & ipſa geſta proconſularia, quibus abſolutus eſt Felix, & omnium neceſſariarum perſonarum teſtimonio, a traditionis crimine innocens comprobatus*. Hæc autem de Felicis Aptungitani inquiſitio quatuor menſibus poſt Melchiadis judicium facta eſt, ut idem teſtatur Auguſtinus: *Melchiades judicavit Conſtantino III., & Licinio III. Coſs. ſexto nonas Octobris*, (anni elapſi) *Ælianus Proconſul cauſam Felicis audivit, Voluſiano, & Anniano Coſs. decimoquinto Kal. Martias*, ideſt, poſt menſes fere quatuor. In ipſis tamen Actis legitur XIV. Kal. Septembris Voluſiano, & Anniano Coſſ., unde aut error in Actis irrepſit, & pro decimoquarto Kal. Septembris legendum decimo quarto Kal. Martias, ut apud Auguſtinum; aut cauſam Felicis eo tempore ab Auguſtino notato incœptam uſque ad XIV. Kal. Septemb. perduraſſe dicendum eſt. Ex iiſdem autem Actis re ab Æliano diligentiſſime tractata, iiſque interrogatis, qui perſecutionis tempore Magiſtratui Aptungenſi inſerviebant, ideſt, Superius Stationarius, Solon ſervus publicus, Ingentius Scriba, & Al-

Auguſt. lib. de Donat. poſt collat. cap. 33. T. m. 9. Aug. in app. pag. 18.

& Alfius Cæcilianus Duumvir ; lectiſque municipalibus geſtis eo tempore confectis , manifeſto probatum eſt , & Felicem Aptungitanum tunc Epiſcopum a crimine traditionis innocuum fuiſſe , & Ingentium Scribam Acta municipalia , & Cæciliani epiſtolam adulteraſſe ; qua de cauſa , ut iiſdem Actis legitur , Ingentius in carcerem receptus fuit : *Eſt enim arctiori interrogationi neceſſarius* , ut ibidem Ælianus dixit . Sed de Felicis Aptungitani Epiſcopi innocentia , & Ingentii temeritate in corrumpendis Actis municipalibus , & adulteranda epiſtola Cæciliani plura in iiſdem Actis videri poſſunt .

Tom. 9. In append. pag. 18. Apud Baluz. to. 2. Miſcellan.

8. Conſtantinus vero Ingentium falſarium ad ſe ſub cuſtodia mitti juſſit , ad Probianum Africæ Proconſulem in hæc verba reſcribens : *Imperatores Cæſares Flavii Conſtantinus , & Maximianus Licinianus Licinius ad Probianum Proconſulem Africæ* . Eaque narrat Ælianum Præceſſorem ſuum objecta Cæciliano Epiſcopo , & Eccleſiæ Catholicæ a Donatiſtis crimina jam cognoviſſe , ac Felicem Aptungitanum Epiſcopum de ſacrarum Scripturarum traditione falſo accuſatum fuiſſe , Ingentium vero Decurionem Zinquenſium epiſtolam Cæciliani corrupiſſe , eumque tamen ea de cauſa tormentis nequaquam examinatum fuiſſe , eo quod ſe Decurionem Zinquenſium civitatis eſſe dixerat . *Unde volumus , eumdem ipſum Ingentium ſub idonea proſecutione ad Comitatum meum Conſtantini Auguſti mittas , ut illis , qui in præſentiarum agunt , atque diuturnis diebus interpellare non deſinunt , audientibus , & coram aſſiſtentibus apparere , & intimari poſſit , fruſtra eos Cæciliano Epiſcopo invidiam comparare , atque adverſus eum violenter inſurgere voluiſſe* . Hactenus Conſtantini Reſcriptum ab Auguſtino in ſuis contra Creſconium Donatiſtam libris relatum .

Conſtantini reſcriptum , quo Ingentium ad ſe mitti jubet.

Aug. contra Creſc. lib. 3. cap. 70. epiſt. 88. nn. 4. alibique.

Brevic. collat. die 3. & lib. poſt collat. cap. 31.

9. His autem in Africa geſtis , *cum Donatiſtæ* , ut ait Auguſtinus , *Eccleſiaſticos Judices tantæ auctoritatis Epiſcopos* , Romæ congregatos , quorum judicio Cæciliani innocentia , eorumque improbitas declarata fuerat , non apud Epiſcopos , ſed apud Imperatorem accuſare auſi eſſent , quod male judicaverint ; ut ab Arelatenſi Concilio iterum eorum cauſa retractaretur , Conſtantinus juſſit , eorum perverſitati indulgens , ac tantam imprudentiam cohibere omnino cupiens . *Non tamen* , ut ait Auguſtinus , *auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas , & fallaces querelas ſuſcipere , ut de judicio Epiſcoporum , qui Romæ ſederant , ipſe judicaret , ſed alios , ut dixi , Epi-*

Conſtantinus Arelatenſem ſynodum jubet congregari.

Auguſt. epiſt. 43. cap. 7.

Auguſt. epiſt. 43.

Jesu Chr. an. 314. *Auguſt. epiſt.* 105.

Epiſcopos dedit. Et iterum: *De judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmuraverunt*, ideſt de judicio Romanæ Synodi: *iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Judices dedit apud Arelatem Galliæ civitatem*. Cum etenim ſciret ſui juris non eſſe de rebus Eccleſiæ judicium ferre, nec ſpes eſſet, Donatiſtas Romanæ ſynodi ſententiæ unquam parituros, ut tandem diſſidia tollerentur, pacemque Africanis Eccleſiis redderet, in Concilio Arelate celebrando cauſam retractari voluit. Quare ad Ablavium Africæ Proconſulem ſcripſit, ut collitigantes partes, ideſt, Cæcilianum cum aliquot ex ſuis, & Majorinum Donatiſtam cum ſibi adhærentibus; unaque cum iis ex utraque parte Epiſcopos aliquos Arelatem ad diem Kalend. Auguſtarum adeſſe juberet, & ut ad iter neceſſaria ſingulis præſtarentur, præcepit.

Conſtantini epiſtola ad Ablavium. *Tom. 9. Auguſt. in Append. pag. 22.*

10. In ea epiſtola Conſtantinus, quæ hactenus in ejuſmodi cauſa geſtum fuerant, quave ratione ad unitatem ſervandam, Donatiſtis fruſtra hortatus eſſet, primum exponit: *Deinde quare cum hæc tot, & tanta nimium obnoxias diſſenſiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iiſdem dari poſſe videretur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his, qui contra eum diſſident, tres aliqui in judicium eorum, qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſumque debent, ad Arelatenſe oppidum venerint, injungendum ſolertiæ tuæ duxi, ut mox has litteras meas acceperis, tam Cæcilianum ſupradictum, cum aliquibus ex his, quos ipſe delegerit, (ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & provinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putaverint eligendos) ſed etiam aliquos ex his, qui contra eumdem Cæcilianum diſſentiunt, data evectione publica per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus hujuſmodi his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, ut ipſi ad ſupradictum locum intra diem Kalendarum Auguſtarum poſſint pervenire, celeriter intimaturus iiſdem, ut antequam proficiſcantur, debeant diſponere, quatenus abſentibus ipſis, & diſciplina competens habeatur, & nulla forte ſeditio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur; de cetero plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur*. Hactenus Conſtantinus ad Ablavium.

Conſtantini epiſt. ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum.

11. Ad Epiſcopos etiam aliarum Eccleſiarum epiſtolas dedit, quibus eos, ut ad Arelatenſe Concilium adeſſent, roga-

gabat. Harum exemplar in epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum invenimus, qua habet, ſe ad finiendas quæſtiones de ſancta & divina Religione in Africa excitatas conſtituiſſe olim, ut coactis ex Galliis, & Africa Epiſcopis, præſente etiam Romanæ Urbis Epiſcopo, diligenti examinatione habita, res componerentur; quia tamen nonnulli & propriæ ſalutis, & venerationis, quæ ſanctiſſimæ Fidei debetur, obliti, privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſabant, ac prolatæ ſententiæ adquieſcere recuſabant, aſſerentes paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, nec cunctis, quæ opus erant, diſcuſſis properanter judicaſſe; unde acciderat, ut diſſenſio adhuc perſeveraret; ut nunc tandem diſſidia multorum interventu finem haberent, plurimos ex diverſis locis Epiſcopos in urbem Arelatenſem, intra Kalendas Auguſti, ut convenirent, ſe juſſiſſe addit; *atque tibi quoque* (nempe Chreſto Epiſcopo) *ſcribendum eſſe cenſuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clariſſimo Latroniano Correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus ſecundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item ſervulis, qui in itinere vobis miniſtrare poſſint, intra eumdem diem ad prædictum locum occurras, quo tum per tuam gravitatem, tum per ceterorum in unum coeuntium unanimem concordemque ſolertiam, controverſia hæc, quæ per fœdiſſimam altercationem ad hoc uſque temporis perduravit, auditis omnibus eorum, qui nunc inter ſe diſſident, quos etiam adeſſe juſſimus, allegationibus ad congruam Religionis, & Fidei obſervantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando poſſit revocari. Deus omnipotens te diutiſſime ſervet incolumem.* Hactenus Conſtantini epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum, eaſdemque & ad alios præcipuarum Sedium Epiſcopos Occidentales dediſſe, idem teſtatur Conſtantinus, addens, *ſe ex diverſis, & prope infinitis locis* Epiſcopos congregaſſe, ac datis ad Præſides tractoriis juſſiſſe, ut Epiſcopis Arelatum euntibus viaticum, & vehicula ſuppeditarentur. Tractoriarum exemplar Cujacius exhibet in titulo de Tractoriis, quibus, præter alia, hæc continebantur:

JESU CHR. AN. 314. *Euſeb. lib. 10. cap. 5. tom. 9. Auguſt. in append.*

12. *Nos Cajum V. C. illis partibus legationis cauſa direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem a vobis evectio ſimul, & humanitas miniſtretur. Hoc eſt Veredi, ſive Paraveredi tot: panes tot: vini modios tot: carnis tot &c.* aliarum etiam rerum, quæ ad victum uſui eſſe poterant, earumque menſura, aut pondus pro perſonarum numero, aut digni-

Quid continerent Tractoriæ epiſtolæ.

JESU CHR. AN. 314.

dignitate augebatur, idque tam eundo, quam redeundo, ut iiſdem darentur, ſæpe jubebatur. Quin & tempus, quo in ſtationibus immorari poterant, ſumptibus publicis alendi, præſcriptum erat: *Tractoriæ cum ſtativis ſolitis tantummodo biduum accipiat*, ideſt, ultra biduum ſtationis tractoriæ ſolitæ non extendantur, ut lege cautum fuit ab Honorio, & Arcadio Auguſtis. Cumque, ut duos ſibi quiſque ſocios ſecundi ordinis eligeret, Imperator præcipiat, Baronius Epiſcopos ejuſdem provinciæ inferiorum ſedium deſignatos fuiſſe tradit. At veroſimilius eſt, ſocios ſecundi ordinis, Presbyteros deſignaſſe, eo quod poſt Epiſcopos in ſecundis ſedibus ſederent. Unde de ordinatione ſua in Presbyterum Nazianzenus: *Per vim ſecundis collocat me in ſedibus*, ideſt, invitum ordinavit Presbyterum, & S. Leo Presbyteros ſecundi ordinis Sacerdotes dicit: *Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, nec ſolum Sacramentorum miniſtros* (ideſt Diaconos) *ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatos &c.*

Cod. lib. 12. tit. 52. de tractoriis. Bar. an. 314. num. 43.

Tillem. tom. 6. pag. 706. Baſnag. ann. 314.

S. Leo ſerm. 10. de Quadrag.

Arelatenſe Concilium Cæcilianum abſolvit, Donatiſtas condemnat.

13. Congregatis itaque Arelate Epiſcopis Kal. Auguſti, ut ſua epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum, & ad Ablavium Proconſulem Africæ juſſerat Conſtantinus, Cæciliani cauſa, & Felicis Aptungitenſis Cæciliani ordinatoris iterum eſt examinata, atque ex Proconſularibus geſtis, & ex actis ab Æliano in Africa cauſa Felicis Aptungitani confectis, & ad Synodum tranſmiſſis iterum diſcuſſa, adſtante forſitan etiam Ingentio Scriba Actorum falſario, quem Conſtantinus epiſtola ad Probianum data ad comitatum remitti juſſerat. Tota autem cauſa mature perpenſa, Cæcilianus una cum Felice Aptungitenſi ordinatore iterum abſolutus eſt, & innocens declaratus. Donatiſtæ vero falſarii, & calumniatores convicti, atque una cum Majorino eorum Epiſcopo, & Sedis Carthaginenſis Invaſore condemnati: *Poſt pacificum moderamen Judicii Epiſcopalis* (in Romana ſynodo habiti) *omnis contentionis, & animoſitatis pertinacia debebat extingui*, ajebat Auguſtinus ad Donatiſtas. *Sed rurſus majores veſtri ad Imperatorem redierunt, & non recte judicatum, neque omnem cauſam auditam conqueſti ſunt; unde ille alterum Epiſcopale judicium dedit habendum in Arelatenſi civitate, ubi multi veſtri vana, & diabolica diſſenſione damnata cum Cæciliano in concordiam redierunt; alii vero pertinaciſſimi, ac litigioſiſſimi ad eundem Imperatorem appellaverunt*. Donatiſtæ autem poſt Arelatenſe judicium, quid dice-

Auguſt. epiſt. 88.

ſtantini munificentiam in Eccleſias narrat, quam ſynodi Nicænæ mentio, undecim poſt annos habitæ, falſam eſſe manifeſto indicat.

Jesu Chr. an. 314.

3. De Melchiade hæc etiam tradit Auctor Pontificalis: *Hic conſtituit, ne ulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis Fidelium ageret*. Omni anteacta ætate die Dominico jejunare prohibitum fuiſſe lippis, atque tonſoribus notum eſt; hinc Tertullianus: *Die Dominico jejunium nefas ducimus*. Melchiadis Papæ decreto Manichæos, quos Romæ inveniſſe narrat Auctor Pontificalis, cauſam dediſſe veroſimile eſt; qui cum die Dominico jejunarent, ne ſub pietatis, & jejunii larva diu laterent, conſtituit, ut Dominico die nemo Fidelium jejunium ageret; quod, Auguſtino teſte, *ſcandalum eſt magnum; maxime poſtea quam innotuit deteſtabilis, multumque fidei Apoſtolicæ, Scripturiſque divinis apertiſſime contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad jejunandum iſtum conſtituerunt diem*. Feria autem quinta cur jejunare prohibuerit Melchiades, nulla probabilis occurrit conjectura, niſi dicamus eam diem (Quadrageſimali tempore excepto) Romæ a jejunio quoque fuiſſe ex veteri conſuetudine liberam; quare apud *Romanos*, ajebat Auguſtinus, *omnibus iſtis ſex diebus*, ideſt tota hebdomada, *præter pauciſſimos clericos, aut monachos, quotuſquiſque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia; maxime quia ibi jejunandum quinta feria non videtur*.

De Decretis Melchiadi Papæ adſcriptis.
Anaſt. tom. 1. Coutan. pag. 335.
Tertull. de coron. cap. 3.
Auguſt. epiſt. 36. ad Caſulanum.
Auguſt.

4. Alterum adhuc Melchiadis decretum his verbis conceptum legitur: *Hic fecit, ut Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecrata Epiſcopi dirigerentur*, quod declaratur *Fermentum*. Quid vero Fermentum eſſet; quod ab Epiſcopo conſecratum Eccleſiis mittebatur in obſcuro eſt. Baronius, aliique Fermenti nomine: *Fermentatam, panem benedictum intelligant, quo ob communicationis ſymbolum ab Epiſcopo impartirentur cuncti parochiales Presbyteri, qui eundem ſub ſe conſtitutis Fidelibus diſtribuerent certis diebus, ipſum vero diverſis nominibus appellatum nimirum fermentum, ad diſtinctionem azimi panis, ex quo ſoleret confici Euchariſtia*. Hæc ait Baronius, pro certiſſimo habens, *Romanam, ac ſimul Occidentalem omnem Eccleſiam non niſi in azimo pane conſueviſſe Euchariſtiam conficere*. Alii tamen Fermenti nomine, quod ab Epiſcopo conſecratum ad alias ferebatur Eccleſias, Euchariſtiam ipſam deſignatam fuiſſe tradunt, Fermenti appellatione ideo nuncupatam, eo quod ſym-

Quid Fermenti nomine veniat.
Bar. an. 314. nu. 49. ad 56.
Num. 53. 55.

JESU CHR. AN. 314.

ſymbolum communionis inter Fideles eſſet, quos mutua charitate fovebat. Sacramentum autem Corporis Chriſti Fermenti titulo fuiſſe deſignatum, ex pluribus Romanorum Pontificum locis manifeſto conſtare, eruditiſſimi viri adnotarunt. In Siricio etenim narrat Auctor Pontificalis, ſtatuiſſe eum: *Ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum*. Clariora adhuc, & certiora ſunt, quæ in epiſtola Innocentii Papæ I. ad Decentium leguntur capite octavo: *De Fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos. Quod per parœcias fieri non puto, quia nec longe portanda ſunt Sacramenta, nec nos per cœmeteria diverſa conſtitutis presbyteris deſtinamus, & presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam*. Hæc Innocentius I., quibus fermenti nomine Euchariſtiam apertiſſime indicat, quæ Presbyteris intra Urbem per Acolythos in ſignum communionis mittebatur, non vero iis, qui in cœmeteriis extra Urbem conſtituti erant, quibus jus, & licentia erat Sacramentorum conficiendorum, eo *quod non longe portanda ſunt Sacramenta*: quæ quidem Euchariſtiæ magis conveniunt, quam panibus ab Epiſcopo benedictis. Quare cum Siricio, & Innocentio Melchiadem fermenti vocabulo Euchariſtiam deſignaſſe vix dubitamus, ſive ex azimo, aut fermentato pane confecta fuerit.

Coutan. pag. 340. Schelſtr. de diſcipl. arcan. pag 7. art. 5. Pag. not. 17. 18. ad an. 314. Apud Coutan. pag. 860.

An Euchariſtia ex fermentato pane, aut azimo confecta fuerit.

5. Dum Fermenti nomine Euchariſtiam deſignatam dicimus, in obſcuram incidimus quæſtionem; num ſcilicet primis Eccleſiæ ſæculis fermentato pane, aut azimo, ad Euchariſtiam conficiendam uteretur Eccleſia; quæ ſane magna animorum diſſenſione inter eruditos agitatur. Nam plurimi eorum, azimum panem ab Eccleſia ſemper adhibitum fuiſſe ad conficiendam Euchariſtiam, tradiderunt: *Ritum conficiendi in azimis, & non in fermentato, ſervatum eſſe ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus*, ex Epiphanio docet Baronius; in quam ſententiam tota Scholaſticorum cohors tranſivit; idque convenientius fuiſſe, multis rationibus Scholaſticorum Princeps facile probat S. Thomas. De qua quæſtione cum olim diu, acri- ter-

Bar. an. 34. n. 46. an. 314. 50. S. Thom. 3. par. quæſt. 74. num. 4.

Digitized by Google

terque inter Latinam & Græcam Eccleſiam diſputatum fuerit, tandem unaquæque, ſalva pace, & communione, ritum ſuum retinendum cenſuit. At quæ antiquis temporibus, & primis Eccleſiæ ſæculis in utraque Eccleſia conſuetudo fuerit, incertum uſque adeo, obſcurumque eſt, ut pro azimo, & fermentato pane in utramque partem diſputent eruditi, atque azimum panem in Eccleſia Latina in uſu ſemper fuiſſe, poſt Baronium, multis argumentis probare nititur vir erudione clariſſimus Mabillonius: Sirmondus econtra fermentatum primis etiam Eccleſiæ ſæculis in uſu apud Latinos fuiſſe contendit: quod & validiſſimis fundamentis innixum monſtrat. Cumque pro utraque ſententia rationes, & exempla occurrant, nulla alia, ad finiendam controverſiam, aptior via viſa eſt piiſſimo, eruditiſſimoque Cardinali Bonæ, quam fateri, in Eccleſia quoque Latina uſque ad ſæculum VIII. promiſcuum fuiſſe tam fermentati, quam azimi panis uſum: cujus opinioni perlibenter eruditorum plurimi ſubſcripſerunt, ut apud Bachilothium, & Le-Brun videri poteſt. Sed de his hactenus.

Bar. an. 34. n. 46. & 314. 50. Mabill. diſſert. de Azimo. Sirmond. diſquiſit. de Azimo.

6. Melchiadi Silveſter ſucceſſit, qui per annos XXI. menſes XI. Romanæ præfuit Eccleſiæ, de quo in Catalogo Bucheriano: *Silveſter annis* XXI., *menſibus* XI., *fuit temporibus Conſtantini, a Conſulatu Voluſiani, & Aniani, ex die pridie Kal. Febr. uſque in diem Kal. Januar. Conſtantino, & Albino Conſulibus*, ideſt a die 31. Januarii labentis uſque ad diem ultimum anni 335., qua in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ de ejuſdem obitu legitur: *Pridie Kal. Januarii Silveſtri in Priſcillæ*. De geſtis Silveſtri Pontificis infra ſuis annis plura dicturi ſumus.

Silveſter Papa ordinatur.

7. Donatiſtarum querelas nunc proſequimur. Cum etenim adverſus Melchiadis, ſynodique Romanæ ſententiam, qua Cæcilianus innocens declaratus fuerat, adhuc muſſitarent, atque ab eadem ſynodo eorum cauſam plenius diſcuſſam non fuiſſe quererentur; eo quod de Cæciliani ordinatoribus actum non fuiſſet, quos Traditores aſſerebant, & præcipue Felicem Aptungitanum, qui Cæcilianum ordinaverat; eaque de cauſa etſi Cæcilianus innocens probatus fuiſſet, nihilominus Epiſcopatu indignum eſſe ajebant, utpote a traditore, ideſt Felice ordinatum, & alieno crimine fœdatum: cum itaque hæc, aliaque conclamarent, atque ad Imperatorem Conſtantinum a Romana ſynodo provocaſſent, ut anno elapſo diximus,

Donatiſtarum querelæ adverſus Melchiadis ſententiam.

JESU CHR. AN. 314.

mus, Conſtantinus, ut Donatiſtis cauſam omnem, quin & calumniandi prætextum tolleret, antequam eorum cauſa a majori Epiſcoporum numero Arelate congregando ageretur, de traditionis crimine, Felici Aptungitano impacto, diligentius per Acta publica inquiri voluit; atque ad Ælianum Africæ Proconſulem ſcripſit, ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret, ut pluribus narrat Optatus, qui Acta Proconſularia refert, & nomina eorum, qui in ea cauſa interrogati fuerant, ideſt, Claudii Saturiani Curatoris, & Cæciliani Magiſtratus, & Superii Stationarii, & Scribæ Ingentii, & Solonis Officialis publici illius temporis; atque Proconſulis ſententia Felicem Epiſcopum ab exuſtione ſacrarum Scripturarum innoxium fuiſſe declaratum: *Hoc actis continetur, quod Felix Epiſcopus Religioſus illis temporibus, neque præſens fuerit, neque conſcientiam accomodaverit, neque tale aliquid fieri juſſerit.* Hæc Optatus de Proconſulis ſententia, qua Felicem Aptungitanum a crimine traditionis Scripturarum innocentem pronunciavit, quæ & in Carthaginenſi collatione cum Donatiſtis habita recitata ſunt, atque in Breviculo collationis ab Auguſtino inſerta: *Hac accepta opportunitate*, ait, *Catholici recitandam pertulerunt, & ipſius Æliani tunc Proconſulis relationem de hac re ad Conſtantinum datam, ubi ſe cauſam Felicis audiiſſe, ac finiſſe commemorat, & ipſa geſta proconſularia, quibus abſolutus eſt Felix, & omnium neceſſariarum perſonarum teſtimonio, a traditionis crimine innocens comprobatus.* Hæc autem de Felicis Aptungitani inquiſitio quatuor menſibus poſt Melchiadis judicium facta eſt, ut idem teſtatur Auguſtinus: *Melchiades judicavit Conſtantino III., & Licinio III. Coſs. ſexto nonas Octobris*, (anni elapſi) *Ælianus Proconſul cauſam Felicis audivit, Voluſiano, & Anniano Coſs. decimoquinto Kal. Martias*, ideſt, poſt menſes fere quatuor. In ipſis tamen Actis legitur XIV. Kal. Septembris Voluſiano, & Anniano Coſſ., unde aut error in Actis irrepſit, & pro decimoquarto Kal. Septembris legendum decimo quarto Kal. Martias, ut apud Auguſtinum; aut cauſam Felicis eo tempore ab Auguſtino notato incœptam uſque ad XIV. Kal. Septemb. perduraſſe dicendum eſt. Ex iiſdem autem Actis re ab Æliano diligentiſſime tractata, iiſque interrogatis, qui perſecutionis tempore Magiſtratui Aptungenſi inſerviebant, ideſt, Superius Stationarius, Solon ſervus publicus, Ingentius Scriba, & Al-

Felicis Aptungitani Epiſcopi cauſa diſcutitur, ejuſque innocentia declaratur.

Optat. lib. 1.

Auguſt. lib. de Donat. poſt collat. cap. 33. Tom. 9. Aug. in app. pag. 18.

Digitized by Google

& Alfius Cæcilianus Duumvir; lectiſque municipalibus geſtis eo tempore confectis, manifeſto probatum eſt, & Felicem Aptungitanum tunc Epiſcopum a crimine traditionis innocuum fuiſſe, & Ingentium Scribam Acta municipalia, & Cæciliani epiſtolam adulteraſſe; qua de cauſa, ut iiſdem Actis legitur, Ingentius in carcerem receptus fuit: *Eſt enim arctiori interrogationi neceſſarius*, ut ibidem Ælianus dixit. Sed de Felicis Aptungitani Epiſcopi innocentia, & Ingentii temeritate in corrumpendis Actis municipalibus, & adulteranda epiſtola Cæciliani plura in iiſdem Actis videri poſſunt.

Tom. 9. in append. pag. 18. Apud Baluz. to. 2. Miſcellan.

Conſtantini reſcriptum, quo Ingentium ad ſe mitti jubet.

8. Conſtantinus vero Ingentium falſarium ad ſe ſub cuſtodia mitti juſſit, ad Probianum Africæ Proconſulem in hæc verba reſcribens: *Imperatores Cæſares Flavii Conſtantinus, & Maximianus Licinianus Licinius ad Probianum Proconſulem Africæ*. Eaque narrat Ælianum Præceſſorem ſuum objecta Cæciliano Epiſcopo, & Eccleſiæ Catholicæ a Donatiſtis crimina jam cognoviſſe, ac Felicem Aptungitanum Epiſcopum de ſacrarum Scripturarum traditione falſo accuſatum fuiſſe, Ingentium vero Decurionem Zinquenſium epiſtolam Cæciliani corrupiſſe, eumque tamen ea de cauſa tormentis nequaquam examinatum fuiſſe, eo quod ſe Decurionem Zinquenſium civitatis eſſe dixerat. *Unde volumus, eumdem ipſum Ingentium ſub idonea proſecutione ad Comitatum meum Conſtantini Auguſti mittas, ut illis, qui in præſentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non deſinunt, audientibus, & coram aſſiſtentibus apparere, & intimari poſſit, fruſtra eos Cæciliano Epiſcopo invidiam comparare, atque adverſus eum violenter inſurgere voluiſſe*. Hactenus Conſtantini Reſcriptum ab Auguſtino in ſuis contra Creſconium Donatiſtam libris relatum.

Aug. contra Creſc. lib. 3. cap. 70. epiſt. 88. nn. 4. alibique.

Brevic. collat. die 3. & lib. poſt collat. cap. 31.

Conſtantinus Arelatenſem ſynodum jubet congregari.

9. His autem in Africa geſtis, *cum Donatiſtæ*, ut ait Auguſtinus, *Eccleſiaſticos Judices tantæ auctoritatis Epiſcopos*, Romæ congregatos, quorum judicio Cæciliani innocentia, eorumque improbitas declarata fuerat, non apud Epiſcopos, ſed apud Imperatorem accuſare auſi eſſent, quod male judicaverint; ut ab Arelatenſi Concilio iterum eorum cauſa retractaretur, Conſtantinus juſſit, eorum perverſitati indulgens, ac tantam imprudentiam cohibere omnino cupiens. *Non tamen*, ut ait Auguſtinus, *auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret, ſed alios, ut dixi,* Epi-

Auguſt. epiſt. 43. cap. 7.

Auguſt. epiſt. 43.

Jesu Chr. An. 314. *Auguſt. epiſt.* 105.

Epiſcopos dedit. Et iterum: *De judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmuraverunt*, ideſt de judicio Romanæ Synodi: *iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Judices dedit apud Arelatem Galliæ civitatem*. Cum etenim ſciret ſui juris non eſſe de rebus Eccleſiæ judicium ferre, nec ſpes eſſet, Donatiſtas Romanæ ſynodi ſententiæ unquam parituros; ut tandem diſſidia tollerentur, pacemque Africanis Eccleſiis redderet, in Concilio Arelate celebrando cauſam retractari voluit. Quare ad Ablavium Africæ Proconſulem ſcripſit, ut collitigantes partes, ideſt, Cæcilianum cum aliquot ex ſuis, & Majorinum Donatiſtam cum ſibi adhærentibus; unaque cum iis ex utraque parte Epiſcopos aliquos Arelatem ad diem . Kalend. Auguſtarum adeſſe juberet, & ut ad iter neceſſaria ſingulis præſtarentur, præcepit.

Conſtantini epiſtola ad Ablavium. *Tom. 9. Auguſt. in Append. pag.* 22.

10. In ea epiſtola Conſtantinus, quæ hactenus in ejuſmodi cauſa geſtum fuerant, quave ratione ad unitatem ſervandam, Donatiſtas fruſtra hortatus eſſet, primum exponit: *Deinde quare cum hæc tot, & tanta nimium obnoxias diſſenſiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iiſdem dari poſſe videretur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his, qui contra eum diſſident, tres aliqui in judicium eorum, qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſumque debent, ad Arelatenſe oppidum venerint, injungendum ſolertiæ tuæ duxi, ut mox has litteras meas acceperis, tam Cæcilianum ſupradictum, cum aliquibus ex his, quos ipſe delegerit, (ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & provinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putaverint eligendos) ſed etiam aliquos ex his, qui contra eumdem Cæcilianum diſſentiunt, data evectione publica per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus hujuſmodi his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, ut ipſi ad ſupradictum locum intra diem Kalendarum Auguſtarum poſſint pervenire, celeriter intimaturus iiſdem; ut antequam proficiſcantur, debeant diſponere, quatenus abſentibus ipſis, & diſciplina competens habeatur, & nulla forte ſeditio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur; de cetero plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur*. Hactenus Conſtantinus ad Ablavium.

Conſtantini epiſt. ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum.

11. Ad Epiſcopos etiam aliarum Eccleſiarum epiſtolas dedit, quibus eos, ut ad Arelatenſe Concilium adeſſent, roga-

gabat. Harum exemplar in epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum invenimus, qua habet, ſe ad finiendas quæſtiones de ſancta & divina Religione in Africa excitatas conſtituiſſe olim, ut coactis ex Galliis, & Africa Epiſcopis, præſente etiam Romanæ Urbis Epiſcopo, diligenti examinatione habita, res componerentur; quia tamen nonnulli & propriæ ſalutis, & venerationis, quæ ſanctiſſimæ Fidei debetur, obliti, privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſabant; ac prolatæ ſententiæ adquieſcere recuſabant, aſſerentes paucos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, nec cunctis, quæ opus erant, diſcuſſis properanter judicaſſe; unde acciderat, ut diſſenſio adhuc perſeveraret; ut nunc tandem diſſidia multorum interventu finem haberent, plurimos ex diverſis locis Epiſcopos in urbem Arelatenſem, intra Kalendas Auguſti, ut convenirent, ſe juſſiſſe addit; *atque tibi quoque* (nempe Chreſto Epiſcopo) *ſcribendum eſſe, cenſuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clariſſimo Latroniano Correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus ſecundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item ſervulis, qui in itinere vobis miniſtrare poſſint, intra eumdem diem ad prædictum locum occurras; quo tum per tuam gravitatem, tum per ceterorum in unum coeuntium unanimem, concordemque ſolertiam, controverſia hæc, quæ per fœdiſſimam altercationem ad hoc uſque temporis perduravit, auditis omnibus eorum, qui nunc inter ſe diſſident, quos etiam adeſſe juſſimus, allegationibus, ad longævam Religionis & Fidei obſervantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando poſſit revocari. Deus omnipotens te diutiſſime ſervet incolumem.* Hactenus Conſtantini epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum, eaſdemque & ad alios præcipuarum Sedium Epiſcopos Occidentales dediſſe, idem teſtatur Conſtantinus, addens *ſe ex diverſis, & prope infinitis locis* Epiſcopos congregaſſe, ac datis ad Præſides tractoriis juſſiſſe, ut Epiſcopis Arelatum euntibus viaticum, & vehicula ſuppeditarentur. Tractoriarum exemplar Cujacius exhibet in titulo de Tractoriis, quibus, præter alia, hæc continebantur:

Euſeb. lib. 10. cap. 5. tom. 9. Auguſt. in append.

12. *Nos Cajum V. C. illis partibus legationis cauſa direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem a vobis evectio ſimul, & humanitas miniſtretur. Hoc eſt Veredi, ſive Paraveredi tot: panes tot: vini modios tot: carnis tot &c.* aliarum etiam rerum, quæ ad victum uſui eſſe poterant, earumque menſura, aut pondus pro perſonarum numero, aut digni-

Quid continerent Tractoriæ epiſtolæ.

JESU CHR. AN. 314.

dignitate augebatur, idque tam eundo, quam redeundo, ut iiſdem darentur, ſæpe jubebatur. Quin & tempus, quo in ſtationibus immorari poterant, ſumptibus publicis alendi, præſcriptum erat: *Tractoriæ cum ſtativis ſolitis tantummodo biduum accipiat*, ideſt, ultra biduum ſtationis tractoriæ ſolitæ non extendantur, ut lege cautum fuit ab Honorio, & Arcadio Auguſtis. Cumque, ut duos ſibi quiſque ſocios ſecundi ordinis eligeret, Imperator præcipiat, Baronius Epiſcopos ejuſdem provinciæ inferiorum ſedium deſignatos fuiſſe tradit. At veroſimilius eſt, ſocios ſecundi ordinis, Presbyteros deſignaſſe, eo quod poſt Epiſcopos in ſecundis ſedibus ſederent. Unde de ordinatione ſua in Presbyterum Nazianzenus: *Per vim ſecundis collocat me in ſedibus*, ideſt, invitum ordinavit Presbyterum, & S. Leo Presbyteros ſecundi ordinis Sacerdotes dicit: *Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, nec ſolum Sacramentorum miniſtros* (ideſt Diaconos) *ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatos &c.*

Cod. lib. 12. tit. 52. de tractoriis.
Bar. an. 314. num. 43.
Tillem. tom. 6. pag. 706.
Baſnag. ann. 314.
S. Leo ſerm. 10. de Quadrag.

Arelatenſe Concilium Cæcilianum abſolvit, Donatiſtas condemnat.

13. Congregatis itaque Arelate Epiſcopis Kal. Auguſti, ut ſua epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum, & ad Ablavium Proconſulem Africæ juſſerat Conſtantinus, Cæciliani cauſa, & Felicis Aptungitenſis Cæciliani ordinatoris iterum eſt examinata, atque ex Proconſularibus geſtis, & ex actis ab Æliano in Africa in cauſa Felicis Aptungitani confectis, & ad Synodum tranſmiſſis iterum diſcuſſa, adſtante forſitan etiam Ingenio Scriba Actorum falſario, quem Conſtantinus epiſtola ad Probianum data ad comitatum remitti juſſerat. Tota autem cauſa mature perpenſa, Cæcilianus una cum Felice Aptungitenſi ordinatore iterum abſolutus eſt, & innocens declaratus. Donatiſtæ vero falſarii, & calumniatores convicti, atque una cum Majorino eorum Epiſcopo, & Sedis Carthaginenſis invaſore condemnati: *Poſt pacificum moderamen Judicii Epiſcopalis* (in Romana ſynodo habiti) *omnis contentionis, & animoſitatis pertinacia debebat extingui*, ajebat Auguſtinus ad Donatiſtas. *Sed rurſus majores veſtri ad Imperatorem redierunt, & non recte judicatum, neque omnem cauſam auditam conqueſti ſunt; unde ille alterum Epiſcopale judicium dedit habendum in Arelatenſi civitate, ubi multi veſtri vana, & diabolica diſſenſione damnata cum Cæciliano in concordiam redierunt; alii vero pertinaciſſimi, ac litigioſiſſimi ad eundem Imperatorem appellaverunt.* Donatiſtæ autem poſt Arelatenſe judicium, quid dice-

Auguſt. epiſt. 88.

dicerent cum non haberent, de Judicibus conqueſti ſunt. *Per Oſium Hiſpanum adjutorium præſtitum Cæciliano, ut ad eorum communionem ſanctorum, & illibatorum numerus cogeretur*, ideſt, Oſium auctorem fuiſſe, ut tam in Romana ſynodo, quam Arelatenſi Cæcilianus abſolveretur, & cum eo terrarum Orbis communione jungeretur; & iterum: *Fatetur etiam Parmenianus ad Arelatenſe oppidum, & Epiſcopos judices, & partes ex Africa conveniſſe, Cæcilianum ſcilicet, & Donatiſtas, ubi omnia ſuis credidit, cui nihil victi potuerunt, niſi de Judicibus conqueri*. Quod & alibi ſæpe Donatiſtis idem exprobrat Auguſtinus.

JESU CHR. AN. 314. *Auguſt. contr. epiſt. Parmen. lib. 1. cap. 5. 6.*

14. De geſtis in Donatiſtarum cauſa, deque canonibus ab Arelatenſi ſynodo editis hæc narrat epiſtola ſynodica ad Silveſtrum Papam: *Dilectiſſimo Papæ Sylveſtro Marinus &c. in Domino ſalutem æternam. Communi copula charitatis, & unitate matris Eccleſiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatenſium civitatem piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, in te religioſiſſime Papa, cum merita reverentia ſalutamus; ubi graves, ac pernicioſos legi noſtræ, atque traditioni, effrænatæ mentis homines pertulimus, quos & Dei noſtri præſens auctoritas, & traditio, ac regula veritatis ita reſpuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo, judice Deo, & matre Eccleſia, quæ ſuos novit, & comprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi. Et utinam, Frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſe tanti feciſſes. Profecto credimus, quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante, cœtus noſter majori lætitia exſultaſſet. Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur &c.* Hæc ad Silveſtrum Arelatenſes Patres, ipſum quoque ad ſynodum invitatum fuiſſe teſtantes. Adfuit tamen ſynodo, quin per Legatos ſuos præfuit Silveſter Papa, quorum nomina in ſubſcriptionibus leguntur: *Ex urbe Roma, quos Sylveſter Epiſcopus miſit, Claudius, & Vitus presbyteri, Eugenius, & Quiriacus Diaconi*. Nec obſtat, quod eorum nomina primo loco in ſubſcriptionibus non reperiantur; nam & varius eſt illarum ordo pro Codicum diverſitate, nec eo ordine ſubſcripti leguntur, quo in ſynodo ſederunt. Hinc Chreſtus Syracuſarum Epiſcopus, primus in ſubſcriptionibus invenitur,

De geſtis in Synodo Arelatenſi, epiſt. ſynodica ad Silveſtrum. *Coutan. pag. 346. Labb. tom. 1. Concil.*

Jesu Chr. an. 314. tur, licet eum Synodo præfuiſſe, inveriſimile ſit, cui vel Marinus Arelatenſis Epiſcopus, in cujus Eccleſia ſynodus habita eſt, præfuit, vel ex Italis Epiſcopis illuſtrior, veluti Merocles Mediolanenſis, aut alius ex Epiſcopis ſuburbicariis, ex quibus eidem ſynodo tres interfuerunt, ideſt Oſtienſis, Portuenſis, & Centumcellenſis.

Canones Synodi Arelatenſis.

15. Donatiſtarum cauſa diſcuſſa, ad Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam canones ſeptem editi ſunt, de quibus hæc iterum Arelatenſes Patres ad Silveſtrum Pontificem: *Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, Frater cariſſime, ad quæ fueramus invitati*, ſcilicet de Donatiſtarum ſchiſmate: *ſed & conſulendum nobis ipſis cenſuimus, & cum diverſæ ſint provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere. Placuit etiam, antequam a te, qui majores Diœceſes tenes, per te potiſſimum omnibus intimari*, ideſt, antequam editi canones vulgarentur, placuit, ut tu, qui majores Diœceſes tenes, nempe Primatum, omnibus ubique denunciare facias, ut hoc modo majori auctoritate firmarentur. *Quid autem ſit, quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubjunximus*, ideſt, canones ſeptem, quorum hæc ſumma eſt. Primo, ut Paſcha Domini per Orbem totum una die obſervetur. 2. In quocumque loco quis primum ordinatus fuerit, in eo perſeveret. 3. Qui arma projecerint in pace, abſtinere eos a communione decernitur. 4. De Circiſſariis, agitatoribus, theatricis ſcilicet, qui in Circo equos, aut currus agitabant, *eos etiam a communione ſeparari* ſynodus jubet. 5. Qui vero in infirmitate conſtituti credere volunt, eis manus imponantur, & Catechumeni fiant, & urgente periculo baptizentur.

Provinciarum Rectores, & Magiſtratus Epiſcoporum juriſdictioni, & curæ ſubjiciuntur.

16. *6. De Præſidibus, qui Fideles ſunt, & ad Præſidatum conſiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint, litteras quidem accipiant communicatorias, ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopis ejuſdem loci cura de illis agatur, & ſi cœperint contra diſciplinam agere, tunc demum a communione excludantur: idem ſervabitur de iis, qui in Republica agere volunt.* Eo canone Proconſules, Magiſtratus, Præſideſque provinciarum, qui chriſtianam Fidem profitebantur, Epiſcoporum juriſdictioni, & curæ ſubjiciebantur, quod, auctore ipſo Imperatore Conſtantino, a Patribus ſancitum fuiſſe Baronius obſervat; cum etenim ipſe Imperator Eccleſiæ legibus prompto animo pareret, Reipublicæ quoque miniſtros eidem ſubeſſe voluit,

Bar. an. 314. 56.

Digitized by Google

luit, atque utinam noſtris temporibus eamdem Eccleſiæ legibus Principes omnes, & Provinciarum Rectores venerationem haberent, ac in iis, quæ Dei cultum, animarumque ſalutem ſpectant, ſe Eccleſiæ juriſdictioni, non aliter ac plebem ipſam, ſubjectos eſſe nonnulli intelligerent. Jesu Chr. an. 314.

17. Canone ultimo hæc ſtatuunt: *De Afris, quod propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis Hæreticus venerit, interrogent eum ſymbolum, etſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus tantum ei imponatur. Quod ſi interrogatus, ſymbolum non reſponderit Trinitatem hanc, merito baptizetur.* Quo canone Afrorum errorem, Cypriani ætate receptum, de reiterando Hæreticorum baptiſmate emendarunt; ut ii tantum rebaptizarentur, in quibus Trinitas non fuerat invocata. His canonibus alii quatuordecim additi leguntur in collectione Iſidori, qui an Arelatenſibus Patribus adſcribi debeant, ignoratur: quorum ſumma hæc eſt. 1. Qui Confeſſorum litteras afferunt, placuit, ut iis ſublatis accipiant communicatorias. 2. Qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, alias non accipiant. 3. Puellæ fideles, quæ Gentilibus junguntur, aliquanto tempore a communione ſeparentur. 4. Miniſtri fœneratores a communione repellantur. 5. Qui ſacras Scripturas, vaſa Dominica, aut fratrum nomina tradidiſſe dicuntur, ſi id ex Actis publicis conſtet, non nudis verbis, ab ordine Cleri amoveantur. 6. Qui falſo crimine fratres ſuos accuſant, eos uſque ad exitum a communione repellunt. 7. Diaconi non miniſtrent in pluribus locis. 8. Ubicumque quis fuerit a communione excluſus, ibidem reſtituatur. 9. Nullus Epiſcopus alium Epiſcopum inculcet, ſeu conculcet. 10. Diaconi Urbici honorem presbyteris reſervent. 11. Peregrinis Epiſcopis permittatur, ut offerant. 12. Presbyteri, & Diaconi ad alias Eccleſias non tranſeant; ſed in ea, in qua ordinati ſunt, miniſtrent: ſi aliter fecerint, deponantur. 13. Qui apoſtatant, & nunquam ad Eccleſiam redeunt, niſi urgente infirmitate, placuit, eis non dandam communionem, niſi revelaverint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ. Hactenus de Canonibus in ſynodo Arelatenſi.

Hæreticorum baptiſma iterari vetitum.

Labb. tom. 1. Harduin. to. 1. pag. 265.

18. Eidem Concilio adfuiſſe Conſtantinum tradit Baronius, quod & Euſebius indicare videtur, dum Conſtantini geſta recenſens, inter cetera narrat, eum Epiſcoporum ſynodis inter-

An Conſtantinus Arelatenſi ſynodo adfuerit.

Bar. an. 314. num. 53.

JESU CHR. AN. 314. interfuiſſe : *Eccleſiæ Dei curam gerens , cum per diverſas pro-
Euſeb. vita Conſtantin. lib. 1. 44. *vincias quidem inter ſe diſſentirent , ipſe , velut communis om-
nium Epiſcopus a Deo conſtitutus , miniſtrorum Dei concilia con-
gregavit . Nec dedignatus adeſſe , & conſidere in medio illo-
rum conventu , cognitionis particeps fuit , ea , quæ ad pacem
Dei pertinent , cunctis procurans . Porro ſedebat in medio tan-
quam unus e multis . Protectores quidem , cunctoſque corporis
cuſtodes procul amovens , Dei autem timore contectus , & ami-
corum fidelium benevolentia vallatus . Cæterum quoſcumque ſa-
niori ſententiæ acquieſcere , & ad quietem , & concordiam pro-
penſos eſſe animadverterat , eos maxime probabat , palam indi-
cans unanimi omnium conſenſu ſe in primis delectari ; pertina-
ces vero , & immorigeros adverſabatur*. Quæ ſane de Donati-
ſtis adnotata fuiſſe manifeſtum eſt . Hinc capite ſequenti de
Cap. 45. eorumdem pertinacia ſubdit : *Quin etiam nonnullos , qui ad-
verſus ipſum aſperius invecti fuerant , patienter tulit , leni ac
ſedata voce eis præcipiens , ut modeſtius agerent , nec ſeditiones
excitare vellent . Ex his alii admonitiones ejus reveriti a perti-
nacia animi deſiſtebant , alios , qui ad ſanam mentem revocari
non poterant ; Deo committens relinquebat* . Auguſtinus au-
tem loco ſupracitato addit , poſt Arelatenſem ſynodum pluri-
mos , pertinacia depoſità , Cæciliano conſenſiſſe , alios vero in
ſchiſmate pertinaciter perſeveraſſe . De Donatiſtis hæc etiam
eodem [illegible]o adnotat Euſebius : *Hanc ob cauſam* (ideſt ob tan-
tam Conſtantini clementiam) , *qui in Africa ſeditionem com-
moverant , eo improbitatis proruperunt , ut abrupta quædam
facinora tentarent ; dæmone , ut videtur , ob præſentium bono-
rum copiam invidia percito , & ad gravia quædam , & atro-
cia facinora homines incitante , quo Imperatoris animum contra
ipſos accenderet ; verum nihil profecit invidia , cum Imperator
eoſdem veluti homines aut fræneticos , aut a dæmone agitatos
contempſerit* . Hanc tamen Baronii opinionem , Conſtantinum
Tillem. to. 6. pag. 708. Arelatenſi ſynodo adfuiſſe ſcribentis , eruditorum plurimi
aut impugnant , aut ſaltem incertam habent , eo quod vete-
Valeſ. de ſchiſm. Donat. cap. 9. rum nemo id tradiderit ; tum etiam quod vix credibile fiat ,
Donatiſtas ad eumdem appellare voluiſſe , quo præſente dam-
Baſnag. ann. 314. 14. nati fuerant . Inſuper cum Arelatenſis ſynodus Kal. Auguſti
Pag. ad an. 314. indicta fuerit , ut ex epiſtola Conſtantini ad Chreſtum Syracu-
ſanum Epiſcopum , & ad Ablavium Proconſulem Africæ , an
in Galiis tunc Conſtantinus eſſet , non conſtat ; in Pannonias
quip-

Jesu Chr. an. 314.

quippe propter Cibalenſe bellum a Licinio motum hoc anno tranſiiſſe indicat Idacius in Faſtis his verbis : *His Conſulibus* (ideſt Voluſiano , & Anniano) *bellum Cibalenſe fuit octavo idus Octobris*. Tandem extat Conſtantini epiſtola ad Epiſcopos Arelate congregatos , qua eoſdem ad proprias Sedes redire permittit ; ſi præſens porro ſynodo adfuiſſet , coram id , non ſcripta epiſtola indixiſſet. Quare an Conſtantinus Arelatenſi ſynodo adfuerit in incerto relinquimus , etſi ob Euſebii verba , ſuperius relata , in Baronii opinionem magis inclinet animus.

De Epiſcoporum numero , qui Arelatenſi Synodo adfuerunt.

Ado in Chron. ætate 6.

Baron. ann. 314. num. 49. Natal. Alex. ſæcul. 4. diſſert. 4. quæſt. 2.

Baſnag. ann. 314. num. 13. Pag. not. 22. ad an. 314.

Aug. contra Parmen. lib. 1. cap. 5.

Valeſ. de ſchiſm. Donat. cap. 9.

Sirmond. apud Labb. tom 1. Valeſ. ut ſupra.

19. De numero quoque Epiſcoporum , qui Arelatenſi Concilio interfuerunt , in varias opiniones diviſi ſunt ſcriptores , nam ſexcentos fuiſſe nonnulli tradidere , quod vix veriſimile eſt ; cum in Nicæna ſynodo , decennio poſt ex toto Orbe congregata , tercentum decem & octo tantum numerati ſint. Ducentos vero fuiſſe Eruditorum plurimi ſcribunt , atque Auguſtini auctoritate confirmant , qui libro contra Parmenianum hæc adnotat : *Si autem poſt dictam cauſam , prolatamque ſententiam* (in Romana ſynodo) *eum Traditorem* (ideſt Melchiadem Pontificem) *didiciſſe perhibent , uſque adeo dementes ſunt homines , ut contra Judices ducentos , apud quos victi ſunt , victis litigatoribus credant ; & tamen in his omnibus , quamvis magna temeritate , Italos , Gallos , & Hiſpanos accuſant &c.* De ſynodo tamen Romana , non vero Arelatenſi ibidem loqui Auguſtinum , ac Epiſcoporum ducentorum numerum Auguſtini textui irrepſiſſe adnotarunt editores Maurini ; in quem Auguſtini locum jam animadverterat Valeſius , quod cum ibidem de Romana ageretur ſynodo , ubi viginti Epiſcopi cum Melchiade adfuerunt , Librariorum incuria , numerali nota addita , 200. pro 20. irrepſit ; quem numerum e textu expunxerunt Maurini editores. Hinc ex Auguſtino quæſtio de numero Patrum Arelatenſium definiri non poteſt. Ex ſubſcriptionibus itaque Epiſcoporum numerum inveſtigandum nonnulli cenſent ; cumque in ſynodica epiſtola ad Silveſtrum Pontificem trigintatres Epiſcopi ſubſcripti legantur , unaque cum iis Presbyteri ſexdecim , Diaconi viginti ſex , Lectores duo , Exorciſtæ quinque , hos tantum eidem ſynodo adfuiſſe , veroſimile credunt. Quare in tanta rerum obſcuritate , ne plura divinando dicamus , contenti erimus ex epiſtola Conſtantini ad Chreſtum Syracuſanum ſcire : *Plurimos ex diverſis , ac prope infinitis locis , coactos fuiſſe , ex Africa , ex Hiſpania , Sardinia , Sicilia , Italia , Gallia :*

JESU CHR. AN. 314. lia: *ad quam Urbem ex omnibus Mundi partibus, præſertim Gallicanis*, Epiſcopos conveniſſe, ſecunda quoque Arelatenſis Synodus teſtatur; quare plures, quam in ſubſcriptionibus leguntur, adſuiſſe, certum exploratumque eſt, etſi eorum numerus inveniri non poſſit.

An Auguſtinus Concilii plenarii nomine Arelatenſem Synodum deſignaverit. *Launoj. to. 1. Baſnag. an. 314. num. 16. Pag. not. ad ann. 314. Nat. Alex. ſæc. III. diſſert. 24.*

20. De Arelatenſi ſynodo id etiam ab eruditis quæri ſolet, num ſcilicet ipſam plenarii Concilii nomine, quo de baptiſmate Hæreticorum finitam quæſtionem fuiſſe, ſæpiſſime Auguſtinus teſtatur, deſignaverit, an Nicænam, cum ab utraque ſynodo definitum fuerit, Baptiſma ab Hæreticis in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis collatum validum eſſe. Launojus, Baſnagius, aliique, plenarii Concilii nomine Arelatenſem ſynodum deſignatam fuiſſe ſcribunt; alii econtra Nicænam ab Auguſtino indicatam aſſerunt: & quidem verius, ut nobis videtur, nam de Nicæna ſynodo apprime conſtat plenariam ex toto Orbe congregatam fuiſſe; Arelatenſis vero, etſi ex totius fere Occidentis regionibus collecta fuerit, nullus tamen ex Orientis Provinciis Epiſcopus adfuit; quare plenarii Concilii titulo eam denotaſſe Auguſtinum, incertum omnino, ac vix credibile videtur: de quibus plura apud Launojum, & Natalem Alexandrum videri poſſunt.

Conſtantini epiſtola ad Epiſcopos Donatiſtas. *Auguſt. epiſt. 88.*

21. Arelatenſi ſynodo abſoluta, Donatiſtarum *multi vana, & diabolica perverſitate damnata, cum Cæciliano in concordiam redierunt*, ait Auguſtinus. *Alii pertinaciſſimi, ac litigioſiſſimi ad eumdem Imperatorem appellaverunt*; quorum perfidia Conſtantini animum adeo commovit, ut extrema minatus ſit, ni quamprimum reſipiſcerent, & Epiſcopos Donatiſtas in Africam redire prohibuit, hac ad eoſdem data epiſtola: *Ante paucos quidem dies juxta poſtulatum veſtrum hoc mihi placuerat, ut in Africam reverteremini, ut illic omni cauſa, quæ vobis adverſus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis, quos elegiſſem, cognoſceretur, atque finem debitum reciperet. Verum diu mihi cogitanti, & in animo meo non immerito volventi, id potiſſimum viſum eſt, ut, quoniam ſcio quoſdam ex veſtris turbulentos ſatis, & obſtinato animo rectum judicium, & integræ veritatis rationem minime reſpicere, ac per hoc venire forſitan, ut ſi ibidem cognoſcatur, non ut condecet, & veritatis ratio expoſtulat, res finem accipiat, atque aliquid tale eveniat nimia veſtra obſtinatione, quod & Divinitati cœleſti diſpliceat, & exiſtimationis meæ, quam ſemper inli-*

Auguſt. to. 9. opp. cap. 25.

inlibatam cupio perſeverare, plurimum impediat; placuit mihi, ſicut dixi, ut Cæcilianus juxta prius tractatum huc potius veniat, quem credo juxta litteras meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis, quod ſi præſente ipſo, de uno tantum crimine, vel facinore ejus per voſmetipſos aliquid probaveritis, id apud me ſit, ac ſi univerſa, quæ ei intenditis, probata eſſe videantur. Deus omnipotens perpetuam tribuat ſecuritatem. Hactenus ad Donatiſtas Conſtantinus Imperator. Cumque periculum eſſet, ne ſpreta Imperatoris voluntate furtim judicio ſe ſubducerent, atque in Africam ad ciendas turbas properarent, miſſis e palatio militibus eoſdem vi etiam detineri juſſit.

22. Interea Epiſcopos Arelate adhuc agentes epiſtola ſua rogavit, ut modico adhuc tempore patienter ferrent, ſi forte ad meliora conſilia Donatiſtæ rediissent. *Æterna & Religioſa incomprehenſibilis pietas Dei noſtri nequaquam permittit, humanam conditionem diutius in tenebris aberrare*: quod ex beneficiis ſibi collatis præcipue confirmat. De Donatiſtarum converſione deinde: *Gaudeo igitur, equidem ſpecialiter gaudeo, quod tandem habita juſtiſſima dijudicatione, eos ad meliorem ſpem, fortunamque revocaſtis, quos malignitas diaboli videbatur a præclariſſima luce legis Catholicæ miſerabili ſua perſuaſione evertiſſe.* Et poſt pauca, de ceterorum obſtinata perfidia: *Et hoc quidem, ſanctiſſimi Fratres, ſperabam etiam in eis, quibus ingenita eſt maxima durities animi, poſſe reprehendi. Sed non profuit apud eos recta dijudicatio, neque in eorum ſenſus ingreſſa eſt Divinitas propitia.* Et poſt aliqua, iterum: *Quotiens a me jam ipſo improbiſſimis aditionibus ſunt condigna reſponſione oppreſſi? Qui utique ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minime hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum judicium poſtulant, qui ipſe judicium Chriſti expecto .... Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia, ut vere dixiſti, diaboli? Perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Quare, ut eos patienter ferant, hortatur, ac turbulentiores ex iis ad ſe ſub cuſtodia perducendos juſſiſſe, pluribus narrat. Hanc epiſtolam ad Catholicos Epiſcopos, ſicuti & alteram ad Donatiſtas, Baronius, Pagius, aliique anno elapſo, poſt Romanam ſynodum, ſcriptas fuiſſe tradunt, eo quod in ea legantur, quæ Optatus, Conſtantinum ad Donatiſtas dixiſſe, refert, ideſt, *O rabida furoris audacia! ſicuti in cauſis Gentium fieri ſolet,* appel-

Conſtantini epiſtola ad Epiſcopos Catholicos, ut ad propria redire poſſent.

Auguſt. epiſt. 88.

Bar. an. 313. num. 31. Pag. 314. not. 14.

Jesu Chr. an. 314.

Valeſ. de ſchiſm. Donat. apud Euſeb. tom. 3.

appellationem interpoſuerunt. Et iterum: *Meum judicium poſtulant, qui ipſe Chriſti judicium expecto*. Nil tamen obſtat, eadem, quæ Donatiſtis dixerat anno proximo, labenti quoque ſcripſiſſe. Cumque nulla ſpes ſupereſſet, Donatiſtas ad meliora conſilia reverſuros, Catholicis Epiſcopis, ut ad ſuas redirent ſedes, licentiam dedit, ſicuti epiſtola ſua promiſerat. Poſt hæc, etſi Donatiſtarum appellationem deteſtatus fuerit Imperator, ac Epiſcoporum judicium non aliter, ac Dei habendum eſſe cenſeret, ut in epiſtola ad Epiſcopos catholicos narrat, nihilominus, repetitis Donatiſtarum interpellationibus, ac querelis fatigatus, tandem, licet invitus, eamdem cauſam retractare decrevit, quod Mediolani tandem uno, aut altero ab hinc anno geſtum eſt.

De Synodo Ancyrana. *Euſeb. lib. 10. 3.*

23. Extinctis Tyrannis, paceque Eccleſiis reddita: *Votivum nobis*, ait Euſebius, *ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas urbes, & Oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes, ad hæc Epiſcoporum conventus*. Inter Epiſcoporum conventus celebrior eſt Ancyranus hoc anno habitus, fortaſſe occaſione dedicationis Eccleſiæ, ibidem recens conſtructæ. Ad eam urbem Ciliciæ Metropolim convenere Epiſcopi decem & octo, ſanctitate ac doctrina commendabiles, quorum pars maxima pro Fide catholica contra Arianos decertarunt, & Nicæno Concilio ſubſcripti leguntur. Inter eos Marcellus Epiſcopus Ancyræ, ubi Synodus habita eſt, Lupus Tarſi Epiſcopus, Baſileus etiam martyrio poſtea ſub Licinio celeberrimus, Longinus Neoceſarienſis, aliique ob catholicæ Fidei zelum ab Athanaſio laudati. Hujuſmodi autem Synodo Vitalis Antiochenus, & totius Orientis Primas præfuit.

Athan. orat. 1. contra Arianos tom. 1.

Canones Synodi Ancyranæ. *Arduin. to. 1. pag. 270.*

24. Canones viginti quinque Ancyranæ ſynodi, ad Eccleſiæ diſciplinam ſartam, tectamque cuſtodiendam, inſcribuntur, quorum hæc ſumma eſt. 1. Presbyteri, qui immolaverunt, ſi poſtmodum pœnitentiam egerint, Cathedræ, & honoris quidem participes fiant; offerendi autem, aut concionandi jus non habeant. 2. Diaconi ſimiliter, qui poſt ſacrificia reluctati ſunt, honorem habeant; a miniſterio tamen abſtineant, Epiſcopis autem poteſtas relinquitur, ut juxta pœnitentiæ fervorem aliquid amplius iiſdem permittatur, ſcilicet populo inſerviendi, dicendo *Ite miſſa eſt*, aut communicaturis ſancta ſanctis, aliaque, quæ ad Diaconos, tanquam Eccleſiæ præcones, ſpectabant. 3. Qui in fuga comprehenſi, aut per

vim

vim ſacrificiis idolorum polluti ſunt, a communione removendos non eſſe cenſet; quin ſi ipſorum laudabilis fuerit vitæ ratio, ad Clericatus ordinem promoveri permittit. 4. Qui ſumptuoſa veſte apud idola pranſi ſunt, per annum inter Auditores, triennium inter Subſtratos, biennium ad Conſiſtentes relegat. 5. Qui autem lugubri veſte, & flentes ad idola conſederunt, poſt triennalem pœnitentiam ſine oblatione inter Conſiſtentes admittantur. 6. Qui timore pœnarum ſacrificaverunt, poſt ſex annos ad communionem redeant, atque uſque ad magnum diem inter Audientes ſint. Magni diei nomine Paſchæ dies denotatur; unde ante Paſcha hanc ſynodum habitam fuiſſe conſtat. Poſt magnum diem triennio proſtrationis gradum percurrant, deinde biennio inter Conſiſtentes ſint; tunc demum completo ſexennio communicent. 7. Iis, qui in feſtis Ethnicis propriis cibis uſi ſunt, ſubſtrationis biennium imperat, antequam recipiantur. 8. Illos, qui bis, terve per vim ſacrificarunt, ſeptimo anno ſuſcipit. 9. Qui non immolarunt modo, ſed fratribus quoque ſuis ſacrificandi cauſas attulerunt, decennio expleto ad Euchariſtiam admittuntur. 10. Diaconis, qui ordinationis ſuæ tempore, ſe nuptias inire velle profeſſi ſunt, ſi poſtea matrimonio jungantur, in miniſterio perſeverare permittit. 11. Deſponſatas puellas, quæ raptæ fuerunt, ſponſis reddi jubet. 12. Qui ante baptiſmum ſacrificaverunt, ablutos baptiſmate ad ordines promoveri permittit. 13. Chorepiſcopis vetat Presbyteros, Diaconoſve urbium ordinare. 14. Presbyteros, & Diaconos eſum carnium diffugientes ordine ſuo pellit. 15. Res Eccleſiæ a Presbyteris diſtractas, reſciſſo contractu, revocat, Epiſcoporum arbitrio relinquens, aut pretium recipere, aut res diſtractas recuperare. 16. Qui cum brutis inierunt, viginti annorum pœnitentia mundari jubet. 17. Ad Hyemantes quoque eos relegat, qui cum brutis coeuntes leproſi evaſerunt. 18. Eos, qui ad Epiſcopatum cum promoventur, a Parochia rejecti aliorum Diœceſes invadunt, ordine movet. 19. Bigamis eos inſerit, qui promiſſam virginitatem violant, & Agapetarum conſortia prohibet. 20. Adulteros poſt ſeptennium ad Euchariſtiam admittit, obſervatis gradibus, qui ad eam deducunt. 21. Mulieribus, quæ partus ſuos ex fornicatione ſuſceptos extinguunt, decennii pœnitentiam imponit. 22. Homicidis imminente morte Euchariſtiam concedit. 23. Involuntariis cædibus quinquennii pœnitentia impo-

 nitur,

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 314.

nitur, quæ prius ad ſeptennium extendebatur. 24. Tres annos ſubſtrationis, & duos orationis illis injungit, qui divinationibus utuntur. 25. Et ultimo canone de peculiari caſu agitur. Quidam poſt inita ſponſalia, cum ſorore ſponſæ copulam habuit; poſt nuptias, uxoris ſoror, quæ ex præcedenti copula gravida evaſerat, laqueo ſe ſuſpendit; decernunt Patres, ut decennali pœnitentia ſubjiciantur, quotquot ſceleris participes fuerunt. Sed de his hactenus.

De Synodo Neoceſarienſi, ejuſque Canonibus.

25. Ancyranæ ſynodi Neoceſarienſem addimus, cui Epiſcopi tredecim convenere, ex his plurimi, qui Ancyranæ ſynodo ſubſcripſerant. Inter eos Vitalis Antiochenus utriuſque ſynodi præſes, Baſilius, ſeu Baſileus Amaſeæ, Leontius Cæſareæ Cappadociæ, Germanus Neapoli Palæſtinæ, aliique in utraque ſynodo ſubſcripti, ut ibidem videre eſt. Canones quatuordecim, aut quindecim, prout varie diſtinguuntur, hæc ſynodus edidit, quorum. 1. Presbyteros, qui uxores duxerint, officio privat; ſi fornicati fuerint, ad pœnitentiæ luctum redigit. 2. Mulierem, quæ duobus fratribus nupſit, abjicit uſque ad mortem; in exitu tamen, ſi ſolvere matrimonium pollicetur, concedit pœnitentiam. 3. Bigamis præſtitutum canonibus pœnitentiæ tempus contrahi permittit. 4. Mulieris cupidum, cujus deſiderium ad flagitium non venerit, gratia fuiſſe liberatum tradit. 5. Catechumenum in Dominico genua flectentem, ſi peccaverit, ad Audientes relegat; longius extrudit, ſi in flagitio perſeveraverit. 6. Gravidam Catechumenam baptizari jubet, quando voluerit. 7. Presbyteros vetat Bigamorum nubentium adeſſe convivio. 8. Virum adulteræ repellit ab ordinibus; ſi vero uxor ejus poſt ordinationem ſcortetur, illam dimitti jubet; ſi retinet, movet officio. 9. Presbyterum, qui ante promotionem fornicatus eſt, offerre prohibet, aliis officiis defungi permittit. 10. Eadem de Diacono, qui ante ordinationem in fornicationem inciderat, ac de Presbytero conſtituit. 11. Negat Presbyterum ante trigeſimum ætatis annum eſſe ordinandum, quia anno xxx. Chriſtus docere cœpit. 12. Laicum, qui ægrotans baptizatus eſt, ad ordines promoveri vetat, quia fides ejus ex neceſſitate deſcendit; admitti tamen poteſt propter pietatem ejus, atque hominum raritatem. 13. Presbyteris ruralibus facultatem adimit in Dominico offerre, præſente Epiſcopo, & urbis Presbyteris. 14. Chorepiſcopis, qui ad exemplum *ſeptuaginta* videntur

tur

Digitized by Google

tur eſſe creati, offerre concedit, utpote honorandis propter ſtudium in pauperes. 15. Septenario numero, in majoribus etiam urbibus Diaconos includit, ad exemplum Apoſtolorum.

Vitalis Antiocheni Epiſcopi obitus, cui Philogonius ſuccedit.

Theodoret. hiſt. lib. 1. 3.

26. Ancyranæ Neoceſariæque ſynodis Vitalem Antiochenum præfuiſſe diximus, quem non multo poſt obiiſſe ex eo ſcimus, quod Licinio imperante Antiochenam Eccleſiam Philogonius Vitalis ſucceſſor adminiſtraverat, de quibus hæc Theodoretus: *Huic* (ideſt Vitali) *ſucceſſit Philogonius, qui temporibus Licinii Imperatoris ſingulare ſtudium in veræ pietatis defenſione declaravit, & quæ videbantur deeſſe Eccleſiæ illius ædificio, quam inchoaverat præceſſor ejus Vitalis, ſua opera adjicienda curavit*. De Philogonii ordinatione, & geſtis multa habet Chryſoſtomus in oratione, quam in ejus laudem die natali ejuſdem Antiochiæ recitavit: de cujus geſtis infra ſuo loco opportunius ſermo fiet.

Chryſoſt. hom. 1. tom. 1.

De bello Conſtantini cum Licinio, eorumque reconciliatione.

Pag. not. 6. ad an. 316.

Baſnag. 314. num. 1.

Murat. ann. 314.

27. De rebus Imperii nunc pauca ſubdimus. Momentanea fere fuerunt pacis, & amicitiæ fœdera Conſtantinum inter & Licinium hoc anno inita, ac Conſtantiæ nuptiis firmata; nam, teſte Idacio, *his Conſulibus* (ideſt Aniano, & Voluſiano) *Bellum Cibalenſe fuit die* VII. *iduum Octob.*; idemque teſtatur his verbis Zoſimus: *Devoluto ad Conſtantinum, & Licinium Imperio, cum perexiguum temporis effluxiſſet, exorta ſunt inter eos diſſidia*. Sed & Anonymus Valeſii, mentione de nuptiis Conſtantiæ cum Licinio initis habita, ſubdit: *Poſt aliquantum temporis facta concordia eſt*, quæ nec per annum integrum perduravit; unde hoc bellum uſque ad annos 316. & 317. cum Baronio, aliiſque differre non poſſumus. De belli cauſa Auctores diſſident. Zoſimus, & Victor, utpote Gentiles, & in Conſtantinum ob chriſtianam Fidem ab eo ſuſceptam malevoli, eum bello cauſam dediſſe narrant, quod pacta violaverit. Anonymus Valeſii Licinium belli auctorem dicit; ac morum diſcrepantiam in cauſa fuiſſe, cur inter eos pax non perduraverit, adnotat Victor. Quæcumque tamen belli cauſa fuerit, victoria apud Conſtantinum ſtetit; cumque diu acriterque Cibali in Pannonia pugnatum eſſet, Licinius in fugam verſus eſt, ac Adrianopolim ſe recipiens, reparatis viribus, cum iterum belli exitum tentaverit, iterum pulſus, profligatuſque eſt; quare, miſſa legatione, cum Conſtantino de reſtauranda ſocietate egit, quæ inter eos ea conditione ſancita eſt, ut Conſtantinus Illyriis, & ceteris nationibus, quæ ulterius ſunt,

 impe-

Jesu Chr. an. 315.

imperaret ; Licinius Thraciam , & Orientem teneret . De renovato poſt aliquos annos inter utrumque bello , quo tandem Imperium , & vitam Licinius amiſit , dicemus inferius .

JESU CHRISTI an. 315. Sylvestri Papæ 2.
Constantini Imp. 9. Licinii Imp. 9.
Coss. Constantino Aug. VI. , et Licinio Aug. 4.
Olymp. 273. an. 3. Urbis an. 1068.

Conſtantini Imp. in pauperes liberalitas.
Euſeb. vita Conſtantin. lib. 1. 43.

1. Quam promptus , & liberalis in ſubditorum neceſſitatibus ſublevandis eſſet Conſtantinus , his verbis indicat Euſebius : *Quemadmodum Sol ſupra Terram exoriens lucis ſuæ radios cunctis liberaliter impertit , ſic plane Conſtantinus primo diluculo procedens ex palatio , ac cum cæleſti Solis jubare quodammodo exoriens cunctis adeuntibus beneficentiæ ſuæ radios impertiebat , nec ullus unquam ad illum propius acceſſit , qui fructum alicujus beneficii non retulerit , nec ſpe ſua unquam fruſtrati ſunt , qui ab ipſo aliquid auxilii expectaſſent* . Multa etiam in pauperes , in viduas præcipue , ac virgines contuliſſe , ibidem tradit ; honeſtiores etiam , qui adverſam fortunam paſſi in paupertatem inciderant , regio animo ſublevavit , agris , dignitatibuſque collatis .

Conſtantini reſcriptum , quo filiis pauperum alimenta ex Fiſco tribuit.
Cod. Theod. de alim. lib. 1.

2. Conſtantinianæ munificentiæ exemplum extat in reſcripto ad Ablavium hoc anno in hæc verba : *Conſtantinus Aug. ad Ablavium Æneis tabulis , vel cerruſatis , aut linteis mappis ſcript. per omnes civitates Italiæ proponatur Lex , quæ parentum manus a parricidio arceat , votumque vertat in melius , officiumque tuum hæc cura perſtringat , ut ſi quis parens afferat ſobolem , quam præ paupertate educare non poſſit , nec in alimentis , nec in veſte impertienda tardetur , cum educatio naſcentis infantiæ moras ferre non poſſit , ad quam rem & Fiſcum noſtrum , & rem privatam indiſcretam juſſimus præbere obſequia . Data III. idus Maii Naiſſo Conſtantino VI. , & Licinio IV. AA. Coſſ.* , ideſt hoc anno . Cumque ea lege infantibus in Italia natis tantum proſpexerit , aliquot poſt annos eamdem liberalitatem in eos etiam , qui in Africa eſſent , extendit , reſcripto ad Menandrum dato ; ceteris vero per Orbem Romanum provinciis infantum educationi , & vitæ conſuluit , data parentibus poteſtate , ut liberos potius diſtraherent ; ita tamen , ut redimere poſſent , aut dato pretio , aut pro filio altero

De parentibus , qui filios diſtraxerunt .
Cod. lib. 4. tit. 43.

Digitized by Google

tero dato mancipio: *Imp. Conſtantinus Aug. Provincialibus. Si quis propter nimiam paupertatem, egeſtatemque victus cauſa, filium, filiamque ſanguinolentus vendiderit, venditione in hoc tantummodo caſu valente, emptor obtinendi ejus ſervitii habeat facultatem; liceat autem ipſi, qui vendidit, vel qui alienatus eſt, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere, modo ſi aut pretium offerat, aut mancipium pro ejuſmodi præſtet.*

Jesu Chr. an. 315.

3. Hoc quoque anno, Conſtantino, & Licinio IV. Coſſ., legem Chriſtiano Principe dignam edidit, ne ſcilicet in poſterum in fronte rei notarentur, ac undecimo Kal. Aprilis Cabilluno, ſeu Cibali in Pannonia dedit his verbis: *Si quis in ludum* (Gladiatorium ſcilicet) *fuerit, vel in metallum pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minime in ejus facie ſcribatur, dum & in manibus, & in ſuris poſſit pœna damnationis una ſcriptione comprehendi, quo facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis eſt figurata, minime maculetur.*

Aliæ leges Conſtantini.

Cod. Juſtin. de pœn. lib. 9. tit. 47. leg. 17.

4. Alio autem reſcripto ad Evagrium hoc anno dato Judæorum perfidiam coercendam cenſuit. Cum enim in dies Eccleſia illuſtrior redderetur, Judæorum plurimi, abjurata perfidia, Chriſto nomen dabant, quos Judæi multis modis vexabant, quod ne ultra a Judæis fieret, Conſtantinus cavit: *Judæis, & majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari, quod ſi quis poſt hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, ſaxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, auſus fuerit adtentare, mox flammis dedendus eſt, & cum omnibus ſuis participibus concremandus. Si quis vero ex populo ad eorum nefariam ſectam acceſſerit, & conciliabulis eorum ſe applicaverit cum ipſis pœnas meritas ſuſtinebit. Data XI. Kal. Novemb. Murgillo Conſtantino Aug. VI., & Licinio Aug. IIII.* id eſt hoc anno.

Conſtantinus Judæorum perfidiam coercet.

Cod. Theod. de Judæis lib. 16. tit. 8. leg. 1. in Cod. lib. 1. tit. 9. leg. 3.

5. Hujus condendæ legis adverſus Judæos auctorem fuiſſe Joſephum Comitem ex judæo chriſtianum, non immerito ſuſpicantur eruditorum aliqui, aut ſaltem ejus occaſione eamdem legem iterum vulgatam fuiſſe, tradit Baronius. Cumque in incerto ſit, quo anno Imperii Conſtantini Joſephus, relicta Judæorum perfidia, Chriſto nomen dederit, hoc loco admirabilem ejuſdem converſionem Annalibus inſerimus; quam Epiphanius, utpote ex Joſephi ore auditam, ita commemorat: *Erat ex Ju-*

Joſeph Comes ex judæo chriſtianus.

Bar. 327. 25.

Epiph. hær. 30.

JESU CHR. AN. 315.

Judæis quidam Joſeph , qui temporibus Conſtantini Imperatoris vixit , & ab ipſo Imperatore Comitum dignitatem aſſequutus eſt , & poteſtatem accepit ædificandi Eccleſiam Chriſto in eadem Tiberiade , (unde originem ducebat Joſeph) *& in Diocæſarea , & in Capharnaum , & aliis civitatibus , qui & multa paſſus eſt ab ipſis Judæis , priuſquam Imperatori manifeſtaretur . Hic Joſephus inter præſtantes dignitate viros apud ipſos connumeratus erat . Sunt autem hi poſt Patriarcham Apoſtoli appellati , aſſidentque Patriarchæ , & cum ipſo ſæpe aſſident die , ac nocte conſulendi gratia , & referunt ad ipſum ea , quæ ſunt in Lege* . De Patriarcha , & Apoſtolis Judæorum mentio ſæpe apud antiquos occurrit , ſicut & Presbyterorum , & Archiſynagogorum : *Superſtitionis indignæ eſt* , ait Honorius in lege anno 399. promulgata , *ut Archiſynagogi , ſive Presbyteri Judæorum , vel quos ipſi Apoſtolos vocant , qui ad exigendum aurum , atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur , a ſingulis ſynagogis exactam ſummam ad eumdem reportent* . Eamdemque auri exactionem a Patriarcha Judæorum in poſterum fieri , Imperatores Theodoſius , & Valentinianus lege lata anno 429. prohibuerunt . Apoſtolorum quoque Judæorum meminit Hieronymus . Apoſtoli porro honorem inter Judæos obtinuerat Joſephus , ut ex ejuſdem hiſtoria ſcimus , quam proſequitur Epiphanius his verbis : *Illo tempore Patriarcha erat , nomine Hellel ex genere Gamalielis , qui apud ipſos Patriarcha fuit . Cum autem morti vicinus eſſet Hellel , cupivit Epiſcopum vicinum urbi Tiberiadi ad ſe venire , & accepit ab ipſo ſacrum lavacrum in exceſſu per medicæ curationis prætextum ; ipſum [illegible] per prædictum Joſephum accerſivit , & omnibus a ſe remotis , Epiſcopum rogavit dicens : Largire mihi ſignaculum in Chriſto* . Epiſcopus itaque accerſitis miniſtris , ad baptiſmum neceſſaria parari juſſit , cumque omnes a ſe removiſſet , ſacrum lavacrum , & ſancta Myſteria Patriarchæ contulit , qui paulo poſt in Chriſto renatus occubuit , ut pluribus Joſephus Epiphanio narravit , cum is Schythopolim pertranſiens , apud eum hoſpitaretur . Dum hæc autem fierent , per januæ rimas introſpiciens Joſephus , rem attente conſideravit , menteque repoſuit , cum etiam curationis cauſa , Patriarcham per dies aliquot , uſque ad obitum , Epiſcopus remotis arbitris conveniret , ut in ſuſcepta fide eum confirmaret .

Cod. Theodoſ. tit. 6. & Cod. lib. 1. tit. 9. de Judæis leg. 17.

Hier. in epiſt. ad Galat. ſub initio.

Hellel Judæorum Patriarcha moriens baptizatur.

Epiph. hær. 30.

Evangelia, & Acta Apoſtolorum invenit Joſephus in Gazophilacio.

6. Cumque Joſepho moriens Patriarcha filium ſuum adhuc

huc puerum commendaſſet, ac frequenter tutelæ cauſa Patriarchæ domum Joſephus frequentaret, ob id quod Patriarchæ morienti acciderat, Joſephi animus vexabatur, ac quid ageret, ignorabat. Erat autem in domo Patriarchæ quidam Gazophylacius, de quo cum multi multa dicerent, Joſephus clandeſtine aperuit, & pecunias quidem nullas in eo invenit; ſed tantum libros, pecuniis præſtantiores, Evangelium ſcilicet ſecundum Joannem, de Græca lingua in Hebræam translatum, & Acta Apoſtolorum, quin & Evangelium ſecundum Matthæum, iiſque repertis & lectis, Chriſtianum obiiſſe Patriarcham, certiſſime didicit; quare tum librorum lectione, cum Patriarchæ exemplo, duobus tanquam ſtimulis exagitatus, de ſuſcipienda chriſtiana Fide cogitare cœpit. Interea accidit, ut novo portento chriſtianæ Fidei veritatem, Crucisque potentiam Joſephus agnoſceret; nam Patriarchæ filius nomine Helliel grandior factus, cum Chriſtianam mulierem adamaſſet; ut ſui copiam faceret, neque promiſſis aut donis, vel etiam magicis incantationibus perſuadere unquam potuit; quippe quæ ſolo Crucis ſigno munita, omnes Diaboli artes ſuperabat: quæ etſi Joſepho notiſſima eſſent, ac Crucis vim admiraretur; præjudiciis nihilominus inſerviens, Judæus perſeverabat.

Per plures Christi apparitiones Joſephus ad fidem vocatur.

7. Tandem ut Judæi pervicaciam vinceret Chriſtus, in ſomno illi apparuit, dicens: *Ego ſum Jeſus, quem parentes tui crucifixerunt; verum crede in me*. Ille vero necdum perſuaſus gravem in morbum & deſperatum incidit. Cui iterum apparens Chriſtus juſſit, ut in ipſum credens, ſanitatem recuperaret. At ille, promiſſione facta, rurſus reſiliit, *iri* in duritia permanſit. Recidit autem ſecundo in morbum, cumque iterum deſperatus, relictuſque velut moriturus a cognatis ſuis eſſet; ad aures ſuas hæc ſibi verba inſuſurrantem quemdam audivit: *Crede in Jeſum crucifixum ſub Pontio Pilato Præſide, qui Filius eſt Dei, & ex Maria poſtea natus eſt, & Chriſtus Dei eſt, & ex mortuis reſurrexit; nam ipſe veniet judicare vivos, & mortuos*. Quod cum ſemel & iterum factum eſſet; ſilice tamen durior Joſephus, poſtquam ab infirmitate convaluiſſet, Chriſto nequaquam credidit. Quare ipſi rurſus Dominus apparens per ſomnium, ac cur hactenus non crediſſet objurgans, ut de chriſtianæ Religionis veritate experimentum faceret, hortatus eſt, addens: *In Fidei certitudinem, ſi quod*

Jesu Chr. An. 315.

ſi quod volueris ſignum divinum in nomine meo operari, invoca me, & ego faciam.

Joſephus Chriſti nomine invocato Dæmonem ejicit

8. Cumque inſanus quidam nudus per Tiberiadem circuiret, eo vocato, Joſephus viſionis veritatem experiri voluit. Eum itaque in domum ſuam ductum, præcluſis foribus, acceptaque aqua, eaque Crucis ſignaculo luſtrata, inſanum hominem reſperſit, ac dixit: In nomine Jeſu Nazareni Crucifixi egredere Dæmonium ab ipſo, & ſanus fiat. Homo vero, magno clamore edito, in humum prolapſus, & multa ſpuma ab ore demiſſa lancinatus, diu veluti exanimis permanſit. Nec mirum hæc Joſephum tentaſſe, cum teſtentur Acta Apoſtolorum, eadem actitata a filiis Scævæ Principis Sacerdotum; iis tamen haud ita feliciter, ut Joſepho, res accidit. Nam qui mortuus pene putabatur, paulo poſt perfricta facie ſurrexit, & nuditatem ſuam conſpicatus ſeipſum occultavit, & manus pudendis prætendit, non amplius ſuſtinens propriam nuditatem videre. Quare amiculo a Joſepho indutus, ſanus mente & corpore Deo gratias agens, in domum ſuam rediit, ſalutem ſibi Joſephi orationibus redditam cunctis enarrans: quod ubi Tiberiade vulgatum eſſet, cum multi portenti evidentia commoti plura dixiſſent, Tiberienſes Judæi, rei geſtæ cauſam ignorantes, Joſephum Patriarchæ Gazophylacium aperuiſſe ajebant, ac Dei nomine reperto, quod apud eos ineffabile erat, ejus virtute hujuſmodi ſigna perpetrare. At Joſephus, etſi Crucis vim re ipſa didiciſſet, obduratus tamen corde, in Judaica perſeverabat ſuperſtitione. Interea Apoſtoli Judæorum officio perfungens, cum in quamdam Ciliciæ urbem perveniſſet, cum Epiſcopo loci amicitiam iniit, ab eoque Chriſti tandem Evangelia petiit, quorum lectione cum delectaretur, Judæorum invidiam ſubiit, eorum præcipue, quos officio ſuo (ſynagogas tanquam Apoſtolus a Patriarcha deſtinatus viſitans) dimoverat; qui ulciſci in ipſum conantes, diligenter obſervare, &, quæ ab ipſo fierent, inveſtigare ſtudebant. Quam ob cauſam curioſiores acervatim in domum ejus irruentes, cum Evangelia legentem deprehenderent, idcirco in furorem acti, eum rapiunt, & non vulg. impetus decentes ipſi inferentes, in Synagogam perductum flagris [illegible] ad [illegible] etiam occidiſſent, niſi eum loci Epiſcopus ab [illegible] manibus eripuiſſet. Nihilominus cum paulo poſt eumdem in itinere deprehendiſſent, in Cydnum Ciliciæ flumen projecerunt. Inde tamen Chriſto adjuvante ereptus, tandem chriſtia-

Acta Apoſt. cap. 19. 14.

ſtianam Fidem, ſuſcepto baptiſmate, profeſſus eſt, ut pluribus narrat Epiphanius, hæc ab eodem Joſepho, ut ſuperius adnotavimus, ſibi tradita fuiſſe addens.

9. Poſtquam vero Chriſtianæ militiæ Joſephus nomen dedit, Conſtantinum Imp. adiit; cui cum miram converſionis ſuæ hiſtoriam narraſſet, ab eoque admirabili clementia acceptus eſſet, honoribus, ac Comitis dignitate auctus eſt: ac ut Chriſto Eccleſiam Tiberiade & Diocesarea ſibi ædificare liceret, licentiam impetravit. Quamobrem cum Tiberiadem perveniſſet, ut Eccleſiam regiis conſtrueret impenſis, antiquum ibidem templum ab Hadriano Imp. inceptum invenit, quod Tiberienſes tunc temporis ad uſum publici balnei inſtaurare conabantur, hinc itaque Eccleſiæ ſtructuram incepit. Cum vero laberibus & calce ad opus perficiendum indigeret, caminos extra urbem ſeptem, ſeu fornaces paravit: at Judæi præſtigiis & incantationibus quibuſdam opus exturbare conati ſunt.

Joſephus Conſtantinum adiit.

Joſephus Eccleſias ædificat.

10. Commotus autem Joſephus, & zelo incenſus, continuo extra civitatem cucurrit, & ubi aquam in vaſe ſibi afferri juſſiſſet, accepta aqua coram omnibus (multitudo enim ingens Judæorum confluxerat ad ſpectaculum, eventum videndi cupida, & quid Joſephus facturus eſſet) *magna [illegible] Crucis ſignaculum proprio ſuo digito vaſi impoſuit, & invocato Jeſu, ſic dixit: In nomine Jeſu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumſtantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, atque magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, & ad perficiendam domum Domini. Et ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulas fornaces reſperſit; & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit. Turbæ vero præſentes, clamore edito, Unus Deus, qui auxiliatur Chriſtianis, ſeceſſerunt. Porro cum ſæpe illi viro moleſti eſſent, poſtea parte aliqua templi in Tiberiade extructa, & parva Eccleſia abſoluta, ſic illinc diſceſſit. Ad Scythopolim vero digreſſus, illic permanſit; verum in Diocesarea, & aliis quibuſdam urbibu[illegible]ecle ædificavit. Hæc autem facta a me hic relata [illegible]um interpretationis gratia, quomodo a Græca lingua [illegible]am Evangelium tranſlatum eſt; itemque Acta Apoſtolorum. Et ſic hic hujus hiſtoriæ, ac narrationis finis*, ait Epiphanius, cui gratias cum Baronio agimus, quod tam egregiam hiſtoriam tan-

Aquæ benedictæ aſperſione, & ſigno Crucis præſtigia vincuntur.

tanta fide teſtatam poſterorum memoriæ commendaverit.

Jesu Chr. an 315.

Acta Silveſtri Papæ apocrypha.

Baron. ann. 315. num. 10.

II. Ex Conſtantini autem reſcripto adverſus Judæos hoc anno edito, cujus ſupra mentionem fecimus, Acta Silveſtro Pontifici inſcripta aliquatenus comprobari tradit Baronius, quibus narratur, coram Conſtantino Imperatore, & Helena ejus matre, celeberrimam hoc anno Romæ diſputationem de Chriſtiana & Judaica religione habitam fuiſſe a Silveſtro Papa cum Judæis, coram delectis arbitriis Cratone Philoſopho, & Zenophilo viro Conſulari: in qua cum victi Judæi diſceſſiſſent, idcirco ad eorum temeritatem coercendam, eam legem tuliſſe Acta teſtantur. Ea quidem lapſu temporis ab impoſtore aliquo aucta, & interpolata fuiſſe, ibidem Baronius addit. Horum etiam Gelaſius Papa his verbis meminit: *Actus B. Sylveſtri Apoſtolicæ Sedis Præſulis, licet ejus, qui conſcripſit, nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus.* Cujuslibet tamen antiquitatis hæc ſint, inter aniles fabulas merito recenſentur. Portenti quippe ſimile eſt ſeptuaginta quinque Epiſcopos Romam conveniſſe, ut contra centum novem Judæorum Pontifices coram Conſtantino, & Helena de fide diſputarent: de quibus plura non addimus, ne cum fabulatore diu nugari videamur.

JESU CHRISTI AN. 316. SILVESTRI PAPÆ 3.
CONSTANTINI IMP. 10. LICINII IMP. 10.
[illegible]ss. FL. CEJONIO SABINO, ET RUFFINO.
OLYMP. 273. AN. 4. URBIS AN. 1069.

Conſtantini Imp. decennalia: ejus leges hoc anno datæ.

Euſeb. vit. Conſt. lib. 1. 48.

I. Labenti Chriſti anno 316., cum decimum Imperii annum attigiſſet Conſtantinus, decennalia quidem Imperii ſui celebravit; non tamen Gentilium ritu, ſed chriſtiana pietate: *Dum in hoc ſtatu eſ[illegible]*, ait Euſebius, *decimus Imperii ejus annus evolutus eſt. Cujus rei cauſa feſtis diebus per univerſum Orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione tanquam puras victimas ignis, & nidoris expertes Deo omnium Regi [illegible]lit.* Inter cetera pietatis, & religionis monumenta, [illegible] nnalia ſua Conſtantinus illuſtravit, ejuſdem reſcri, [illegible] rotogenem Sardicenſem Epiſcopum numeratur, quo cavit, ut libertas ſervis data coram Eccleſia catholica plenum ſortiretur effectum: *Jamdudum*, ſubdit, *placuit, ut in Eccleſia catholica libertatem domini ſuis famulis præſtare poſ-*

poſſint , ſi ſub aſpectu plebis , adſiſtentibus Chriſtianorum Antiſtitibus , id faciant (quorum ſcripto teſtimonio ab omnibus fides habenda erat) . *Data 6. Idus Jun. Sabino , & Ruffino Coſs.* ideſt hoc anno : quam legem anno 321. alio reſcripto ad Oſium Cordubenſem Epiſcopum dato ampliavit , ut qui coram Eccleſia catholica libertatem obtinuiſſent , plena libertate gauderent ; quinimmo & civitatis Romanæ privilegiis fruerentur : ſed & Clericis conceſſit , ut ſervis ſuis libertatem & voce , & ſcripto , & ultima voluntate dare poſſent , ut ibidem videri poteſt . Hæc Epiſcoporum inſtinctu vulgaſſe Conſtantinum exiſtimamus , ut illuſtrior Eccleſiæ catholicæ dignitas , & auctoritas redderetur , atque ad eam facilius Gentiles pertraherentur , quod ſummopere Conſtantino in votis erat .

Jesu Chr. an. 316.

Cod. Inſt. lib. 1. tit. 13. leg. 1. & 2.

2. Donatiſtarum quidem appellationem non ſine ſtomacho admiſerat Conſtantinus , ut ſupra diximus ; quapropter eorum Epiſcopos , qui ad cauſam tuendam Arelatem venerant , ad Comitatum ſuum dirigi , & invitos ſub cuſtodia detineri juſſerat , ne ante finitam illius diſcuſſionem , reſtituta [illegible] eccleſiis concordiam , ad turbas in Africa excitandas redire poſſent ; quin & Donatiſtarum pervicaciores ex Africa ad ſe perduci , datis ad Vicarium Africæ ea de cauſa epiſtolis , juſſerat : *Ceterum direxi meos homines* , ait Conſtantinus in [illegible] Catholicos Epiſcopos poſt Arelatenſem ſynodum , *qui eoſdem* [illegible] *dos deceptores religionis ad comitatum meum perducant* [illegible] *ibidem degant , ibi ſibi mortem pervideant* . Hæc minat[illegible] onſtantinus , ut facilius ſententiæ a ſe poſtmodum ferendæ acquieſcerent ; quos tamen fugam tentaſſe narrat in epiſtola ad Celſum hoc anno data : *Cum ſtatuiſſem inter ipſos , & Cæcilianum pleniſſime requirere , præſentiæ meæ ſe ſubtrahere laboraverunt &c.* Deinde in ſupracitata epiſtola ad Catholicos ſubdit : *Dedi quoque litteras competentes ad eum , qui Vicariam Præfecturam per Africam gerit , ut quotquot hujus inſaniæ ſimiles invenerit , ſtatim eos ad Comitatum meum dirigat* . Interea Liciniano bello , de quo anno 314. egimus , aliiſque curis diſtentus , uſque ad labentem annum ejuſdem cauſæ cognitionem diſtulerat , quo utriuſque partis Epiſcopos Ro[illegible]eſſe juſſit . Quia vero ſtatuta die ibidem Cæcilianus [illegible]uit , Mediolanum litigantes revocavit , ibique tota [illegible] quam deligentiſſime examinata , ſententiam tulit , qua Cæcilianum innocentem , Epiſcopos vero partis Donati calumnioſiſſimos judica-

Donatiſtarum cauſa a Conſtantino iterum cognita.

An. 314.

Aug. tom. 9. pag. 25.

JESU CHR. AN. 316. *Aug. epiſt. 43.* dicavit: *Juſſit ille*, ideſt Imperator, ait Auguſtinus, *ut ei partes, ad agendam cauſam, Romam concurrerent. Quo cum Cæcilianus, neſcio qua cauſa, non occurriſset, interpellatus ab eis, præcepit, ut Mediolanum ſequerentur. Tunc ſe aliqui eorum ſubtrahere cœperunt, fortaſse indignati, quia non eſt eos imitatus Conſtantinus, ut jam ſtatim, atque velociter Cæcilianum damnaret abſentem. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus cuſtoditos fecit Mediolanum pervenire. Quo cum etiam Cæcilianus veniſset, ipſum quoque ſicut ſcripſit exhibuit; cognitaque cauſa, qua diligentia, qua cautela, qua proviſione, ſicut ejus indicant litteræ, Cæcilianum innocentiſſimum, illos improbiſſimos judicavit.* Hæc Auguſtinus de Conſtantini ſententia contra Donatiſtas lata.

Conſtantini ſententia contra Donatiſtas lata. *Aug. brevic. collat. die 3. 19. Lib. poſt collat. cap. 33. Contra Creſcon. lib. 3. 71.* 3. Hujuſmodi quidem ſententiæ alibi etiam meminit Auguſtinus, quam in epiſtola ad Eumalium Vicarium data Imperator inſeruerat, eamque *Sabino, & Ruffino Conſulibus quarto idus Novembris* relatam fuiſſe tradit Auguſtinus in lib. Collationem *cap. 33.* ſed & in libro contra Creſconium ſententiam ipſam recitat: *Inſero adhuc*, ait Auguſtinus, *verba Conſtantini ex litteris ejus ad Eumalium Vicarium, ubi ſe inter partes cognoviſse, & innocentem Cæcilianum comperiſse, [illegible] Cum enim narraſset in his, quæ ſupra lo[illegible] eſt, quemadmodum ad judicium ejus poſt Epiſcopalia [illegible] partes perductæ fuerint. In quo pervidi, inquit, Cæcili[illegible] virum omni innocentia præditum, ac debita Religionis ſuæ officia ſervantem, eique ita ut oportet ſervientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuiſse, eidem apparuit ſicut abſenti fuerat adverſariorum ſuorum ſimulatione compoſitum.* *Aug. epiſt. 43.* Hactenus de Conſtantini ſententia Auguſtinus; in cujus cauſæ cognitione invitum fere ſe Conſtantinum immiſcuiſſe, & Donatiſtarum importunitate victum, his verbis adnotat: *Neque enim auſus eſt chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de Epiſcoporum judicio, qui Romæ ſederant, ipſe judicare; ſed alios, ut dixi, Epiſcopos dedit,* (Arelate congregatos) *a quibus tamen illi ad ipſum rurſum [illegible] torem provocare maluerunt .... atque ut eis ipſe ceſſit, u[illegible] illa cauſa poſt Epiſcopos judicaret, a ſanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus;* dum ſcilicet, quæ ignoranter, & adhuc Catechumenus geſſerat, ſuſcepto baptiſmate, retractavit; qua ſententia prolata, *Utinam*, ait Auguſtinus loco citato,

tato, *ſaltem ipſius judicio, inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent*.

Donatiſtis in Africam redeuntibus viaticum Imp. tribuit.

Aug. tom. 9. append. pag. 25. 26.

4. Quem hæc exitum habuerint, non conſtat; ſententiæ tamen a Conſtantino latæ Donatiſtas ſimulate ſaltem ſubſcripſiſſe, inde veroſimile fit, quod iis, ut in Africam redirent, non ſolum licentiam, ſed & viaticum tribuit, ut ex epiſtola Præfectorum Prætorii ad Vicarium Africæ conſtat: *Petronius Annianus, & Julianus Domitio Celſo Vicario Africæ. Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium, & Naſutium Epiſcopos, & Mammarium presbyterum, qui ſecundum præceptum Domini Conſtantini Maximi ſemper Auguſti, ad Gallias cum aliis legis ejus hominibus venerant, dignitas ejus ad lares proprios venire præcepit, angarialem his cum annonaria competentia uſque ad Arelatenſem portum ſecundum imperatum æternitatis ejuſdem clementiſſimi Principis dedimus, frater, qua inde Africam navigent, quod ſolertiam tuam litteris noſtris ſcire conveniat. Optamus, te frater bene valere. Hilarius princeps obtulit. IV. Kal. Majas Triberis*, ſeu Treviris.

Donatiſtæ in Africa iterum turbas excitant.

5. Ut in Africam vero reverſi ſunt Donat[iſt]æ, graviores quam antea turbas excitarunt, majorique in C[at]holicos furore exarſerunt: quæ ut ex Celſi relatione Conſtantinus audivit, ad eumdem reſcribens, admonuit, ut [al]iquantulum adhuc diſſimularet, atque Catholicis, & Donatiſtis denunciaret, ſe quamprimum hujuſmodi diſſidii cauſa in Africam eſſe tranſiturum, ut reos debita animadverſione puniret: *ſev[illegible]are Menalium eum, quem jamdudum ſuſceperat inſani[æ]; ceteroſque, qui a veritate Dei digreſſi, errori ſe praviſſimo dederunt, proxima etiam tuæ gravitatis ſcripta teſtata ſunt*. Quare poſt plurima ſubdit: *Mandandum gravitati tuæ duxi, ut interim quidem eoſdem omittas, & diſſimulandum ſuper ipſos eſſe cognoſcas. Verum lecta hac epiſtola tam Cæcilia[no], quam iiſdem palam facias, quod cum, favente pietate divi[na] Africam venero, pleniſſime univerſis, tam Cæciliano, quam his, qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio demonſtraturus ſum, quæ, & qualis ſummæ Divinitati ſit adhibenda veneratio, & cujuſmodi cultu delectari videantur*. Hæc, aliaque in eamdem rem ad Celſum Vicarium Africæ Conſtantinus. [illegible]on

Conſtantini ad Celſum epiſtola.

Conſtantini epiſtola ad Catholicos.

6. Ad Epiſcopos vero Catholicos, & Clerum, & populum, ut Donatiſtarum temeritatem patienti animo ferrent, his verbis reſcripſit: *Quod fides debuit quantum prudentia valuit*,

prout

JESU CHR. AN. 316.

prout puritas potuit, tentaſſe me per omnia humanitatis, & moderationis officia optime ſcitis, ut juxta magiſteria legis noſtræ pax illa ſanctiſſimæ fraternitatis, cujus gratiam Deus ſummus famulorum ſuorum pectoribus immiſcuit, ſtabilita per omnem concordiam teneretur. Sed quia vim illam ſceleris infuſi, paucorum licet ſenſibus pervicaciter inhærentem, intentionis noſtræ ratio non potuit edomare. Idcirco ut patienter factioſos ferrent, enixe hortatur, uſquedum, favente Deo, remedium hæc acciperent; verum ſi quid interea ab hujuſcemodi hominum furore pati eos contingeret, martyrii gloriam adepturos fore innuit, aliaque in eamdem rem addit, quæ ad Epiſcopum magis, quam Imperatorem Catechumenum adhuc convenire videntur. Epiſcoporum tamen inſtinctu hæc, hiſque ſimilia alias ſcripſiſſe non eſt dubitandum, quorum conſilio in iis, quæ Eccleſiam ſpectabant, utebatur, & præcipue Oſii Cordubenſis Epiſcopi, quem in comitatu, eique cariſſimum fuiſſe ſcimus.

Donatiſtæ Catholicorum Eccleſiam uſurpant.

7. Inter cetera, quæ adverſus Catholicos nefario auſu adgreſſi ſ[illegible] onatiſtæ, illud memoria dignum, dum Catholicorum Eccl[illegible] m, quam in Cirthenſi oppido, ſeu Conſtantiniana civit[illegible], ædificandam curaverat Conſtantinus, vi occuparunt, eamque reſtituere recuſarunt; quin malignis ſuggeſtionibus Decuriones, primoreſque civitatis incitarunt, ut immunitatem catholicæ Eccleſiæ Clericis ab Imperatore conceſſam revocarent. Quare cum Numidiæ Epiſcopi Imperatorem de illata ſibi [illegible] uria interpellaſſent, hanc ad eos epiſtolam dedit, qua Don[illegible] arum perfidiam deteſtatus, ad Catholicos, poſt plurima, ait: *Accepta igitur epiſtola ſapientiæ, & gravitatis veſtræ, comperi hæreticos, ſive ſchiſmaticos eam baſilicam Eccleſiæ Catholicæ, quam in Conſtantina civitate juſſeram fabricari, ſolita improbitate invadendam putaſſe, & frequenter tam a nobis, quam a Jud[illegible] ibus ex noſtra juſſione commonitos, ut redderent, quod ſuu[illegible] non erat, noluiſſe; vos autem imitatores patient[illegible] Dei ſummi, eorum malitiæ placida mente ea, quæ veſtra ſunt, relinquentes, & potius locum vobis invicem alium fiſc[illegible] m ſcilicet poſcere. Quam petitionem, more inſtituti mei, [illegible] r amplexus ſum; & ſtatim ad Rationalem competentes [illegible] ut domum bonorum noſtrorum tranſgredi faciat, cum omni jure ſuo, ad dominium Eccleſiæ Catholicæ, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus juſſi. In quo tamen loco ſumptu fiſcali Baſilicam erigi præcepi. Ad Conſularem quoque*

Conſtantini epiſtola ad Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, qua Cirthæ Eccleſiam ædificari jubet.

Aug. Append. to. 9. pag. 28.

que ſcribi mandavi Numidiæ , ut ipſe in ejuſdem Eccleſiæ fabricatione in omnibus ſanctimoniam veſtram juvaret . Lectores etiam Eccleſiæ Catholicæ , & hypodiacones , reliquos quoque , qui inſtinctu memoratorum quibuſdam pro moribus ad munera , vel ad Decurionatum vocati ſunt , juxta ſtatutum legis meæ ad nullum munus ſtatui evocandos . Sed & eos , qui ducti ſunt Hæreticorum inſtinctu , juſſimus protinus moleſtis perfunctionibus abſolvi . De cetero etiam legem meam ſuper Eccleſiaſticos Catholicos datam cuſtodiri mandavi . Hæc Conſtantinus , quibus & alia in Schiſmaticorum deteſtationem inſerit , quæ brevitatis gratia omittimus . Hæc autem adverſus Catholicos , Sylvani Conſtantienſis Epiſcopi factione , inter Donatiſtas celeberrimi , tentata fuiſſe veroſimile eſt , qui cum Catholicos diu vexaviſſet , debitas tandem pœnas perfidiæ dedit , ut anno 320. , aut 321. videbimus .

Valeſ. de ſchiſm. Donat. cap. 15. Append. ad tom. 9. Aug. cap. 27.

8. Donatiſtarum temeritatem invicta hactenus clementia Conſtantinus tulerat , qua cum iis abuterentur , ac Catholicis moleſtiam inferre non ceſſarent , tandem adverſus eos legum ſeveritate agere coactus eſt . Quorum aliquos exilio mulctavit , & loca , ubi congregari conſueverant , Fiſco adjecit . Quin ſi Parmeniano Donatiſtæ fides habenda : *eos ad campum* (ideſt ad ſupplicium) *duci juſſit , Hiſpano Oſio* , ut ille ajebat , *ſuggerente* . De pœna quidem capitis in eos lata non conſtat . *Severiſſimam legem dedit* , ait Auguſtinus , *& adverſus errorem multa conſtituit , & eis baſilicas juſſit auferri . Præcepitque , ut loca congregationum ipſorum fiſco vindicarentur* . Exilio vero aliquos tunc temporis mulctaſſe inde patet , quod anno 321. Imperator eoſdem ab exilio liberos dimitti juſſit , teſte Auguſtino in libro poſt collationem ad Donatiſtas ſcripto , quo geſtorum ſeriem per Conſules , & annos exponit : *Sicut ergo Conſulum ordo declarat , primo Cæcilianus Epiſcopali judicio Melchiadis eſt abſolutus , deinde non poſt multum tempus Felicem Proconſulari judicio conſtat innocentem , & ſic poſtea Cæcilianus etiam ab Imperatore inter partes cognoſcente purgatus eſt . Deinde poſt quatuor annos adverſarii ejus ignominioſa illa indulgentia relaxati ſunt* . Nam Melchiades judicavit , Conſtantino ter , & Licinio iterum Conſulibus ſexto nonas Octob. (anno ſcilicet 313.) . Ælianus Proconſul cauſam Felicis audivit , Voluſiano , & Anniano Coſs. quinto decimo Kal. Martias , ideſt poſt menſes fere quatuor , An-

Conſtantini leges adverſus Donatiſtas.

Auguſt. epiſt. 105. num. 9. epiſt. 82. lib. 2. contra Petil. cap. 92.

Aug. lib. poſt collat. cap. 33.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 316.

Anno 314. Conſtantinus ad Eumalium Vicarium de purgatione Cæciliani ſcripſit, Sabino, & Ruffino Coſs. quarto idus Novemb. ideſt poſt biennium, & menſes prope octo, hoc ſcilicet anno. Tandem Imperator ad Valerium Vicarium de illorum exilio ſolvendo, & eorum furore, Deo vindice, dimittendo, litteras dedit, Criſpo, & Conſtantino iterum Conſulibus tertio nonas Majas, ideſt poſt quartum annum, & menſem fere ſextum, ut narrat Auguſtinus de geſtis in Donatiſtarum cauſa uſque ad annum 321.: unde conſtat hoc anno in eoſdem exilii pœnam ſtatutam fuiſſe. Sed de his hactenus: cetera ſequenti tomo reſervamus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

ACHileus Ægypti tyrannus a Diocletiano occiſus. 192. 1.
Achillæ Presbyteri Alex. pietas, & doctrina. 177. 3. Illius elogium, & quo tempore floruerit. *ibid.* Petro Alex. in Epiſcopatu ſuccedit. 323. 15. Cui Alexander paulo poſt ſubrogatur. *ibid.*
Ædeſius Appiani frater martyrio coronatur. 265. 18.
Ægyptii Martyres variis tormentorum generibus necati. 213. 12.
Ægyptus Gallieno ſubditur. 83. 2. Civili bello ſcinditur. 90. 4. Ejus imperium ab Æmiliano uſurpatur. *ibid.* 5.
Æmilianus Imp. creatus, ſucceſſorem habuit Valerianum 27. 12. *& ſeq.*
Æra Diocletianea, ſeu Martyrum quando inceperit. 162. 3.
Afra ex meretrice Martyr evadit. 249. 36. Cui Hilaria, Digna, Eunomia, & Eutropia ſociantur. *ibid.*
Agapes, Chioniæ, & Irenes martyrium. 245. 31.
Agapius Martyr de propinquo certamine per viſum admonitus. 68. [illegible]
Agapius alter Cæſareæ beſtiis objectus. 28[illegible]. 9.
Agaunenſe[illegible], corumque focii. [illegible] *& ſeqq.*
Agnes Virg. & Mart. omnium gentium litteris, & linguis celebris. 149. [illegible]
Agricola cum V[illegible]ali [illegible] affixi occumbunt. [illegible]69. 2[illegible]
Albanus in Britanni[illegible] M[illegible]r. 250. 38.
Alexander, in Africa Imper. uſurpato, illud quadriennio obtinet. 293. 9. Ejus interitus. 326. 20.
Alexandrini Martyres. 65. 14. Cives c[illegible]bus affecti ab Euſebio, & Anatolio ſublevantur. 91. [illegible] *& ſeq.*
Alphæi, & [illegible]hæi pro[illegible] certamen. 2[illegible]. 7.
Alutæ nomine quid intelligatur. 354. 15.
Anatolii, & Euſebii piet[illegible] Alexandrinos. 91. 6. *& ſeq.*

Andronici Acta vindicantur. 255. 44. Ejus martyrium. ibid.

Antiocheni Epiſcopi a Domno uſq. ad Cyrillum. 159. 7.

Antonini Presbyt. & Sociorum confeſſio Fidei, & martyrium. 303. 2.

Antonius Ab. perſecutione vigente Alexandriam petit, Fideles ad certamen ſuſtinendum roborat. 326. 19.

Apollonius Diac. & Philemon ex ſcenico repente Chriſtianus martyrio coronantur. 285. 1.

Appellan[illegible] uſus ad Sedem Apoſt. a[illegible]15. 25. 8.

Aquæ ben[illegible]æ aſperſione, & ſigno Crucis præſtigia diſſolvuntur. 385. 10.

Aquam in calice [illegible]ferendi mos reprobatur. 22. 4.

Aquariorum prætextus refelluntur. ibid.

Aurelianus Imper. inauguratur. 129. 2. Ejus origo, & mores. 130. 4. Leges in milites ab eo præſcriptæ. ibid. Illius ſeveritas. 1. ibid. De aliis ejuſdem geſtis. 132. 1. Ad Senatum ſcribit, ut Sibyllini libri conſulantur. ibi. Urbis muros inſtaurat. [illegible]. 2. In Zenobiam expeditio, & Victoriæ. ibid. 1. Epiſtola de Zenobiæ dotibus. 134. 2. Devictis Carpis, Palmyram vaſtat. 135. 1. Carpici nomen reſpuit. ibid. Ægyptum occupat, deinde Gallias, & Hiſpanias. 136. 2. Ejus triumphi pompa. ibid. 1. Zenobiam, & Tetricum honoribus cumulat. ibid. Triumphum perſecutione in Chriſtianos fœdavit. 137. 2. Ejus interitus. 140. 1. Cui ſuccedit Tacitus. ibid.

Archelaus Ep. Maneti adverſatur. 144. 5. & ſeq.

Armenia Chriſti fidem quo tempore ſuſceperit. 198. 2.

Arnobius Hieroclem confutat. 221. 23. Ejus libri adverſus gentes quo tempore ſcripti. 223. 26. Ad Fidem convertitur. ibid. Eam a gentilium calumniis vindicat. 224. 27. Hieronymi de illius ſcriptis judicium. ibid.

Aſterii & ſociorum martyrium. 166. 7.

Aſterii pietas, ejuſque oratione ſuperſtitio ceſſat. 82. 5.

B

Baelii, & Beſobrii arguitur temeritas. 151. 17.

Baptiſmus infantium quonam die celebrandus. 23. 5. De hæreticis rebaptizandis. Vid. *Cyprianus*. Hujuſmodi quæſtio quo tempore finita fuerit. 40. 9. Sixto II. denuo proponitur. 47. 5. & ſeq. Illorum baptiſmum iterari a PP. Arelatenſibus vetitum. 371. 17.

Bar-

Barlami confeſſio, & martyrium. 286. 12.
Baronius a Baſnagii cenſura vindicatus. 129. 3. Chronologiam ſuam emendat. 153. 1. Ejuſdem de uxore Diocletiani error. 184. 2.
Baſnagii cenſura in Baronium refellitur. 129. 3. De Thebæorum, ſeu Angelicæ Legionis martyrio. 171. 7. Vanus ex Marcellini Pap. lapſu triumphus. 190. 5. Argumentum ex Illyberitanis PP. deſumptum confutatur. 277. 35. Ob Dei invocationem a Licinio factam iterum confutatur. 347. 2.
Beneficiarii qui dicebantur. 72. 9.
Bona immobilia ab Eccleſiis poſſeſſa Imperatorum reſcripto eiſdem reſtituuntur. 351. 10. & ſeqq.
Breviarii Rom. auctoritas quanta ſit. 189. 3.
Britannia tempore perſecutionis Dioclet. vix vexata. 250. 38.

C

CÆcilianus Carthag. Ep. ordinatur. Donatiſtarum ſchiſma exoritur. 327. 22. & ſeqq. Majorinus Pſeudo-Epiſc. eidem ſubrogatur. 329. 27. & ſeq. Falſis criminibus a Donatiſtis impetitur. ibid. Litteras, & pecuniam a Conſtantino Imp. accipit pro Fidelium neceſſitatibus ſublevandis, ac Donatiſtarum temeritate coercenda. 352. 12. Apud Imperatorem ab eiſd. accuſatur, cum reliquis. Vid. Conſtantini.
Cæſareæ portentum perſecut. temp. viſum. 304. 3.
Cajus Rom. Pont. eligitur. 159. 6. Inter Martyres recenſetur. 187. 1. De epiſtola eid. ſuppoſita. ibid. Succeſſorem habuit Marcellinum. 188. 2.
Canones, ſeu regulæ Petri Alex. Ep. pro criminum qualitate ſtatutæ. 307. 14. Synodi Arelatenſis. 370. 15. & ſeqq. Illyberitanæ, eorumq. auctoritas. 375. 32. & ſeqq. Ancyranæ alteri. 376. 33. & ſeq. Item Neo-ceſarienſis. 378. 21.
Carauſio in Britannia occiſo, Electus tyrannidem arripit. 183. 2.
Cari Imper. inauguratio, & mores. 156. 2. Carinum, & Numerianum filios Cæſares dicit. 157. 3. Eoſdem creat Auguſtos. 158. 1. Defuncto Patri ambo ſuccedunt. ibid. 2. & ſeq.
Carinus a Patre diſſimilis. 157. 3. Julianum interficit 162. 4. Eo ſublato, [illegible] ſolus imperat. 16[illegible]
Carthaginenſe Concilium. Vid. Concilium. Carthag. Epiſcopi. 64. 12. Vetus conſuetudo in hu-

hujus Sedis Epiſc. ordinando. 329. 25.
Caſſiani martyrium. 196. 4.
Chriſti apparitiones diverſæ Joſepho Judæo oſtenſæ. Vid. *Joſeph*.
Chriſtianorum pietas, & poteſtas &c. Vid. *Fidelium*.
Cirthenſe Concilium in Africa celebratur. 270. 28. Traditores Epiſcopos in communionem recipit. *ibid.* De anno, quo celebratum fuerit. 272. 29. Ab altero Numidiæ coacto confirmatur. 329. 27.
ss. Claudii, Aſterii, ac Socior. Acta. 186. Ipſorum confeſſio Fid... *ibid.* 7.
Claudius Imperator creatur. 121. 1. Ejus origo, & mores. *ibid.* 2. Gallieni ad eumdem munera. *ibid.* Aureolo occiſo, Alemannos fudit. 122. 3. Ejus obitus. 129. 1. Ei Quintillus, deinde Aurelianus ſuccedit. *ibid.* 2. An Eccleſiam vexaverit. *ibid.* 3.
Clerici publicæ pœnitentiæ, uſq. ad ſecul. 4. addicti. 106. 15. Poſtea ab eadem immunes. 107. 16. Eorum cum mulieribus habitatio prohibita. 113. 5. Conſtantini Reſcripto ab omni publ. officio ...es declarantur. 353. ...liqua. Vid. *Sacerdotes*.
Concilium Carthag. de Lapſis. 8. 8. Aliud ſub Cypriano celebratum. 23. 5. Secundum, & tertium ſub eod. 34. 1. & 37. 5. Illyberitani epocha, & canones. Vid. *Illyberitanum* Cirthenſe. 270. 28. Arelatenſe. Vid. *Conſtantini*. Ancyranum. 376. 23. *& ſeq.* Neoceſarienſe. 378. 25.
Conſtantini natales, & Græcorum fabula de eiſd. 181. 3. Patrem Conſtantium adit. 278. 1. Eidem ſuccedit. 279. 2. Eccleſiis pacem reddit. *ibid.* 5. Qua ætate Imperio fuerit adjunctus, ejuſque dotes. 280. 4. A Galerio Maximiano Cæſar dicitur. *ibid.* 5. Fauſtam uxorem ducit. 294. 10. Ejus victoriæ. *ibid.* Bellum adverſus Maxentium ſuſcipit. 331. 2. Romam uſque Victor progreditur. 332. 3. Cæleſti viſione de futura victoria admonetur. *ibid.* Crucis trophæum eid. divinitus oſtenſum. 333. 4. Quænam eſſet Labari forma. 334. 5. Quo loco apparuerit. *ibid.* 6. *& ſeq.* Maxentio ſublato, Urbem ingreditur. 335. 8. *& ſeqq.* Ejus clementia, & plura in Urbe geſta. 337. 11. Crucis ſignum Romæ erigi jubet. *ibid.* 12. Ejuſdem in Deum pietas. 338. 13. Catechumenus factus, Sacras Script. legit. *ibid.* 14. In Sacerdotes humanitas. *ibid.* 15. Simul cum Licinio legem ferunt pro Chriſtianis. *ibid.*

ibid. Quo anno triumphalis Arcus ei erectus fuerit. 339. 16. Chriſtianis libertatem reddit, ſuaque reſtitui jubet. 350. 9. & *ſeqq.* Cæcilianum Carthag. Ep. litteris, auctoritate, ac pecuniis contra Donatiſtas adjuvat. 352. 12. Clericos ab omni publ. officio immunes declarat. 353 13. Anulini epiſtola ad eumd. Donatiſtarum querelas continens. *ibid.* 14. & *ſeq.* Ea de cauſa Romæ Concilium convocat. 354. 16. Ejus epiſtola ad Melchiadem, & Marcum. *ibid.* Concilii ſententia contra Donatum. 355. 17. & *ſeq.* Donatiſtæ iterum ad Imper. provocant. 357. 20. A Melchiade, aliiſque Epiſcopis de geſtis Rom. Synod. certior redditur. 359. 22. Novæ Donatiſtarum querelæ eid. deferuntur. 363. 7. Concilium alterum Arelate habendum indicit. *ibid.* & *ſeqq.* Ingentium falſarium ad ſe mitti decernit. 365. 8. Epiſtola ad Ablavium pro Synodo Arelatenſi convocanda. 366. 10. Altera ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum. *ibid.* 11. Tractorias epiſt. omnibus Synodo adfuturis concedit. 367. 12. Cæciliano iterum abſoluto, Donatiſtæ damnantur. 368. 13. Epiſtola Synodica ad Silveſtrum Pap. 369. 14. Provinciar. Rectores, & Magiſtratus Epiſcopor. juriſd. & curæ ſubjicit. 370. 16. An Arelaten. Synodo adfuerit. 371. 18. Epiſtola ad Epiſcopos Donatiſtas. 374. 21. Ad Catholicos altera, ut ad propria redirent. 375. 22. De bello inter eumd. & Licinium, eorumque reconciliatione. 379. 27. Ejus in pauperes liberalitas. 380. 1. Filiis pauperum alimenta ex Fiſco tribui jubet. *ibid.* 2. Parentibus, [illegible] filios [illegible]iſtraxerant, eos red[illegible]ere permittit. *ibid.* Aliæ e[illegible] Leges. 381. 3. Judæorum [illegible]fidiam coercet. *ibid.* 4. Decennalia celebrat, & Leges condit. 386. 1. Admiſſa Donatiſtarum appellatione, de illorum cauſa iterum cognoſcit. 387. 2. Ejus ſententia contra eoſdem. 388. 3. Donatiſtis in Africam redeuntibus viaticum tribuit. 389. 4. Epiſtola ad Celſum pro Donatiſtarum turbis ſedandis. *ibid.* 5. Ad Catholicos Epiſcopos altera. *ibid.* 6. & *ſeq.* Ejuſdem Leges adverſus Donatiſtas. 391. 8.

Conſtantius Chlorus [illegible] Galerius Cæſares dicun[illegible]ocletia[illegible]. [illegible]o. 1. Conſtantii genus, & mores. 181. 2. De illius nuptiis cum Helena, & de Conſtantini incunabulis fabuloſa

loſa narratio . *ibid.* 3. Electo occiſo, Britanniam recuperat . 192. 6. Alemannos vincit . 193. 1. In ſubditos clementia . 196. 3. In tributorum exactione mitiſſimus . *ibid.* Illius geſta tempore perſecutionis . 250. 37. In Fide conſtantes apud ſe retinet, Apoſtatas expellit. *ibid.* Maximiano Herculeo Imper. ſuccedit . 258. 5. Filium Conſtantinum ſucceſſorem reliquit . 279. 2.
Conſubſtantiale Ver[illegible] diverſimode uſurpat[illegible] 126. 5.
Cornelii Pap[illegible] [illegible] Antioch. ep[illegible] . Fortunati legat[illegible] [illegible]ntra Cyprianum non admittit . 9. 9. In exilium miſſus martyrio coronatur . 15. 16. De illius ſcriptis . *ibid.* 17. Eidem ſuccedit [illegible] . *ibid.*
Criſpinæ Virg. martyrium. 234. 15. [illegible] Acta apud Mabillonium, & Ruinartium . *ibid.*
Crux per viſum oſtenſa . Vid. *Conſtantini* . Ejus ſigno præſtigia diſſolvuntur . 385. 10.
Cyprianus Librum de Lapſis evulgat . 1. 1. Ejus erga Lapſos frequentia . *ibid.* & 7. 7. De Eccleſiæ unitate opuſculum . 3. 3. Carthagine Concilium celebrat . 8. 8. Adverſus eum Fortunatus ordinatur . 9. 9. Privatum Lambeſitanum iterum condemnat . *ibid.* Cornelii epiſtolæ reſpondet . *ibid.* Ejus de Fortunato, & Feliciſſimo expoſtulatio . 10. 10. In ſchiſmaticis reconciliandis ſollicitudo . *ibid.* 11. Ad Tibaritanos ſcribit . 11. 12. Librum edit de Martyrii exhortatione ad Fortunatum . *ibid.* An alter de Martyrii laude eid. inſcribendus . 11. 13. Exhortatio tempore peſtis . 18. 24. Seu potius liber de mortalitate . *ibid.* 25. Captivos redimit . 20. 28. Morem offerendi aquam in calice reprobat . 22. 4. Synodum celebrat Carthaginenſem . 23. 5. Ad Aſſuritanos epiſtola . 24. 6. Altera de Martiale, & Baſilide vitandis. *ibid.* 7. Ad Stephanum Pap. de Marciano abſtinendo . 25. 9. An eadem Cypriano inſcribenda . 26. 10. Ejus Liber de opere, & eleemoſyna . 27. 11. Pupiani temeritatem arguit . 28. 1. Alter ad Demetrianum liber . 29. 2. Propoſitis a Magno quæſtionibus reſpondet . 31. 1. Cur hæreticorum baptiſma rejecerit . 32. 2. Ejus ſententia Concilio Carthag. confirmatur . *ibid.* 3. Epiſtola Synodica ad Numidiæ Epiſcopos . *ibid.* Altera ad Stephanum Pap. 34. 1. Sententiam ſuam frequentiori Concilio corroborat . *ibid.* An ejuſmodi quæſtionem ad Fidem ſpectare pu-

putaverit. 35. 2. Librum edit de bono conſcientiæ. *ibid.* Quid Stephanus Pap. illi reſcripſerit. 36. 3. Cyprian. a S. Auguſtino excuſatur. *ibid.* 4. Tertium Concilium Carthagine celebrat. 37. 5. De baptiſmate hæreticorum epiſtolæ hinc inde datæ. 38. 6. & *ſeq.* An ſententiam ſuam retractaverit. 41. 10. Una cum aliis Epiſcopis in exilium ejicitur. 50. 9. Ejus paſſionis Acta. *ibid.* 10. Viſio ab eo in exilio habita. 51. 11. Fratres ad metalla damnatos ſublevat. 53. 13. Ejuſdem martyrium. 59. 4. & *ſeqq.* De Virginibus ſolicitudo. 61. 7. Militis ſtudium, ut aliquid ex illius veſtibus haberet. 62. 8. A Proconſule interrogatus ducitur ad martyrium. *ibid.* 9. & *ſeq.* Ejus obitus, & ſepultura. 63. 11. Ipſius memoria in Eccleſia illuſtris. 64. 12. Quinam in Epiſcopatu eidem ſucceſſerint. *ibid.* Ejus opuſcula ſole clariora. 65. 13.

Cyrillus Ep. Antioch. 159. 7. Ei ſuccedit Tirannus. 196. 2.

Cyrillus puer & Martyr. 76. 13.

D

DAnielis, & ſocior. martyrium. 305. 6.

Dativi, & Socior. Acta a Donatiſtis collecta pro genuinis habita. 235. 16. & *ſeq. uſq. ad* 24.

Demetrianus Fabii Antioch. ſucceſſor Novatianum damnat. 7. 6.

Dianæ Epheſiæ templum vaſtatur. 88. 1.

Didymus Theodoram e lupanari eripiens, martyrio coronatur. 242. 29.

Diocletianus Imper. eligitur. 161. 1. Ejus patria, & natales. 162. 2. De Æra Diocletianæ ſeu Martyrum. *ibid.* 3. M[illegible]imianum Herculeum Cæſarem dicit, & in Galliam [illegible] 4. 2. Utriuſque mores, [illegible]ngenia. *ibid.* 3. & *ſeq.* De felici Eccleſiæ ſtatu ante Dioclet. perſecut. 165. 5. Maximianum Auguſtum creat. 168. [illegible] Syria recuperata, [illegible] cum Perſis firmat. 169. 2. Contra Carauſium in Britannia rebellantem contendit. *ibid.* 3. Imperatorum colloquium, & triumphus. 17[illegible]. 2. De lege ab eiſdem contra Manichæos lata, an apocrypha. *ibid.* 3. Ante generalem perſecut. Martyres fuerunt. 178. 1. Auguſti Mediolanum veniunt. 179. 1. Conſtantium, & Galerium Maximianum Cæſares dicit. 180. 1. Cur duo Cæſares crearentur. *ibid.* Diocletiani faſtus, & geſta in Sarmatas. 183. 1. & *ſeq.*

Achi-

Digitized by Google

Achileo extincto, Ægyptum recuperat. 192. 1. Quo anno perſecutionem adverſus Chriſtianos excitaverit. 194. 2. In Milites, & Domeſticos primum ſævit. *ibid.* Ipſius, & Maximiani conſilia adverſus Eccleſiam. 204. 1. De perſecutione excitanda Apollinem conſulit. 205. 2. Quo anno eam ad omnes Fideles extenderit. 206. 1. *& ſeq.* Edicta contra eoſdem. 207. 3. *& ſeq.* Decennalia Romæ celebrat, & triumphat. 226. 3 Ravennæ Conſulatum in... *ibid.* 1. In letha[illegible] inc[illegible] dit. 227. [illegible] renunciat. 256. 1. *& ſeq.* Ejus interitus. 349. 7. Statuæ ejuſd. & Maximiani dejiciuntur. *ibid.*

Dionyſii A[illegible] epiſtolæ ad Sixtum Rom[illegible] ont. 47. 5. *& ſeq.* [illegible] confeſſio Fidei, & exiliu[illegible] [illegible]. 7. Quas ærumnas exul pertulerit. 49. 8. Contra Sabellianam hæreſim ſcribit. 55. 16. Una cum Sociis delitéſcere cogitur. 65. 14. Paſc[illegible] feſta, non Decennalia celebrare cupit. 83. 3. S[illegible]ellianiſmum impugnans, Arianiſmi accuſatur. 84. 4. Apud Rom. Pont. ſe purgat. *ibid.* 5. Veterum de eodem opinio. 85. 6. Millenariorum errorem confutat. 86. 7. Epiſtola ad Paulum Samoſatenum ſubdita. 115. 8. Maximum habuit ſucceſſorem. 116. 9. De illius ſcriptis. *ibid.* De ejuſdem epiſtola Canon. ad Baſilidem. *ibid.*

Dionyſius Rom. Pontifex ordinatur. 79. 18. Paulum Samoſatenum ab Eccleſia eliminat. 127. 6. Quo anno obierit. 128. 8. Succeſſorem habuit Felicem. *ibid.* 9.

Dodwellus de Martyrum numero ſub Valeriano refellitur. 57. 2. Ejuſdem in Baronium cenſura retunditur. 129. 3. Item de Aureliani perſecutione. 137. 2.

Domnina cum filiab. Bernice, & Proſdoce pro caſtitate ſervanda ſe in flumen præcipitant. 282. 8. Earum elogium. *ibid.*

Domninæ, & Theonillæ martyrium. 168. 9.

Domnus Epiſc. Antioch. ordinatur. 124. 3. Quinam illi ſucceſſerint. 159. 7.

Donatiſtarum ſchiſma exoritur. 327. 21. Qua occaſione, & quibus auctoribus. *ibid.* 22. *& ſeq.* Pravus eorum ſenſus adverſus Cæciliani Ordinatores. 328. 24. Ex Optato redarguuntur. 329. 26. Unde Donatiſtæ dicti. 330. 29. Cæcilianum apud Conſtantin. Imper. accuſant. 353. 14. *& ſeq.* Ipſorum calumniæ in Rom. Synodum, & Melchiadem

dem Pap. 358. 21. Novæ eorumdem querelæ . 363. 7. Felicem Aptungitanum Ep. falſo accuſant . *ibid.* Iterum Arelatenſi Concilio condemnati . 368. 13. Appellatione coram Imperat. interpoſita, denuo damnantur . 388. 3. Turbas in Africa iterum excitant . 389. 5. Catholicorum Eccleſias uſurpant. 390. 7. Variis pœnis a Conſtantino multantur . 391. 8.

Donatus quanta pro Fide ſub Diocletiano pertulerit . 210. 6. E carcere liberatur . 317. 4.

Dorotheus Presbyter Antioch. 159. 7. Tres Dorothei diſtinguendi . 160. 8.

E

Eccleſiæ unitas comprobatur . 3. 3. Quam turpiter a Novatoribus violata . 5. 4. Ejus ſtatus, & vexationes initio ſæc. quarti . 199. 1. & *ſeq.*, 225. 28. Eccleſiarum bona Imper. Reſcripto iterum reſtituta . 351. 10. & *ſeq.* Harum aliquæ a Donatiſtis in Africa occupantur . 390. 7.

Electus in Britannia tyrannidem uſurpat . 183. 2. A Conſtantino occiditur . 192. 6.

Eliæ, Jeremiæ, Iſaiæ, Samuelis, & Danielis martyrium . 305. 6.

Epiſcoporum variæ opiniones de iterando hæreticorum baptiſmate . Vid. *Baptiſmus* . Eorum uſus ad Rom. Pont. appellandi . 25. 8. Orientales ab Stephano Pap. minis admoniti . 38. 6. In dubiis Rom. Sedem conſulunt . 48. 6. Africani tormentis vexati, ad metalla damnantur . 52. 12. & *ſeq.* Quinam medio tertii ſæc. floruerint . 87. 9. Illuſtriores, ac martyrio coronati ſub Dioclet. 218. 19.

Equiſtra ... qui dicebatur . 61. 6.

Evange... apoſtolor. ... Gazophi... atriarchæ Judæorum inv... 382. 6.

Eubolus, & Hadrianus Martyres . 308. 10.

Euchariſtia quanam animi puritate ſumend... 2. Romæ ad minor... Eccleſias diſtribuenda decernebatur . 361. 4. Fermenti nomine ... figuata, qua ratio... An ex fermentato pane, aut azimo primitus fuerit confecta . 362. 5.

Eugenius in Syria ...llat, paulo poſt Antioc... interficitur . 225. 29.

Euphemiæ martyrium ... 2... 14.

Eupli Diac. Acta, ...rium . 246. 33.

Euſebius Hiſtoricus an corruptos Chriſtianor. mores exaggeraverit . 200. 4. Hierocliſ ſcri-

ſcripta confutat. 221. 23.
Euſebius Laodiceæ Epiſcopus. 66. 15. Ejuſd. & Anatolii ſolicitudo pro Alexandrinor. ſalute. 91. 6.
Euſebius Pap. Marcello ſuccedit. 310. 3. Miltiadem, ſive Melchiadem habuit ſucceſſorem. *ibid.* Illius martyrium. *ibid.* 4.
Eutychianus poſt Felicem Pap. ordinatur. 139. 3. Ejus obitus. 159. 4. An Martyribus ſit accenſendus. *ibid.* 5. Cajum ſucceſſorem h[illegible]it. *ibid.* 6.

F

Fabius Antioch. a Novatiani parte recedit. 7. 6. Ejus obitus. *ibid.* Succeſſorem habuit Demetrianum. *ibid.*
Fauſtus martyrio coronatur. 86. 15.
Felix A[illegible]itanus Ep. a Donatiſtis accuſatus, innocens declaratur. 363. 7.
Felix Pap. Dionyſio ſuccedit. 128. 9. [illegible] coronatus, Eutych[illegible]m habuit ſucceſſorem [illegible]9. 3.
Felix [illegible]acenus in Africa Epiſc. ſacros Cod. Gentilibus [illegible]ecuſans, martyr [illegible]. 233. 12. & *ſeqq.*
Fermenti conſecrati nomine [illegible]ar., & qua ratione Eucharistia deſignetur. Vid. *Eucharistia.*
Fidei deſertores divinitus caſtigati. 2. 2. Ejus gloria, & prop[illegible]atio. 340. 17.
Fid[illegible]. pietas in ſubveniendis peſtilentia percuſſis. 18. 24. & 92. 7. Horum, & gentilium in obitu differentia. 18. 25. Fidel. poteſtas in fugandis dæmonibus. 30. 3. Aliquorum ſcelera tempore incurſionis Barbarorum. 94. 1. Eorumdem pœna juxta criminis qualitatem. *ibid.* Reliqua de pœnitentiis. Vid. *Pœnitentium.* Illorum mores longa pace corrupti. 28[illegible]. 3. Ob incendium Palatii Imper. calumniam paſſi. 208. 4. Variis ſuppliciis ea de cauſa vexati. *ibid.* 5. & 211. 10. Ipſorum Urbs cum civibus ob Chr. Fidem cremata. 215. 16. Leges pro eiſdem a Conſtantino Imper. latæ. Vid. *Conſtantini.* Libertatem obtinent. Vid. *ibid.* Eorum pietas in alendis pauperib. & mortuis ſepeliendis. 342. 19.
Firmiliani opinio de hæreticorum baptiſmate. Vid. *Cyprianus.* Illius geſta, & obitus. 127. 7.
Firmiliani Præſidis crudelitas. 305. 5. & *ſeqq.*
Flaviani Mart. certamen. 70. 4. Ejus Matris robur invictum. *ibid.* Ipſius fides tentatur. 71. 5.
Fortunatus adverſus Cyprianum Epi-

Epiſcopus ordinatur. 9. 9.
Fructuoſi Ep. Tarracon. & Socior. Acta. 72. 8. *& ſeq.* Eorum confeſſio, & martyrium. 73. 10. In cælum aſcendere viſi ſunt. *ibid.* Aliæ Fructuoſi apparitiones. *ibid.*
Frumentarii quinam dicti. 60. 1.

G

GAlerius Maximianus, & Conſtantius Cæſares dicti. 180. 1. De Galerii ortu, & moribus. 182. 4. Ejus de Perſis victoria. 192. 2. Diocletianum Imperio renunciare cogit, eique ſuccedit. 256. 3. Improbi ejus mores, 260. 8. Crudelitas, *ibid.* 9. *& ſeq.* Libido, & avaritia. 262. 12. *& ſeq.* Infenſiſſimus Chriſtianor. hoſtis. 263. 14. Poſt Conſtantii obitum, Severum Auguſtum creat, Conſtantinum Cæſarem dicit. 280. 5. A Maxentio fugatus Italiam vaſtat, ac fugam arripit. 290. 4. Inſanabili morbo laborat. 315. 2. Edicta pro Chriſtianor. libertate vulgat. 316. 3. Miſerrime obit. 317. 4. Quo loco. 318. 5. Poſt illius obitum res Chriſtianor. in melius mutantur. *ibid.* 6. *& ſeq.*
Galliæ tempore perſec. Dioclet. nequaquam afflictæ. 251. 39.
Gallienus Junior Cæſar creatus. 33. 4. De Valeriano patre redimendo nihil ſolicitus. 78. 16. Illius mores, & ignavia. 79. 1. Perſecutionem in Chriſtianos extinguit. 80. 3. Ejuſd. pro Eccleſia edicta. *ibid.* Imperio ſuo Ægyptum adjungit. 83. 2. Æmilianum devincit. 90. 5. Inſigni pompa Decennalia celebrat. 93. 8. Odenatum Imperio ſociat. 110. 1. Ejus geſta in Perſas. 120. 2. Eo interempto, Claudius ſuccedit. 121. 1. Gal[illegible] eumdem munera.
[illegible] us Eccle[illegible] 12. 14. *& ſ*[illegible] um interitum [illegible] iauus. 27. 12
Gelaſius, [illegible] mus primum mimus [illegible] Martyr. 175. 4.
Geneſius mimus, Chriſtianis illudens, ad [illegible] a vocatur. 174. 2. Martyrio coronatur. 175. 3.
Gentiles Gregorii Thaumat. precibus a [illegible] ſte liberati, & ad Chriſtum c[illegible] erſi. 17. 23. Divina ulti[illegible] Gentes [illegible] 89. 2. Peſte affec[illegible] derelinquunt. 92. 7. [illegible]
Gordii Centurionis [illegible], & martyrium. 2[illegible]
Gregorii Armenii Epiſc. Acta dubia, & apocrypha. 148. 2.

Gregorius Thaumat. Gentiles peſte percuſſos liberat. 17. 23. De Sabelliana hæreſi a S. Baſilio vindicatus. 56. 17. Illius obitus. 118. 2. Sepulcrum illæſum ſervatur. *ibid.* 3. Ipſius elogium, & ſcripta. *ibid.*

H

HAdrianus, & Eubolus Martyres. 308. 10.

Hæreſum quænam cauſæ. 3. 3. Noetiana, & Sabelliana. Vid. *Sabellii*. De [illegible] [illegible]tis, & Apoſtolic[illegible] rorib. [illegible] [illegible]n errores [illegible] Hieracitarum [illegible].

Hæretici [illegible] [illegible]n pluries adn[illegible]

Helena vili[illegible] nata Conſtantii [illegible], Conſtantini Mater. [illegible]8. 2. *& ſeq.*

Hellel Judæorum Patriarcha moriens [illegible]atur. 381. 5.

Hermes Di[illegible]. cum Philippo Ep. ob Chr. fidem varie vexati, per [illegible]m Martyres occumbant. 2[illegible]. [illegible]9. *& ſeqq. uſq. ad* 25.

Hermon ſeu Thermon Zebdæ Hieroſolym. Epiſc. ſuccedit. [illegible]

H[illegible]e hæretici errores. 176. 1. [illegible] Macario Monacho Hieracita quidam miraculo vincitur. *ibid.* 2.

Hierocl[illegible] Chriſtianam Relig. impugnat. 219. 21. Quam inepte id peregerit. *ibid.* 21. *& ſeq.* Ejus ſcripta ab Euſebio, Lactantio, & Arnobio confutata. 221. 23. Ejuſd. blaſphæmiæ in Chriſtum, & Apoſtolos a Lactantio refelluntur. 222. 24. *& ſeq.*

Hippolyti Rom. Presbyt. elogium. 14. 18. Ad Oſtia Tyberina martyrio coronatur. *ibid.*

Hiſpania tempore perſecut. Dioclet. dire vexata. 252. 40.

I

JEjunium qua de cauſa die Dominico denuo prohibitum. 361. 3.

Jeremiæ, & Socior. martyrium. 305. 6.

Illyberitani Concilii epocha. 273. 30. Ubinam celebratum. 274. 31. Ejus canones. 275. 32. Quam auctoritatem habeant. *ibid.* 33. Ex his canones. 34. *&* 36. exponuntur. 276. 34. Baſnagius de eiſdem confutatur. 277. 35.

Indictionis inſtitutio, & uſus. 344. 23.

Infantes ante octavum diem baptizandi. 23. 5.

Joannes oculorum lumine orbatus, ac plurib. confeſſionib. clarus, ſacras Scripturas memoriter tenebat. 313. 8.

Joſeph Comes ex Judæo Chriſtianus. 381. 5. Evangelia, & Acta

& Acta Apoſtolor. in Gazophylacio invenit. 382. 6. Per plures Chriſti apparitiones ad Fidem convertitur. 383. 7. Chriſti nomine invocato, dæmonem ejicit. 384. 8. Conſtantinum Imper. adit, Eccleſias ædificat. 385. 9. Aquæ benedictæ aſperſione, & ſigno Crucis Judæorum præſtigia diſſolvit. *ibid.* 10.
Irenæi Sirmienſis Acta, & martyrium. 245. 32.
Iſaiæ, & Socior. martyrium. 305. 6.
Judæorum perfidia a Conſtantino Imper. coercita. 381. 4. De eorum Patriarcha, & Apoſtolis, ipſorumque officiis. *ibid.* 5. Joſephum Comitem illorum Apoſtolum in odium Fidei perſequuntur. 384. 8.
Julianus, & Theodulus martyrio coronati. 307. 9.
Julittæ Acta, & martyrium. 314. 9.

L

LAbari, ſeu Crucis a Conſtantino poſt viſionem formatæ quænam forma. 334. 5.
Lactantius Hieroclem confutat. 221. 23. Ejuſd. opera. *ibid.*
Lapſorum reconciliatio quomodo concedenda. 1. 1. Citius ob carnis infirmitatem. 7. 7. Eorum cauſa iterum agitata. 8. 8. Apoſtolicæ Eccl. pœnitentiam ipſis nunquam denegarunt. 103. 12.
s. Laurentii certamen. 59. 3.
Legio Thebæa Chriſtiana detegitur. Vid. *Thebæorum*.
Licinius Imperat. inauguratur. 291. 6. Ejuſd. genus, & mores improbi. *ibid.* 7. Uxorem ducit Conſtantini Imper. Sororem. 346. 1. Victoria contra Maximinum divinitus illi promiſſa. 347. 2. Maximini Uxorem, & filios interficit. 349. 6. Eod. ſupplici[illegible] filium, Priſcam [illegible] Diocletiani uxo[illegible] [illegible]vit. *ibid.* Ejus perſequit[illegible] Chriſtianis. V. Poſt eo[illegible]ini.
Luciani ſuccedit A[illegible]ium, & martyrium. 3[illegible]5. 16. De ejuſd. doctrina, & ſcriptis. 324. 17. An Ari[illegible] opinioni patrocinaver[illegible] 325. 18.
Lucii, Montani, & Sociorum Acta. 69. 2
Lucius Rom[illegible] Pont. poſt Cornelium crea[illegible] [illegible]13. 17. Mox in exilium [illegible] [illegible] 16. 20. Illius o[illegible] [illegible]1. & ſeq. Stephanum [illegible] ſucceſſorem. 22. 3.

M

MAcarius Monac[illegible] Hi[illegible]racitam hæreticum [illegible]raculo vincit. 176. 2.
Macrianus Rom. Rempublicam ad-

adminiſtrat. 67. 18.
Magiſtratus, & Provinciarum Rectores Epiſcopis ſubjiciuntur. 370. 16.
Majorinus Pſeudo-Epiſc. Carthagine ordinatur. 329. 27.
Manetis hæreſis omnium peſſima. 142. 2. Ejus origo. 143. 3. Unde nomen Manes. *ibid.* Impoſtor detegitur. 144. 4. Archelaus Epiſc. eidem adverſatur. *ibid.* 5. *& ſeq.* Epiſtola ad Marcellum. 146. 7. Ejus interitus. *ibid.* 8. Ejuſd. Libri, ac præcipui diſcipuli. 147. [illegible]
Manichæorum [illegible] & pr[illegible] thianus [illegible] orum omnium architect[illegible] s. *ibid.* 2. Eorum ſtultitiæ & errores, & portenta. [illegible] 8. 10. *& ſeq.* Turpitudines. 149. 12. Alii Audientes, Electi alii. 150. 13. Ex Electis aliqui Epiſcopi, alteri Diac[illegible]ni. *ibid.* In plures ſect[illegible] viſi. *ibid.* 14. Ejuſm[illegible] ſis propagatio. *ibid.* 15. Illor[illegible] ad in[illegible] captos [illegible] los. 151. 16. De Scr[illegible] qui Manichæiſn[illegible] igarunt. *ibid.* 17. An de[illegible] Dioclet. in eoſ[illegible] ocrypha ſit. 173.
[illegible]llinus Pap. Caii ſucceſſor quanto tempore Rom. Sedem tenuerit. 188. 2. Ab idololatriæ crimine vindicatur. *ibid.* 3. *& ſeq.* Ejus obitus. 227. 3. An Martyr occubuerit. 228. 4. Marcellum habuit ſucceſſorem. 299. 2.
Marcellinus Presbyt. & Martyr. 228. 5.
Marcellus Centurio militiæ renunciat, & Martyr efficitur. 195. 3.
Marcellus Pap. poſt Marcellinum ordinatur, 299. 2. Ejus martyrium. 309. 1. *& ſeq.* Eidem ſuccedit Euſebius, 310. 3.
Marcus Aurelius Carus. Vid. *Cari Imp.*
Mariani, Jacobi, & aliorum martyrium. 68. 1. *& ſeq.*
Marini militis confeſſio fidei, & martyrium. 81. 4.
Martyres perſecutionis Diocletiani varie vexati. 208. 4. *& ſeqq. uſq. ad* 20. Illuſtriores ſub eadem perſecutione. 218. 19. Anni ſexti ejuſdem perſecutionis, 299. 3. *& ſeqq.* Una die 39. capite truncati. 314. 9.
Martyrologii Rom. auctoritas quouſque extendenda. 189. 3.
Maſſa candida cur Martyres dicti. 71. 6.
Maxentius Romæ Imperium occupat. 280. 6. Ejuſdem mores improbi. 281. 7. Crudelitas, rapacitas, & libido. *ibid.* Ejus cum patre Herculeo Maximiano diſſidia. 290. 5. Africam aggreditur, & vaſtat. 326. 20. Romæ triumphat.

phat. 331. 1. Conſtantinum ad bellum provocat. *ibid.* 2. In Tyberim præcipitatus interiit. 335. 8. Ejus capiti Romæ & in Africa illuditur. 336. 9.

Maximianus Galerius Imper. Vid. *Galerius*.

Maximianus Herculeus Cæſar inauguratus rebelles in Gallia domat. 164. 3. Ejus mores. 165. 4. Auguſteâ dignitate exornatur. 168. 1. Victoriæ de Germannis. 172. 1. Ipſius cum Diocletiano colloquium, & triumphus. 173. 2. De ſecundo ejus Conſulatu. 174. 1. Simul cum Dioclet. Eccleſiam perſequitur. Vid. *Diocletianus*. Romæ Conſulatum init. 228. 1. Imperio renunciat. 256. 1. & *ſeq.* Purpuram iterum induit. 288. 2. Cum Maxentio filio diffidet. 290. 5. In Gallias tranſit, inde ad Maximin. Galer. in Oriente. 291. 6. Inſidias adverſus Conſtantinum parat. 298. 1. Cui iterum inſidiatur. 311. 5. Ejus ſupplicium. *ibid.* Inventum illius corpus in mare demergitur. 312. 6. Ejus ſtatuæ dejiciuntur. 349. 7.

Maximilianus militare recuſans, martyr efficitur. 186. 1.

Maximinus Auguſtus dicitur. 292. 8. Perſecutionem inſtaurat. 302. 1. Cum Licinio reconciliatur. 318. 7. Inſidiis Chriſtianos impetit. 320. 9. & *ſeqq.* Fabuloſa Pilati Acta ad illorum infamiam vulgat. 321. 12. In eoſdem acrius invehitur. 322. 13. Ejus libido, & crudelitas. 342. 20. & *ſeq.* Epiſtola ad Sabinum pro Chriſtianorum libertate. 344. 22. Arma movet adverſus Licinium. 346. 1. Ejus exercitus a Licinianis profligatur 4. Veneno hauſto, mi[illegible] iit. *ibid.* 5. Ejus [illegible] ii. [illegible] Licinio in[illegible] ves[illegible] ius propinqu[illegible] udelitatis [illegible] ortem damna[illegible]

Maximinus. [illegible] alerio Maximiano Cæſar creatur. 257. [illegible]

Maximus Alc. [illegible] 66. 15. [illegible] nam habuit [illegible] 4.

Melchia[illegible] poſt E[illegible] 1. Eju[illegible] mate exting[illegible] Donatiſtis ind[illegible] hibet. *ibid.* A[illegible] tia iterum ad [illegible] Donatiſtæ provocant 20. Imperatorem d[illegible] Rom. Synod. certiorem [illegible] dit. 359. 22. Ejus obitu 360. 1. De epiſtolis & [illegible] cretis eidem [illegible]

Digitized by Google

2. & *ſeq.* Qua de cauſa jejunium die Dominico prohibuerit. 361. 3. Sacr. Euchariſtiam ad minores Eccleſias mittit. *ibid.* 4. Silveſtrum habuit ſucceſſorem. 363. 6.
Meletiani ſchiſmatis initia quonam anno figenda. 201. 5.
Meletii Epiſc. Sebaſteni pietas & eloquentia. 177. 4.
Meletius in Ægypto ſchiſma excitat adverſus Petrum Alex. 202. 6. Ipſius te[illegible]neritas. *ibid.* Errores fu[illegible] [illegible]rmat. 203. 7. Ab E[illegible] [illegible]mmunione [illegible]
Millen[illegible] [illegible]a-tur [illegible]
Monta[illegible] [illegible]rtamen. 69. [illegible] [illegible]ium de marty. [illegible] 70. 4.
Marty[illegible] [illegible]atur. 46. [illegible]
[illegible] confeſſio.
[illegible]e exem-[illegible] [illegible]eo re-[illegible] recuſat. [illegible] loco marty-[illegible]et. 76. 13.
[illegible] Chriſtianor. Eccle-[illegible]uſſu Diocletiani diruta. [illegible] 2.
[illegible] cum ſociis per ignem martyrio coronatur. 312. 8.
[illegible] & Sabellii hæreſis. Vid.
Notaria quid ſit. 71. 5.
Novati ſchiſma ab Orientalib. Epiſc. repudiatur. 44. 13.
Numerianus una cum fratre Imperium obtinet. 158. 3. Eo ſublato, Diocletianus Imperator creatur. 161. 1.

O

Odenatus, devictis Perſis, Imperio a Gallieno ſociatur. 110. 1. Cui Zenobia uxor ſuccedit. 120. 1.
Ormiſdas Perſarum Rex Uranem ſucceſſorem relinquit. 133. 2.

P

Palmyra ab Aureliano everſa. 135. 1.
Pamphili confeſſio Fidei. 295. 13. Ejus, & ſocior. martyrium. 305. 5. Ejuſdem eruditio, & opera. 308. 11.
Patermuthius, & ſocii martyrio coronantur. 312. 8.
Pauli oratio, & martyrium. 300. 5.
Pauli Samoſateni mores. 111. 3. Faſtus, ſuperbia, impietas, & libido. 112. 4. Errores. 114. 6. In Antioch. Synodo accuſatus, qua de cauſa abſolvitur. 115. 7. Epiſtola Dionyſii Alex. ad eumdem ſubdita. *ibid.* 8. Ab Antioch. Synodo damnatur. 123. 1. & *ſeqq.* In ejus locum Dom-

Digitized by Google

Domnus Epiſc. ordinatur. 124. 3. Imperatoris juſſu invitus Epiſcopatu dejectus. 125. 4. An a Rom. Synodo etiam damnatus. 127. 6.
Paulus Tibizacenus in Africa Ep. vaſa ſacra Ethnicis tradit. 232. 11. Ejus exemplum alii Epiſc. Africani imitati ſunt. *ibid.*
Pediculum quid, & unde dictum. 72. 9.
Pelagiæ Virg. & Mart. elogium. 314. 10.
Peleus, Nilus, & Patermuthius cum ſociis igne conſumpti. 312. 8.
Perſæ Orientem vaſtant, Antiochiam capiunt. 66. 17.
Perſecutio nova adverſus Chriſtian. ſeu illius præſagium. 8. 8. Sub Gallo & Voluſiano reviviſcit. 12. 14. Illius atrocitas. *ibid.* 15. An ultra Italiam graſſata fuerit. 15. 19. Iterum a Valeriano excitatur. 44. 1. *& ſeq.* A Gallieno extincta. 80. 3. Sub Aureliano cruenta, & diuturna. 137. 2. Quo anno, & qualis ſub Maximiano, & Diocletiano. 194. 2. *& ſeqq.* A Maximino inſtauratur. 302. 1. Quanto tempore Dioclettianea perſec. duraverit. 351. 10. A Conſtantino penitus extincta. Vid. *Conſtantini*.
Perſecutores Eccleſiæ variis ſuppliciis affecti. 77. 15.
Petri Cubicularii, & Socior. conſtantia, & martyrium. 210. 7. *& ſeq.*
Petrus Alex. Ep. Theonæ ſuccedit. 197. 1. Ejus martyrium. *ibid.* & 322. 14. Epiſtola adverſus Meletium, ejuſque ſchiſma. 203. 8. Altera, in qua pro criminum qualitate pœnitentiam ſtatuit. 287. 14.
Petrus Monachus, aliique martyrio coronati. 304. 4.
Phileæ martyrium, & epiſtola ad Confeſſores Alex. 215.
... ſeu ſceni... anus, &
M...
...ſc. varie
vexa... martyr oc-
cubu... ,q. ad 25.
Philogo... ...chen. poſt
Vitale... . 379. 26.
Phil[illegible] ... p... Ei-
de certam...
Pierii Alex.
pietas, &
Quo te...
Pilati ...
...nor.
12.
Plotini philo...
5. De ejus ...
ma, ſuperbi...
ibid. 6.
Pœnitentium varii ...
2. *& ſeqq.* De publ... pœ-
nitentiæ origine. 99. ...
luſtria hujus exempl...
8. Quibus ...

imponeretur . *ibid.* 9. Graviorum reis communio in obitu etiam negata . 101. 10. An & abſolutio aliquando denegata fuerit . 103. 11. Apoſtolicæ Eccl. Lapſos ad pœnitentiam ſemper admiſerunt . *ibid.* 12. Alia delicta publice expiata . 104. 13. An occultis publica imponeretur . 105. 14. Clerici primitus eidem addicti . 106. 15. Poſtea ab ea immunes . 107. 16. An pluries pœnitentia publica ageretur *ibid.* 17. Hujus ſever[illegible] que mo[illegible] [illegible]e pœniten[illegible] [illegible]one, & abſolu[illegible] pœniten[illegible] [illegible]num qualita[illegible] [illegible]eliqua . Vid. *Ca*[illegible]

Pontif. Romani Primatus cum reliq. Vid. *Romana Eccleſia.*

Porph[illegible] [illegible], & marty-[illegible] [illegible]æ perſecutio-[illegible] 304. 3. [illegible]dictis . [illegible] ue ha-[illegible] Vid. *Clerici* , [illegible] ni uxor , & Va-[illegible] a a Chriſti fide [illegible] 184. 2. Illarum [illegible]ius . *ibid.* Fuſius de eiſ[illegible] 209. 5. 211. 9. & 343. [illegible]lchi , & Alexandri

in Palæſtina martyrium . 75. 11.

Privatus Lambeſitanus a PP. iterum damnatus . 9. 9.

Probi martyrium . 255. 44.

Probus , & Florianus de Imper. certant . 141. 2. Probi geſta , & dotes . 153. 1. Cum Perſis pacem init . 154. 2. Saturnini rebellionem reprimit . *ibid.* 1. & *ſeq.* Proculum , & Bonoſum tyrannos extinguit . 155. 3. Ejus triumphus . *ibid.* 1. Ejuſdem interitus . 156. 1. Succeſſorem habuit . *ibid.* 2.

Procopii Lect. & Exorc. Acta , & martyrium . 228. 6.

Q

Quintilii Imperium perbreve . 129. 2. Ei ſuccedit Aurelianus . *ibid.*

Quirini in Pannonia Ep. Acta , & martyrium . 300. 6.

R

Religio Chriſtiana mirifice propagata . 89. 3.

Rheticii Auguſtodunen. Epiſc. ſcripta . 357. 19.

Romanæ Eccleſiæ Primatus comprobatur . 3. 3. Quem Clerum haberet , & quot pauperes aleret . 6. 5. Ad Roman. Pont. vetus appellandi uſus . 25. 8. Idem in dubiis ab Epiſcopis conſulendus. 48. 6. &

6. & 54. 14. Sedes Rom. poſt Sixtum vacat. 57. 2. Rom. Pontifices peccatis, & erroribus in facti quæſt. obnoxii. 190. 5.
Romani Mart. conſtantia. 230. 8.
Romanum Imper. lue vaſtatur. 17. 21. Unde & qua de cauſa. ibid. 22. Bello ſimul vexatur. 20. 27. Ubique a Barbaris agitatum. 66. 16. A Perſis in Oriente. ibid. 17. A plurimis Tyrannis occupatur. 78. 17. Novis calamitatibus vexatum. 80. 2. & 88. 1. Scytharum direptionibus. 119. 1. De aliis Imperii cladibus. 120. 3. & 123. 4. Quadripartita ejus diviſio nova, & noxia. 259. Fame, peſte, & bello iterum affligitur. 341. 18. & ſeqq.

S

Sabellii, & Noeti hæreſis. 54. 14. Quinam primi ejuſmodi hæreſeos auctores. ibid. 15. Ubique diffunditur. 55. 16.
Sacerdotes qua veneratione a Conſtantino Imper. excepti. 338. 15. Non omnibus facultas erat per hebdomadam Euchariſtiam conficiendi. 361. 4. Ante 30. ætatis annum non ordinabantur. 378. 25. Reliqua. Vid. Clerici.
Sacrificia cui offeruntur. 72. 7.
Samoſateni hæreſis, & mores. Vid. Pauli Samoſateni.
Samuelis, & Socior. confeſſio, & martyrium. 305. 6.
Sapores Perſarum Rex, ejuſque ſucceſſores. 133. 2.
Sapricius pacem negat Nicephoro. 75. 12. Deinde Fidem. ibid.
Saturnini Junioris martyrium. 239. 23.
Saturnini Mart. Acta. 237. 18. & ſeqq.
Satur[illegible] [illegible]bellio in Ægypto, & [illegible]1. & ſeq.
Se[illegible] [illegible]um ſectæ
[illegible]
S. Seb[illegible] [illegible]iæ fidei. 178.
Senat[illegible]
[illegible]
Sereni[illegible]
S[illegible]
4[illegible]
tu[illegible]
xen[illegible]
[illegible]
25[illegible]
Severus [illegible] ronatus.
Silvanus Cæſa[illegible] 295. 12.
Silvanus Emeſæ Ep. Confeſſor. 322. 1
Silveſter Papa poſt M[illegible] ordinatur. 363. 6. in Synodo Arelate[illegible] Donatiſtas a P[illegible] certior efficitur.

Digitized by Google

Ejus Acta apocrypha. 386. 11.

Sinueſſana Synodus in cauſa Marcellini Pap. apocrypha. 189. 4.

Sixtus II. poſt Stephanum Pap. creatur. 47. 4. Dionyſii Alex. epiſtolæ ad eumdem. *ibid.* 5. & *ſeq.* Martyrio coronatus. 57. 2. Poſt annum Dionyſium habuit ſucceſſorem. 79. 18.

Soteris Virg. & Mart. elogium. 247. 34.

Stephanus [illegible] Tor.
21. 1. [illegible]
tum de [illegible] .iſm.
non ite [illegible] Epiſto-
la ad [illegible] 6. An
[illegible] num
[illegible] ave-
[illegible] tiſmum
[illegible] 4.
[illegible] 3.
[illegible] ha-
[illegible] s qui di-
[illegible] Acta.
[illegible] . millenario-
[illegible] damnat [illegible] 87.
[illegible] *na*, ejuſque cano-
[illegible] 6. 23. & *ſeq.* *Antio-*
Paulum Samoſatenum
[illegible] olverit. 115. 7. De
[illegible] eidem Synodo inſcri-
bid. 8. Samoſatenum
[illegible] . 123. 1. De Fi-
otemone huic Synodo
inſcripta. 126. 5. *Arelatenſis* Conſtantini juſſu congregatur. Vid. *Conſtantini*. De rebus in ea geſtis PP. Silveſtrum Pap. certiorem reddunt. 369. 14. Canones ab eiſdem editi. 370. 15. Hæreticorum baptiſmum iterari vetant. 371. 17. Alii Canones eidem Synodo adtributi. *ibid.* De Epiſcopor. numero, qui eidem adfuerunt. 373. 19. An Auguſtinus Concilii plenarii nomine Arelatenſem Synodum deſignaverit. 374. 20. *Carthaginen.* hæreticorum baptiſma pluries rejicit. Vid. *Cyprianus*. *Neoceſarienſis*, ejuſque canones. 378. 25. *Romana* a Conſtantino co[illegible]cta. Vid. iter. *Conſtantini*. Donatiſtarum calumniæ in eamdem. 358. 21. *Sinueſſana* in cauſa Marcellini Pap. apocrypha. 189. 4.

T

Taciti Imper. mores. 140. 1. Ei Probus ſuccedit. 141. 1.

Tarachi, & Socior. Acta vindicantur. 255. 44. & *ſeq.*

Tecuſa cum ſociis duplici corona decorantur. 241. 26.

Terebinthus, ſeu Budda Scythiani diſcipulus. 143. 3.

Thebæorum Legio Chriſtiana detegitur. 170. 4. Ab exercitu ſegregata bis decimatur. *ibid.*

ibid. Inter eos Mauricius, Exuperius, & Candidus reliquos exhortantur. 171. 5.
Thebaide Chriſtiani varie ad mortem cruciati. 214. 13.
Thelicæ Mart. Acta. 236. 16. & *ſeqq.*
Theodora Virg. in Lupanar ducta a Didymo liberatur, deinde Martyr occumbit. 242. 29. & *ſeq.*
Theodorus miles Amaſeæ idolorum templum concremat, & Martyr efficitur. 284. 10.
Theodoſia Virg. & Mart. 294 11.
Theodotus Cauponarius Chriſtianos in perſecut. confirmat, eiſque ſubvenit. 241. 25. Martyrii palmam conſequitur. 242. 28.
Theodorus Tyranni Antioch. Ep. ſucceſſor. 195. 2.
Theodulus, & Julianus Martyres. 307. 9.
Theogenes Hipponenſis Ep. & Martyr. 72. 7.
Theonas Ep. Alex. ordinatur. 157. 4. Ei ſuccedit Petrus Alex. 197. 1.
Theonillæ Vid. martyrium. 168. 9.
Timolai, & Socior. ſpontanea Fidei confeſſio. 231. 10.
Timothei, & Socior. martyrium. *ibid.* 9.
Tirannus Cyrillo Antioch. Ep. ſuccedit. 196. 2. Ei Theodotus ſubrogatur. *ibid.*
Tyrienſium Martyrum certamen. 212. 11.

V

Valentina cum ſociis igni tradita. 299. 4.
Valeria Diocletiani filia ad ſacrificia compellitur. 209. 5. & 211. 9. A Maximino relegatur. 343. 21. An ipſa, & ejus ſociæ fuerint Chriſtianæ. *ibid.* A Licinio interficitur. 349.
Val ... aium, & ... rſecutio- ... n ... tianos ex- ... cf ... q. Illius ... eo ... m. 5 ... 1 ... m ... in ... 14. ... 15. ... rne ... ve ... filio. *ib*
Valerianus C... ter. 118. 1.
Valerii Cæſaraugu... tyrium. 253. 41.
Victoria Virg. a ſpon... git, & Martyr o... 239. 23.
Victorinus Pictabonienſis Mart. 297. 16. E... *ibid.*

Victoris, & Socior. Acta, & certamen. 185. 3.
Victoris militis martyrium. 171. 6.
Vincentii Diaconi in confeſſione Fidei conſtantia. 253. 41. & ſeqq.
Vitalis Antiochen. Ep. Synodis Ancyranæ, & Neoceſarienſi præfuit. 378. 25. In Epiſcopatu Philogonius illi ſuccedit. 379. 26.
Vitalis, & Agricola Martyres. 269. 26.
Ulpiani. 18.
Voluſian. u
perſe ſeq.
Quer. habuerint
Uraranes I. & II. Perſarum Reges. 133. 2.

Z

Zabdæ Hieroſolym. Epiſc. obitus, cui Hermon, ſeu Thermon ſuccedit. 196. 1.
Zacchæi, & Alphæi martyrium. 229. 7.
Zenobiæ Odenati uxoris religio. 111. 2. Viro interempto in Imper. ſuccedit. 120. 1. Ab Aureliano capta triumpho reſervatur. 133. 1. & ſeq. Summo cum honore in Urbe conſenuit. 136. 1.

ERRA-

Digitized by Google

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 4.	*Primatum Petro*	*Primatus &c.*
15.	Tripudiantium choro	.... chorum
22.	Qıæ vulgo	Qıo vulgo
28.	*Concilio, ſeu geſtis*	*Conſilio &c.*
57.	Cyprianum Sixtus	Cypriano &c.
86.	Quam poſt Papiam	Quem &c.
145.	Laborantes male affectos	Laborantes, ac male &c.
165.	Effectaſſe Imperium	Affectaſſe &c.
182.	Et aſpectui terrori	Et aſpectu &c.
191.	*Quod dicunt unquam*	*Quod dicunt unguem*
347.	Litanias non docuiſſe	.... non edixiſſe

MiG 2021599

Digitized by Google

R. [illegible] ZZA
[illegible]
[illegible]
Tel 86.57 67

Digitized by Google